


Hawkins

3

813

813 3-4

1.282





REVERENDIS.<sup>MO</sup> PATRI,  
RRÆCLARISSIMO VIRO,  
SAPIENTISSIMOQUE  
SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,  
CATHOLICÆ MAJESTATIS  
PRO IMMACULATA CONCEPTIONE  
THEOLOGO MERITISSIMO,  
PATRI NOSTRO  
FR. PETRO JOANNETIO  
DE MOLINA.

TOTIUS SERAPHICI ORDINIS  
Ex-Generali Ministro , Seraphicique Sancti P. N.  
Francisci in Seraphica Monarchia legitimo Succes-  
fori, Commissario Apostolico, & nunc hujus Cismon-  
tanæ Familiæ Generali Commissario dignis-  
simo , innumerisque titulis undequaque  
Juvari Ecclesiæ splendidissi-  
simo , &c.



AM diu , Reverendissimè Pater,  
jam diu alma mater Josephana  
Provincia enixe exoptaverat, ut  
methodus per suarum artium  
Cursum stabilita , in Theologica disciplina  
introduceretur. Et merito; nam ut ait Gerson,



Apud Cor.  
neij. tom. 2  
Chron. lib  
4. c. 3. fol.  
4; 4. in  
marg.

dum inquiriretur: *Quis esset modus optimus studendi Theologiam?* Respondit D. Thomas: *Exercere in uno Doctore præcipue.* Hac ergo methodo facilius Lectores nostri suos instruunt Tyrunculos , & per illam magnam temporis jacturam explodunt , adolescentes à scribendi onere levantur , & ubiores fructus percipiunt ; nam ( ut inquit Vener. ac Doctissimus Pat. N.Fr. Joannes de S. Maria ) sic tollitur omnis sentiendi , & opinandi libertas , ex qua quam magna incommoda , & damna quotidie experiuntur , hac enim libertate , quod unius Lector affirmat , alter negat , & sic unius Provinciæ , immo , & Cursus unius studentes alumni , ita confunduntur , quod non se ad invicem intelligunt. Opportet ergo , quod unica , & communis doctrina in nostris stabiliatur Gymnasis , ait cit. Pater , à qua deviare Sacré Theologiæ Lectores nefas est : illam igitur omnes teneant , urgeant , & defendant. Ita antiquitus fuit sancitum in generalibus nostris Capitulis , immo & Provincialibus. Sic etiam in Universitate Salmantina , & post varias consultationes præcipuorum Theologorum idipsum sancivit , & præcepit Catholicus Rex Philipus II. Hacten. V. N. Sta. Mria.

Hunc inquam , Rmè. Pater , optimum

Joann. à  
Sra. Mar.  
1. part.  
Chron. lib  
2.c.2. fol.  
278.

mo-

modum studendi Sacram Theologiam hæc nostra D. Josephi Provincia magnoperè exceptabat dum Præside Vestra Reverendissima Paternitate in proximo præterito Provinciali Capitulo , id cordatè decrevit. Ad quod exemplum onus ad me , & si omnium minimum , & tanto pondere imparem , suos benevolos convertit oculos , hoc per difficile opus mihi demandans , atque commitens. Obedientia ergo hoc mihi impossuit , simùl imperans , ut doctrina hujus Theologici Cursus omnino consonet Cursus Philosophici doctrinæ. De obedientia sic luculenter Esquileus fatur.

*Fælicitatis Mater Obedientia*

*Conjuxque sospitatoris Jovis.*

E squil.lib  
2.

Præclara vox , & magna sententia , quæ declaratur , nullam esse hominibus fœlicitatem , quæ ex obedientia , qua Magistratibus optemperamus , haud oriatur. Mihi autem ita contingit ; nam dum Reverendissimæ Paternitatis vestre , hujusque almæ Provincie præceptis adhæsi , quod ex mei imbecillitate ingeniali expectare non poteram , tribuit (nifallor) obedientia ipsa; nam vox Domini est , quæ revelat condensa. Quid ergo fœlicius? Etsi quæ fortè non dicenda assero , aut aliter quam formanda propono , me excusat à deli-

licto ; nam ut Jurisconsultus , obedientia debita , vel promissa liberat quem à crimine . Secum igitur gloria , sed poena haud est timenda .

Solum Reve rendissimam Paternitatem vestram habere Mæcenatem , cui hoc opusculum consecrare valeam , est felicitas ipsa . Nec metus est , quod hoc meum qualecumque munusculum sis aspernaturus , qui donaria , non pretijs , sed animis solitus es estimare .

*Non ego divicias dando tibi , plura dedissem.*

*Divitis , ad manes , nil refert umbra , suos .*

*Perpetui fructum donavi nominis : idque*

*Quo , dare nihil potui , munere , majus habet .*

Alioqui , quid magnum , aut plus illud est in toto Ordine , quod jure ipso non tibi mendices , Seraphicæ Religionis Princeps , Mæcenas , & Antistes , quandoquidem velut salutare quoddam Sydus , ad hoc Religioni datus , ut præcipiente , & Præside , quidquid est bonarum rerum pullulet , florescat , atque ultimam manum accipiat ? Nec mihi venit in mentem quispiam nostrorum optimatum Illustrior , vel cui magis debeam , (debeam & magis) vel qui ad litteras magis affectus , optimis artibus solertius imbutus stegmatumque decore locupletior apparet .

Ovid. lib.  
4. Trist.  
egl. ult.

reat. Nam omnifariam apud Hispanos , Ita-  
los , Francos , Indos , &c. dilucidum est , te-  
tum sanguinis Suprema Nobilitate , immò,  
& ferè Regia , tūm facinorum laude , pietas  
singularitate , amabilitatis dulcedine , &  
virtutum omnium , atque disciplinarum  
præstantia longè cœteros anteire: *Reverendissime* , & *Doctissime Pater* ( dicebat Paulus  
Tozzius ) tantam bonarum artium scientiam ,  
tantam humaniorum litterarum supellectilem ,  
acerrimo ingenio præditus , tibi comparasti , ut  
inter religiosissimi istius Ordinis viros , per pau-  
cos habeas , qui tecum aliqua ex parte comparari  
possint ; superiorem omnino neminem. *Quis enim*  
*ignorat , te in subtilioris Philosophiae , Theolo-*  
*giæ , ac sacrarum litterarum studijs , ita esse ver-*  
*satum , ut in illis insigniter excellas ? Quibus ta-*  
*men , non eo adhæsisti , ut non etiam in lætos , at-*  
*que uberes Ethices , Politices , & Historiæ cam-*  
*pos excurreris. Immò , & ad arcem utriusque*  
*juris Pontificij , atque Cæsarei fœliciter sub-*  
*limiterque ascendisti: testis est ipsa experien-*  
*tia , qua tam uno in pectore tuo multipliciter*  
*se explicuerunt , & indies magis se expli-*  
*cant in utraque curia , quibus dedisti , quo-*  
*tidieque das , non raro , signa rara.*

Alia dicent alij: hoc autem haud præter-  
eundum est. Nostris temporibus , nescio an  
exemptionis spiritu , vel quo alio zelo , val-  
dè,

Videat.P.  
Ft. Franc.  
Diag. 1.  
part. An-  
nal. lib.7.  
Pag. 377.

Paul.Tez.  
Epist. ad  
Abbat.Ni-  
col.

dè conquisabatur authoritas suprema Successoris legitimi Seraphici Parentis , quando vestra Reverendissima Paternitas exivit vincens , ut vinceret , & eximia sua dexteritate , ac lenitate , fortiter suaviterque omnia dis- possuit , & quando sævitia minabat horribilis , imperturbabilem requiem statuit , ac providit. Ob hoc , & ob alia illustria facinora , universa Franciscanorum ampla Familia Romam petit , & te verum Seraphici Parentis Francisci agnoscit , Pastoremque postulat unicum , ac veneratur. Cur autem ? nisi , quia Deo afflante , cognoscunt omnes , te solum dignum Imperio. Admirati sunt Universi , quod ad Imperium restaurandum , tam valida à te documenta producta fuisse , atque in lucem è tenebris eruta testimonia adeò clara , sincera , & convincentia , ut nullus contrahire in posterum valeat , nisi qui contra impetum fluminis niti velit , atque in meridiem cæcutire. Ob hoc te laudat Minorum Religio hilariis universa ; & apparuit res , qualis non fuit ex quo Gentes esse cœperunt , cum te ad se totis cordibus revocat Dominum , ac superiorem exoptat.

Non tamen defuerunt aliqui ; qui ut nubes volant , tantum obscurare connantes Solē. Nullus unquam hominum , tam fœlix , ut obtrectatorum līnguas , morsus im-

improbamque invidiam evadere potuerit; cum Salomon Eccles. 4. *Animadverūt omnes hominum labores, & industrias patere invidie proximi.* Procliviores sunt nonnulli ad alios reprehendendos, quam ad seipso moderandos: illud vitium innatum hominibus, aliena, ut facilius videant, quām sua. Vident festucam in oculo fratri sui, & in proprio trabem non vident. Semper inventum fuit hoc genus hominum, qui meliores malint obtrectare, quam vel vestigio-tenus sequi: qui si, ut Salust. ait, virtute satis valerent, magis æmuli bonorum, quam invidi essent; sed quia desidia, atque inertia, & stupor eos atque torpedo invasit, strepunt, obtrectant, & alienam famam suum dedecus existimant. Sic alit liborem infœlix inertia, quibus recte obijcitur.

*Cum tua per videas oculis mala lippus inunctis,  
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum;  
Quam, aut Aquila aut serpens epidaurius?*

Invidenti homines (inquit Cicero) maximè paribus, aut inferioribus, cum se relictos sentiunt, illos autem dolent evolasse. Et Plato in suo Tim. Iter facientes per Solem, necessario comittatur umbra, incidentibus verò per gloriam, comes invidia. Hac ratione noster Reverendissimè Pater, fuerunt, sunt, & erunt tot in mundo oppositiones, totque calumniæ.

S. August  
Epist. ad  
Hipolit.

Cromat.  
ep. Aqui.  
in cap. 5.  
Math. ser.  
5.

Vel forsan illa alia , quam Magnus indicavit Aug. Cum ipsam veritatem obscurare non possunt , hos per quos prædicatur inducunt in odium ; de quibus se fingere quidquid in mentem venerit , possunt. Sed qui nobis dixit : *Gaudete, & exultate* , quia merces vestra copiosa est in cælis: Crescere per incrementa persecutionum evi- denter ostendit.

Rem probavit eventus , Reverendissime Pater , cum te in Solem ad fugandas tenebras , & in firmamentum ad dividendas aquas ab aquis mirabiliter Dominus colo- vit , qui secundum necessitatem temporum ad salutem humani generis producit in lu- cem , quos sibi ab æterno prædestinavit elec- tos : & veluti alteri Seraphico Parenti , tibi dixit : Vade , repara domum meam , quæ la- bitur. Ita adamussim tuum imples munus , ut omnia provideas , omnia suis aptes in lo- cis , & in pristinum puritatis statum refor- mes , atque reducas. Cætera omitto ; nam quicumque egregia , & summa illustrium tua- rum laudum recolere præconia voluerit , nun- quam fandi inveniet finem , facileque intel- liget , nil tibi ulla ex parte deesse , quod vel à natura , vel à virtute , vel à fortuna sit ex- petendum. Sed quid dico à fortuna ? Absit ; quod in te aliquid fortunæ videatur ; nam si Minoritana Familia , Summus Ecclesiæ Pas- tor,

tor, Principesque Catholici, & quamplurimi alij Proceres.

Rerumque tibi commendant habenas

Et sacros meritò, ornant diadematè Crines

Neutiquam hoc fortunæ adscribendum;  
nam ut Poeta canit.

Fortuna immeritos auget honoribus,

Fortuna innocuos, cladibus afficit.

Iustos illa viros, pauperie gravat,

Iudignos eadem divitijs beat.

Sed animi valori, & virtuti: In sublimè èvec-tus es ( inquit Nazianz.) supremam nactus es potestatem: non est hoc fortunæ munus; sed hanc potestatem, tanquam virtutis præmium adeptus es, ut ipsa redetur gloriofior. Habenas tibi creditas, quamtuvis summa arduitate plena-s, eximia dexteritate direxisti, atque ex-plevisti; nam in te, ac si uno in homine plu-res sint Heroes, & in unico pectore non simplex inhabitet lumen, utraque lux subrutilat, aperitèque demonstrat, quanta pru-dentiæ laude floreas, quantumque valeas in muneribus obeundis: ad quorum summum fastigium te jam( amoris, & judicij suffragijs) proiectus, nemo conscius ignorat. Redeat nomen antiquum ( inquit Casiod.) prefunci-tura illa toto Orbe laudabilis, cuius princi-pium, per Joseph, à beneficijs inchoavit. Nec immerito, à legibus nostris, Pater Pro-

Virg. de  
Fort.

Nazianz.  
de Orat.  
posth.

vinciarum appellatur ; quia sic justè , sic prò-  
vidè agi voluerunt , ut non districtum judi-  
cis nomen sed vocabulum illi pietatis im-  
ponerent.

Ovid. lib.  
de Pont.

*Est piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox  
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.*

Quid plura amplius ? Certè si omnia tua  
essent magnalia recensenda , tempus , non  
oratio, omni detimento magnitudinis, nul-  
lo veritatis dispendio , deficeret. Non igitur  
immerito , nec fausto ullo hæc consecrantur  
studia Mœcenati nobilissimo , atque Erudi-  
tissimo. Accipe ergo , Pater Reverendissime,  
has qualescumque tibi iterum , atque iterum  
dicatas lucubrations ; nam si hospitio tuæ  
benignitatis , & præsidio tuæ protectionis  
digneris excipere , nec insidias timebunt in-  
vidiæ , nec sibi ipsis aliam concupiscent glo-  
riam. Pedibus Reverendissimæ Paternitatis  
vestræ omnia suppono , substerno , atque  
succumbo. Vivas fæliciter , & ad universæ  
Seraphicæ Monarchiæ gloriam , & ad Eccle-  
siæ Romanæ incrementum intende , prospe-  
re , procede , & regna.

Rmæ, Pat. vestræ obsequentiissimus Filius,  
& addictissimus Servus,

*Fr. Antonius de Alvalate.*

CEN.

# CENSURA RR. AD MODUM

PP. Fr. Josephi de Pinto, Sacrae Theologiae Lectoris, atque hujus S. Josephi Provinciae Ex-Custodis. Et Fr. Francisci à Matrito, Sacrae Theologiae Lectoris, prædictaque Provinciae Ex-Difinitoris; atque Provinciae Sancti Pauli in vetera Castella Commissarij Visitatoris.

**P**RÆCEPTO nobis imposito à nostro charissimo Fr. Fr. Floriano à Sancto Stephano, Prædicatore, Ex-Difinitore, Ex-Custode, & in hac Provincia Sancti Joseph Discalceatorum strictioris Observantie Sancti Patris nostri Francisci dignissimo Ministro Provinciali: Opus vidimus, quod, ut in lucem publicam prodeat, paratum habet noster Fr. Fr. Antonius de Alvalate, Sacrae Theologiae Lector, & in hoc Sancti Bernardini Conventu extra muros Matriti Guardianus emeritus. Sic Operissonat inscriptio.

Cursus Theologicus in tres distributus partes. *Tripartitus est Theologicus hic Cursus* (inquit Author, rationem scribendi reddens) *ut illum brevi trium annorum curriculo, ut moris in nostris Scholis est juxta nostrarum Constitutionum præscriptum, Lectores suis discipulis melius explicare valeant, discipuli facilius discere queant.*

*Tomus primus continet Proœmiales quæstiones tractatum de Deo uno, & ibi de scientia Dei, de Prædefinitionibus; ac etiam de Predestinatione, & Reprobatione axagitat. Continet insuper Tractatum de Sanctissima Trinitate, ac denique de Beatitudine Sanctorum. Secundus Tomus constabit ex tractatu de Mysterio Dominicæ Incarnationis, ex tractatu de Divina Gratia, ac denique ex Angelorum tractatu. Tertius vero Tomus erit dogmaticus, continens Tractatum de Vera Religione, ubi de Sacra Scriptura, Traditionibus Domini-*

*etis, & Apostolicis, ac Definitionibus Ecclesiae, de Virtutibus Theologicis, quibus, cronicidem methodus concionandi imponet.*

Virgam igitur censoriam arripientes, ingenue facteri debemus, quod in opere reperitur cum subtilitate claritas, & cum claritate subtilitas; ita inter se mirabiliter connexae, ut Opus hoc ingenij acuminis, ac doctrinæ plenum miretur. Opus sane dignum Authore tali: in eo siquidem inveniuntur, quæ in vero Magistro Doctor Angelicus desiderabat. Hæc sunt Angelici Doctoris aurea verba: *Vita honesta, scientia humilis, mens ingeniosa, peritia docendi.* Hæc omnia apud nostrates Authorem cognoscentes, sunt experientia nota.

Hac de causa cipiens hæc Josephana Provincia Cursus Theologicum dari in lucem ad utilitatem eorum, qui litterarum studio obedientia destinantur: in Capitulo Provinciali congregata decrevit, quod Authori committeretur hic labor consonus in omnibus cum principijs Scoticæ doctrinæ Cursus Philosophici, quem ad instructionem suorum filiorum Prælo dari Provincia præcepit.

Suscepit Author ex obedientia labore, luculentè continuavit, & feliciter consumavit. Gratias ei respondere debemus; quia pro omnibus hujus Provinciæ Filiis ad studium Sacrae Theologiae deputatis tantum suscepit laborem; ut sic plus temporis eis ad studium superfit sine molestia scribendi, & ea, quæ scripserunt legendi. Finem adeptus est, Provinciæ hujus desiderium implendo. Omnia manifestat ejus perlucidum opus: nam fundat solidè, nervosè respondet, subtiliter propagnat, brevitati studet, prolixitatem fugit, fastidium evitat, cunctis abs dubio placebit. Hoc, Distichum carmen adæquatum operi judicamus.

*Omnia longa solent cunctis fastidium ferre,  
Quæ comprehensa brevi sunt benè cuncta placent.*

Si forsitan aliquis miretur, quod post tot libros de Sacra Theologia tractantes, Scotica vestigia sectando,

quot

Doct. Ange  
lic. lib. 4. d.  
Eredit. Princ  
cip. cap. 9.

quot Authores celebres in lucem ediderunt, hæc tria  
volumina Prælo mandentur: in promptu adest pro Au-  
thore ratio. Jucundus suscepit laborem. Scripsit, se-  
suavi jugo obedientia submittens, Superiorum præcep-  
to obtemperare cupiens, & utilitatem studentium at-  
tendens. Hanc utilitatem perspexit Ecclesiæ lumen  
magnus Parens Augustinus, dum valde opportunè di-  
xit. *Utile est, plures à pluribus fieri libros de eadem ma-  
teria tractantes.*

Super hæc verba Augustini hæc protulit Sabinus  
noster ad intentum maximè conduceantia. *Quia ipsa so-  
la varietas, vel in methodo, vel in gratia, vel in stylo,  
vel in ordine dicendi, probandi, declarandi easdemmet  
veritates, semper placere solet. Praterquamquod aliquid  
novi, vel novè declaratum semper invenies in uno,  
quod in alio desiderabatur volumine.*

Jam tanto opere non sine magna utilitate perlec-  
to, non possumus non repeteare, quæ in approbatione  
Philosophici Cursus dixerunt eruditæ approbantes eorum  
monita tanquam allumni Provinciae ad ejus filios juve-  
nes dirigendo. *Nunc, o Juventus Religionis Seraphicæ: ad  
vos alloquimur novella germina horti Minorum strictio-  
ris Observantiae fertilis, ut omnino litteris vacetis.*

In hoc literario exercitio ad quod admonent præ-  
citati approbantes, obligationem agnoscit in Alumnis  
Seraphicæ Familiaæ noster Sabinus Bononiensis, hanc mo-  
vens difficultatem. *An Fratres Minores Sancti Patris  
Francisci teneantur ex vi Regulæ ad studium sapientia-  
le?* Respondit ipse affirmative. Nam Divus Bonaven-  
tura in expositione Regulae in capite tertio dicit: *Sanc-  
tus Franciscus volebat Fratres suos Clericos in studio &  
prædicatione exerceri.* Et expressius idem Seraphicus  
Doctor in fine explicationis Capituli de Prædictoribus:  
*Ex isto Capitu'lo patet, quod Fratribus Clericis ex in-  
tentione B. Francisci imcumbit studium;* quia sine stu-  
dio non possunt verba prædicationis modo debito exami-  
nare.

Non nulli sunt afferentes, hanc esse obligationem  
gravem in Regularibus studentibus. Sic sentit laudatus

Div. August.  
lib. 1. de Tri-  
nit. cap. 3. &  
alibi.

Sab. Lux Mo-  
rat. 1. part. in  
prolog.

Sab. ubi sup.  
fol. 188. n.8.

Sabinus noster citans pro se Div. Antoninum, & alios.  
Sic ait: *Religiosus scholaris ad studium deputatus à suo  
Prælato: Si non studet, aut in studendo notabiliter est  
negligens, peccat omnino mortaliter.*

Ex multis textibus juris canonici suam confirmat sententiam: sed præcipue ex cap. finali dist. 38. & in eadem dist. cap. Ignorantia dicitur. *Ignorantia mater cunctorum errorum Sacerdotibus Dei vitanda est.* Infert ex citatis textibus hanc consequentiam: *Ergo & Religiosis vitanda est, qui non sibi tantum vivere, sed alijs proficere debent.*

Debent ergo scholares nostri tanquam filij Seraphici Parentis, ut ignorantia vitetur ipsum imitari: nam de eo canit Ecclesia: *Non sibi soli vivere, sed & alijs proficere, vult Dei zelo ductus.* Accurate, diligenter, & attentè debent litteris vacare, ut sibi, & alijs proficiant.

Kemp. opusc.  
x. cap. 3.

*Lectio attenta, & sacra* (ait Kempis) ignorantiam expellit, mentem erudit, dubia solvit, errores corrigit, bonos mores instruit, ostendit virtus fugienda,hortatur ad virtutes, excitat ad fervorem, incutit sanctum timorem. In hoc timore sancto, & Dei dilectione firmantur fructus sapientiae. *Dilectio Dei honorabilis sapientia. Corona sapientiae timor Domini.*

Ecclesiast. 1.  
vers. 14. &  
22.

Concludimus, nostrum judicium declarantes, quod in opere nihil reperitur censura dignum; immo illud dignum, ut in lucem prodeat, judicamus. In eo namque nihil invenimus, aut puritati nostræ Sanctæ Catholice Fidei, aut Sanctis Patribus, aut bonis moribus, aut Regalibus Pragmaticis Sanctionibus dissonum. Sic sentimus in hoc Sancti Bernardini Conventu. Dic 4. Aprilis Anni 1755.

*Fr. Josephus de Pinto. Fr. Franciscus à Matrito.*

## LICENTIA ORDINIS.

**F**r. Florianus à Sancto Stephano , Predicator,  
Ex-Custos , hujusque Almæ Provinciæ Sancti  
Joseph , Discalceatorum Seraphici Patris nostri Fran-  
cisci , Minister Provincialis , & Servus : Tenore  
præsentium , quantum ad nos attinet , facultatem  
concedimus , ut Liber inscriptus : *Cursus Theologicus*  
*tripartitus ad usum Provinciæ Sancti Joseph* , *Mino-*  
*ritarum Discalceatorum* , complectens tractatus de Deo  
Uno , de Sanctissimo Trinitatis Mysterio , de Divi-  
ni Verbi Incarnatione , de Angelis , de Divina Gra-  
tia , & de Dogmatica Theologia , juxta nostri Doc-  
toris Subtilissimi Scoti mentem apprimè elavoratus  
per Fratrem nostrum Fr. Antonium de Alvalate ,  
ejusdem Provinciæ Sacrae Theologiæ Lectorem , Guar-  
dianumque nostri Sancti Bernardini Conventus , Ma-  
triti extramuros stantis , in lucem edi , & typis man-  
dati possit ; cum præfactum opus à viris doctis ipsius  
nostræ Provinciæ , quibus examinandum commissi-  
mus , & vacantium litteris utilitati maximè profutu-  
rum esse speremus. Datis in relato nostro Divi Ber-  
nardini Conventū , die primo Junij , millesimi , sep-  
tingentesimi , quinquagesimi quinti.

*Fr. Florianus à Sancto Stephano.*

Minister Provincialis.

De mandat. charissim. Fratr.  
nostr. Ministr. Provinc.

*Fr. Franciscus de Lillo.*

Secretarius.

**CENSURA REVERENDISSIMI PATRIS**  
Magistri Domini Joseph de las Heras, Cano-  
nicus Regularis Agustiniani Praemonstratensis, suæ  
Candidæ Familiæ, Ex-Generalis Honorarij, in  
Sacra Theologia jam diu Lectoris Emeriti, Olim  
Secretarij, Diffinitoris, Vicarij ac Magistri  
Generalis, Conventuum Sancti Norberti, &  
Sancti Joachimi Matritensium non semel Abba-  
tis, suæ Religionis Chronologum, ac Tribu-  
nalis Domini Nuntij Apostolici in Regnis His-  
paniae Theologi, & Examinatoris.

M. P. S.

**M**uneris Censoris, de mandato Regij, ac Su-  
premi Castellæ Senatus, sorte foelici mihi in-  
uncto, satisfacere cupiens, legi quanta potui atten-  
tione, & quantum per tempus licuit, avidissimè  
evolvi triplicem Thomum: *Cursus Theologici ad usum*  
*Provinciæ Sancti Joseph*, *Minoritarum Discalceatorum*,  
dispositum à Rmo. Patre Fratre Antonio de Albala-  
te, ejusdem Provinciæ Sacrae Theologiae Lectorem,  
ac Sancti Bernardini Conventus extra murus Matri-  
ti stantis, Meritissimum Guardianum; virum sanè  
de Republica litteraria optimè meritum, & ad ar-  
dua quæque circa Quæstiones Theologicas natum. Vi-  
di, inquam, & suspexi opus tanta dexteritate elabo-  
ratum, tanta soliditate fulcitum, tanta subtilitate  
digestum, ac tam methodica arte, & claritate dis-  
tributum, ut vix sciam quodnam horum pignorum

in Rmo. Authore commendem principalius , ac laudem. Sed , ut reor singula singulis correspondent, ac se mutuo juvant conformitate tanta , ut in hoc perfectissimo opere resplendeant magna perspicuitate subtilia ; emicent methodica distinctione varia ; fulgeant exquisita brevitate multa ; coruscentque stylo dulci , & nerboſo omnia quæ tractat. Sapit profecto opus hoccine sapit , inquam , venam , redolet scaturiginem , & fontem Dus-Scoticum , à quo hauſit suam Doctrinam his omnibus dotibus ditatam.

Hinc affulgebit nova lux Josephanæ Seraphicæ Excalceatæ Provinciæ , cui & aſlurgere debet certa ſpes exequendī finēm , quem jam diu conceperat, pridemque optarat , propinandi , ſcilicet , ſuæ jubentuti lac eruditionis cum doctrina brevi , ſubtili , methodica , ſolda , & clara. Sed quid dico ? In hoc opere , ſubtiliſſimi , & acutissimi Doctoris ſimilima prole , inſimul invenire eſt mirificam doctrinarum copiam , non jam ſolum , ut paulatim excreſcat , & adiſcat viridis , ac ſtudioſa juventus ; verum , ut proficiat , ac eruditior in dies evadat proiecta , & matura ſeneccus. Id propter , & quia noſtræ Orthodoxæ fidei , probis moribus , Regalibus Santionibus diſonum , limave , aut littura , vel in littera dignum reperi nihil ; dignum judico non ſolum culū, ſed cedro , in omnium ſtudioſorum profectum. Sic ſentio , ſalvo , &c. in hoc Sancti Joachimi Matriensis Conventu. Die tertia Maij. Anno à Chriſti nato mileſimo ſeptingentiſſimo quinqnageſimo ſexto.

*Mag. D. Joseph de las Heras.  
Canon. Regul. Premonif.*

## LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Joseph Antonio de Yarza , Se-  
cretario del Rey nuestro Señor , su  
Escrivano de Camara mas antiguo , y de  
Gobierno del Consejo.

Certifico , que por los Señores de él se ha  
concedido licencia à Fr. Antonio de Alba-  
late , Lector de Theología , y Guardian de  
el Convento de San Bernardino , extramu-  
ros de esta Corte , para que por una vez  
pueda imprimir , y vender el Libro , inti-  
tulado : *Cursus Theologicus Josephanæ Sancti*  
*Patris nostri Francisci Descalceatorum Provin-*  
*ciae* en tres tomos , con que la impression  
se haga en papel fino , y por los origina-  
les , que van rubricados , y firmados al  
fin de mi firma ; y que antes que se ven-  
dan , se traygan al Consejo dichos tomos  
impressos , junto con sus originales , y  
Certificacion de el Corrector de estar con-  
formes , para que se tasse el precio à que  
se ha de vender esta Obra , guardando en  
la impression lo dispuesto , y prevenido  
por las Leyes , y Pragmaticas de estos

Rey-

Reynos. Y para que conste, lo firmé en  
Madrid à catorce de Mayo de mil setecien-  
tos cincuenta y seis.

*Don Joseph Antonio de Yarza.*

*CEN.*

**CENSURA P. M. Fr. PETRI DE ALAVA,**  
et Azpeytia, Ex-Difinitoris Generalis, et  
actualis Visitatoris Provinciae Castellæ, Ordinis  
S. P. N. Augustini, Archiepiscopatus Com-  
postellani Examineroris Synodalis, et Sancti  
Officij Consultoris.

**D**E mandato D. Doct. D. Joannis Antonij de las In-  
fantas, Vicarij Generalis Matritensis, opus,  
cui titulus est: *Cursus Theologicus Josephinae S. P. N.  
Francisci Discalceatorum Provinciae*, in tria volumina  
divisum, & à Rmo. P. Fr. Antonio Albalate, &c.  
concinné elaboratum inspiciendum, ac exutiendum  
accepi. Atque dūm Censoris personam agere jubeor,  
multa in hujus operis laudem argumenta congerere  
possem; in eo siquidem latus aspexi magnum Au-  
thoris consultissimi pro Religiosæ juventutis commo-  
do zelum, summa cum eruditione difusum: omnia  
adeo firmis sacrarum litterarum oraculis, adeo pers-  
picuis Conciliorum Decretis, Sanctorum PP. testi-  
monijs, Venerab. Subtilis Doct. assertis, & solidis-  
simarum rationum monentis à sapientissimo Authore  
munita; ut in hac Scotica Theologia ea minimē  
desint, quæ sunt in Theologo requirenda, nimi-  
rum Scientia Dei, coelestium rerum cognitio, hu-  
manarum prudentia, & usus: Et cum hæc adsint,  
tantum obest, ut quidquam in hoc Cursu Theolo-  
gico, vel fidei orthodoxe, vel bonis moribus disso-  
num contineatur, quin potius omnia, quæ in ipso  
sunt ad novum Seraphicæ Scholæ splendorem, ad  
Religionis nostræ veritatem, atque sanctitatem stabi-  
bi-

biliendam , elucidandam , & adversus hostes Theo-  
logiæ Scholasticae propagandam , publica luce dig-  
na existimo. Ex hoc Regali Monasterio Matritensi  
Divo Philippo Sacro die 22. Junij ann. 1755.

*Fr. Petrus de Alava.*

LICEN.

## LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doctor Don Juan Antonio de las Infantas, Canonigo Doctoral de la Santa Iglesia de Toledo , primada de las Españas , y Vicario de esta Villa de Madrid , y su Partido en Sedevacante , &c. Por la presente , y por lo que á Nos toca , damos licencia para que se pueda imprimir , é imprima el libro , intitulado : *Cursus Theologicos Josephane Sancti Patris nostri Francisci Discalceatorum Provinciae* , partido en tres tomos ; su Author el R. P. Fr. Antonio de Albalate , Lector de Theologia , y Guardian del Convento de San Bernardino , extramuros de esta Corte , atento , que de nuestra orden ha sido visto , y reconocido , y no parece contiene cosa contra nuestra Santa Fé , y buenas costumbres. Fecha en Madrid à veinte y tres de Junio de mil setecientos cinquenta y cinco.

*Doct. Infantas.*

Por su mandado,  
*Joseph Muñoz de Olivares.*

*EUCHARISTICON ENCOMIASTICUM, EPOSQUE  
Graphi o-gratum, quod in Epinicium Authoris, & Operis lubenter pro-  
libat Fr. Julianus à Jesu, seu ex Domate-Antiqua, Ex-Lector Sacrae Theo-  
logie, necnon & Prefectus Apostolicarum Seminarij Missionum hoc in  
Div. Bernardini Matrit. Excalceat. Seraph. Patris nostr. Conv. in  
quo, ut Minoritarum Authoris Subditorum Minor  
sic accinebat.*

*Sapientiam ejus enarrabunt gentes, &c. Eccles. 39. v. 14.*

**O** Fœlix ante alios una dulcissime semper,  
Qui Phœbus splendens, ipse rubens nitidissima Solis  
Lumina Tonantis semper volumina mundi,  
Francisciadum Olympo nunc præbes lumina cuncto,  
Perpetuisque fluens per florida gramina rivis;  
Quid moror? Erumpens jam longa silentia lingue,  
Extremos præstans cursus Sapientiæ fines,  
Lumine cujus honor novo celebratur ab astris.  
Est talis Hesperiæ Sol, Sapientum Hespera gemma,  
Qui FRagrat ANTeriOr omNIBUs in Æthere Solis  
Bernardini celsus medio in agmine Cœsar;  
DE ALta alBA jacitur LAte, qui graditut alTE  
Aut DEcidit Sacri JOvis flos, aut SERafici PHellax,  
Qui gemino ore nitens Sapientiæ mella propinat;  
Cur non? Ille est, cui Sapientia præstat honores,  
Qua vigent artes celebrent artis veré Dynastam.  
Hunc adeat, qui scire cupit, cui summa Cupido  
Discendi exoptat Sophica per sacula mille;  
Miretur Rethor hujus facundia fandi,  
Dum instruere studet SCOTI clara Lycæa,  
Agmina præstantis jam conticuere Platonis;  
Dicite, Vos Subtiles, & qua claritate resolvit,  
Quam bené Doctoris docet præcepta, servate;  
Omnia perfectè complens cum moribus; ergo  
Quot radios cingit Titan dum fulgidus exit,  
Lucida sublimis quot sydera prodit Olympus,  
Africa quot segetes, quot punica grana rubescunt,  
Et Sicyon baccas cultris producit in hortis,  
Tot grates solvimus tibi, qui dilucidè ducis.  
Accipe in carmine Omen, & in Omine carmen.

*ACROSTICHUM EPIGRAMMATICUM*  
*in Authoris omen, & operis.*

P. Perspexeram gaudens opus Nostratibus..... istu D.  
D. Das gladium Scoticum pura favente..... Abisa B.  
N. unc Sidus bellè nostri inter sidera..... Jaco V.  
E. N. En opus elucidum mente , tuoque..... nis V.  
F. lammigeris evolas alis , fugans obvia..... quæqu E.  
A. ltvolans herclè verò , qui pandit..... ver A.  
R. st rapido Sol radio , qui spargis lumine..... sempe R.  
N. Lustrans , & cunctis aulis extas..... juba R.  
A. octisque obscura irradiat istud..... volume N.  
N. B ernardini scribens limine peragis..... i D.  
T antus utique labor Sopho dat vere..... cupid A.  
O stra patescunt nitida cuncta..... pol R.  
N. stendis Sacrum Numam , ceù Seraphim..... alte R.  
I audibus nusquam prodita fama..... tu A.  
D ec gens poterit ulla opus decanere..... istu D.  
N. A ltum tibi polum dabit in arce..... Nume I.  
I n tanti operis onere ne cedas..... honor I.  
V Tu nostrum decus exeris tua..... man V.  
N era sapis , & astuis velut fons nostrum in..... agme N.  
S Et abdita referas quæque ..... voluminib[us] S.  
I sic edita in lucem præstent , & fulgida..... grad I.

Tuus obsequientissimus Cliens , & Min.

Subd. min.

Fr. Julianus à Jesu , seu ex Dom. Ant.

ATTES-

ATTESTATIO DEMENDATIONUM.

Pro corrigendis erratis haec notare oportet.

**A**Liqua sunt menda per aliquas litteræ mutationem, quæ facilè cognoscuntur, corrigique à legentibus possunt. v.g. pag. 20. col. 2. n. 25. lin. 31. pro veritatibus, positum est vetitatibus. Vel ob aliud defectum, ut p. 121. col. 1. n. 17. lin. 4. pro omnia attributa, ponitur omnes attributa. Ideoque plura his similia in toto hoc Cursu omissuntur. Pro intelligentia tamen sequentium ( quæ , quia majoris momenti , hinc apponuntur ) est advertendum , quod P denotat paginam , C columnam , N numerum marginalem , L autem lineam; Igitur

ERRATA SIC CORRIGES.

**P**Ag. 4. col. 2. n. 7. l. 2. intellectu, leg. intellectu. P. 14. c. 2. n. 14. l. 21. sint, leg. sine. P. 19. c. 1. n. 21. l. 14. fidem, leg. fidei. P. 25. c. 1. n. 33. l. 7. capacitatem, leg. capacitate. P. 68. c. 2. n. 1. l. 9. dicebant, leg. dicebantur. P. 70. c. 1. n. 1. l. 21. probationem, leg. probatio. P. 95. c. 2. n. 5. l. 19. obiectivæ, leg. subjectivæ. P. 137. c. 1. n. 4. l. 3. substantiæ, leg. subsistentiæ. P. 173. c. 1. n. 17. l. 3. appellare, leg. appellari. P. 176. c. 1. n. 8. l. 2. futura, leg. future. P. 207. c. 2. n. 6. l. 26. summè, leg. summa. P. 222. c. 2. n. 1. l. 10. dessidium, leg. dissidium. P. 223. c. 1. n. 2. l. penult. veritatem, leg. bonitatem. P. 298. c. 2. n. 46. l. 8. voluntaretur, leg. voluntate. Ibidem, lin. ult. nunquam, leg. unquam. P. 341. c. 2. l. 18. minor, leg. miror. P. 362. c. 1. n. 2. l. 18. decernere, leg. discenere. P. 407. c. 2. n. 7. l. 5. præcipitur, leg. præcipicium. P. 512. c. 1. n. 35. l. 22. requiritur, leg. r. curritur. P. 515. c. 1. n. 7. lin. penult. Patris, leg. Patri. P. 518. c. 1. n. 5. l. 24. scientia, leg. effentia. P. 540. c. 2. n. 21. l. 16. distinguit, leg. distinguitur. P. 583. c. 1. n. 3. l. 12. ex, leg. est. P. 652. c. 1. n. 6. l. 13. ac, leg. ad. P. 676. c. 2. l. 11. vestiis, leg. bestiis. P. 686. c. 1. l. 18. cap. 74. leg. cap. 24. Ibid. l. 19. cap. 8. leg. cap. 7. Ibid. c. 2. l. 23. secum corpus, leg. se cum corpore. P. 688. n. 7. l. 16. Psal. 148. leg. Psal. 149.

Demptis his erroribus suo prototypo convenit Liber inscriptus : *Cursus Theologicus*, ad usum Provinciae Sancti Josephi, Minoritarum Discalceatorum, Tomus primus, Authore R. Admodum P. Fr. Antonio de Alvalate, ejusdem Provinciae Sacrae Theologiae Lectore, & D. Bernardini Conventus Matritensis Guardiano. Matriti die 4. Octobris ann. 1756.

Lic. D. Emmanuel Ricardo  
de Rivera.  
Corrector Generalis.

TASSA,

**D**ON Joseph Antonio de Yarza, Secretario del Rey nuestro Señor , su Escrivano de Camara mas antiguo , y de Govierno del Consejo: Certifico , que haviendose visto por los Señores de él el Tomo primero del Libro intitulado : *Cursus Theologicus , Josephanae Sancti P. nostri Francisci Discalceatorum Provinciae* , su Autor Fray Antonio de Alvalate, Lector de Theologia , y Guardian del Convento de San Bernardino , extramuros de esta Corte , que con licencia de dichos Señores , concedida al susodicho , ha sido impresso , tassaron à seis maravedis cada pliego , y dicho Tomo parece tiene ochenta y siete , sin principios ; ni tablas , que á este respecto importa quinientos y veinte y dos maravedis , y al dicho precio , y no mas , mandaron se venda , y que esta Certificacion se ponga al principio de cada Tomo , para que se sepa el á que se ha de vender. Y para que conste , lo firmé en Madrid à siete de Octubre de mil setecientos y cinquenta y seis.

*Don Joseph Antonio de Tarza.*

Mr. D. Hammill, Esq.

卷之三

Congressor Chetwai

# PROLOGETICA SCRIBENDI

## R A T I O.

**S**Olicitudo maternalis officij semper hanc Josephanam Seraphici Parentis N. S. Francisci Discalceatorum Provinciam, ad profectum in studijs suorum filiorum, præsertim juvenem, magnopere compulit. Ob hoc cum magna utilitate studentium, & Lectorum, jam in superioribus annis Cursum Philosophicum, ore omnium laudatum, in lucem edidit; & nunc jugitur Cursus Theologicum, qui quoad fieri posse, stylo, doctrina, & methodo illi consonet, elaborari, & prælo tradi decrevit: quibus præ manibus habitis, in alijs manuscribendis haud insumatur tempus: maximè cum hujus majorem partem jugi divinarum laudum, assiduæque religiosarum functionum assistentia (prout Monasticum decet institutum) consecrare, & libari neesse sit. Hæc ratio, scribendi, & prima, sed gravissima quidem causa Prælatos hujus almæ Provinciae impulit, hanc Theologici, sicut & Philosophici Cursus editionem præcipere, qua redimi tempus, maturo rectoque judicio arbitrantur: neque exiguus expectatur proventus; nam & Lectores addicti, & dediti ad explicationem Sacrae Theologiae, illum magis intelligent; & discipuli illos audientes, inter ipsosque disceptantes, & excusso scribendi labore, abs dubio magnopere proficient. Insuper, si quam plures doctissimæ Ordinis Provinciae, & litteratissima Dominicanorum familia, aliaeque præclarissimæ id ipsum utilitatis causa, & ad plura obvianda inconvenientia, honoratè, & hilariter exequuntur; quænam ratio suadebit nostrates ad

oppositum tuendum , & ad terendum , & consu-  
mendum tempus in scribendis, quæ discipuli, fini-  
ta Scriptura , nec legere,nec intelligere queunt?

In compila.  
Stat. Gener.  
c.5. §.1. f.28

Cap. cod.  
§. 6. fol.  
137.

Cum regula ( inquiunt statuta generalia ) Pre-  
dicatoribus præscribat , ut eorum verba sint exami-  
nata , & hoc sine scientia fieri non possit ; ac etiam  
moneat , ut fratres laboribus honestis exerceantur , de  
quorum numero planè est Sacrae Scripture , & bona-  
rum artium ad eam intelligendam studium ; exhorta-  
tamur Prelatos omnes juxta Legislatori nostri moni-  
ta , ut litterarum studia in ordine promoteant : est  
enim scientia donum Dei , armatura ad defendendam  
veritatem , & ductus ad dirigendos in viam salutis  
fideles Populos. Et quia concertatio Scholastica inter  
Doctorem Subtilem , & alios Magistros exor-  
ta , experientia sæculorum probante , omnino utilis ,  
ac valde proficia , & Ecclesiæ , & Religioni nostræ  
semper extitit ; cum ingenia maximè aquat , Scholas  
nitriat , veritates diligentius investigandi vias ape-  
riat , ac doctrinæ soliditatem foveat ; idcirco prefati  
studiorum Lectoribus præcipimus , ut semper ejus-  
dem Doctoris Subtilis doctrinam adamassim sequi ,  
ejus opiniones defendere , atque ipsius mentem accu-  
rate explicare conentur. Si autem aliquis Lector Sco-  
ti doctrinæ voce , vel scripto , exprofesso se opposuerit ,  
Lectoratu absolute privetur. Hucusque gene-  
raliæ statuta , quibus consonat nostra municipalis  
lex. Rationes possunt videri apud Illustrissimos  
DD. RR. Samaniego , & Cornejo , in vita Maria-  
ni Doctoris. Duæ præcipuae sunt ; quia Princeps  
nostr. Subt. omnium veterum Theologorum doc-  
trinam sedulò , & serio ad stateram appendit , &  
exactissimè pensatis omnibus , propriam senten-  
tiā invicta ratione , & authoritatibus , præsertim  
Magni Parentis Aug. firmavit. Alia ratio est , ob-

tenerimum in Purissimam , ac Immaculat. Dei Matrem affectum , qui ingenium illud subtile dulciter angebat , ut ipsam à misera Proto-Parentis dabe immunem ostenderet ; quod foeliciter in Parisiorum congressu , jussu Benedicti XI. inter Doctores inito Patrocinante Scoto , totius Orbis plausu expertum est.

Justa quidem , & justè stabilita ! Hoc enim semper fuit Seraphici Parentis nostri ex præcordijs votum , ut nempè , filij sui animarum saluti incessanter incumberent ; quia divini spiritus zelo agitatus , non ut sibi soli viveret , sed alijs proficeret , fuit divinitus instructus . Jam autem quomodo sibi & alijs proficient , si deficit christiana , religiosaque educatio , scientia , nempè , eorum , quæ Christianum hominem , & Religiosum eformare confueverunt ? Quis igitur ignorat , ( ait Lypsius ex D. Bonavent. ) cunctas irreligiositates , imò , & omnis generes nequitias in Rempublicam , ut plurimum invehi ex hominum ignorantia ? Ecce quanta est necessitas scientiæ salutis , quam nostra statuta commendant , Prælatos omnes exhortando , ut sacrarum litterarum studia , juxta nostri Seraphici Legislatoris monita , in subditis suis vigilanter promoteant.

Lypsius  
in Pro-  
log. ad Lect.

At quomodo suum optatum sortientur effectum , si relinquantur Lectores abire in adventionibus suis ? Commune vitium est ( ut bene advertit Doctis. Pater Arsdekin ) naturæ lapsæ , antiqua fastidire , ad nova semper anhelare : semper , inquit Seneca , præsentibus est infesta lævitas , & proprium est ægri animi , nihil diu pati . Hinc passim nova videndi , delibandi , audiendi , summa cupido . At veritas , & virtus perstat semper immutabilis , & novitatis nescia ; hinc adhuc Nova-

torum genius fallax commune studium ponit, no-  
vitatem falsæ doctrinæ, veritatis ac virtutis fuso  
convestire : suos igitur errores his artibus, ac pig-  
mentis decoratos, tanquam Patrum antiquorum,  
Sti. Augustini, & ipsius Scripturæ oracula, incau-  
tis proponunt. His accedit proponentis fallax gra-  
tia, frons blanda, lepor stylī, & conciliatrix ani-  
morum facundia, quibus simpliciores capi necesse  
est, nisi sāpius recolant necessarium illud Christi  
monitum : *Venient ad vos in vestimentis ovium; in-  
trinsecus autem sunt lupi rapaces.* Ecce quot incom-  
moda, quot ve absurdæ ex libera interpretandi  
facultate, quam quisque pro suo libito habere de-  
siderat ! Et quomodo cavebunt hunc Novatorum  
genium, qui dum vix gustarunt scientiam salutis,  
scilicet Sacram Theologiam, quæ pro statu viæ  
regina est scientiarum, attingens à fine usque in  
finem omnia scibilia, prout ad Deum referuntur,  
jam nauseat anima illorum super cibo isto, &  
discipulis non veritates Theologicas, sed fabulas quo-  
dammodo Philosophicas docent, & prædicant ?  
Qui enim agnitam veritatis viam sponte deserunt,  
quid nisi vanus populus sunt ? Qui etiam in præ-  
cipitium suos mergunt discipulos ; quibus non sa-  
lutaria, quæ corrigant ; sed quæ illos delectent  
erronea prædicant ; de quibus appetè subditur:  
hi sunt fontes sine aqua. Iſti sunt illi Magistri ha-  
bentes scientiam terrenam sine charitate. Undè D.  
Bernardus: Mentes impiæ contentæ scientijs, quæ  
inflant ; eam autem quæ edificant, nempè, Sa-  
cram Theologiam, nescierunt : Luciferi quidem  
tales sunt, non igniferi. Undè loquens Bernar-  
dus diabolo, ait : o Lucifer, si fuisses ignifer,  
nunquam cecidisses.

Hæc, & alia horribilia, quæ ex nociva dis-  
cur-

currendi libertate oriuntur , amare flebat jam à principio nascentis Religionis Doctissimus noster Alvarus Pelag. discipulus auditor Subtil. Mar. Doct. in suo aureo opere , de Planctu Eccles. lib. 2. cap. 33. 34. 49. & alibi sèpè , dicens : Lectores conantur differentia subtilia , non utilia , contra id : *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia* , Isai. 48 . ut videantur ab hominibus , & vocentur Rabbi ; & sic confundunt auditores. Præcipue in hoc offendunt Magistri Parisienses ; & in Anglia : in Auxonia , tám sœculares , quàm Religiosi , &c. quorum aliquorum arrogantia inexplicabilis , & usque ad illius Luciferi corruentis , ascendit : in quorum Scholis non Prophetæ , non lex Moysis sancta , non Christus sapientia Patris , non ejus Sacrosanctum Evangelium , non Apostoli , non Sancti DD. Ecclesiæ audiuntur : sed reboat , & resonat Philosophus idolatra , & commentator ejusdem , cum cœteris liberalium artium pedagogis ; adeòque in Scholis Sacræ Theologie , non sermo facer , sed Philosophia legatur. Immò nec jam textum sententiæ Catholicum legunt Lectores in Scholis , nec baccalaurij Magistrorum ; sed ad quæstiones properant curiosas , ut ad litteram appareant , non existant. Isti sunt de quibus propriè dicit Hieron. ad Dama. Papam : Physici perscrutationes oculos trans cœlum levantes , & ultra profundum terrarum , & abyssi in quoddam inane demerguntur , in vanitates sensus , & obscuritate mentis ingredientes ; & insuper diebus , & noctibus in arte dialectica se torquentes , &c.

Sed non in dialectica placuit Deo salvare Populum suum ; Regnum enim Dei in simplicitate fidei est ; non in contentione sermonis. Hinc Hieronymus Sciniphes , & ranas , quibus Egyptij sunt percuti , vanam dialecticorum garrulitatem , & sophistica argumenta intelligit. Hinc Paulus Theographus , & Doctor Seraphicus ad Colos. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam* , &

nique ex Angelorum Tractatu. Tertius verò Tomus erit Dogmaticus , continens Tractatum de Vera Religione, ubi de Sacra Scriptura , traditionibus Dominicis , & Apostolicis , ac de Definitionibus Ecclesiæ , de Tribus Virtutibus Theologicis ; quibus coronidem methodus concionandi imponet. In aliud motivum hujus nostræ almæ Provinciæ ad hanc imperandam editionem ; quia hac via abs dubio uno in anno plus docebunt Lectores , plusque discipuli ediscent , quam cum ingenti labore assidua Scripturæ trium annorum.

*Negare non possum , nec debeo , sicut in ipsis majoribus , ita tam multa esse opusculis in meis , que possint justo judicio , & nulla temeritate reprehendi. Ita de operibus suis sentiebat humiliter Div. Aug. Si ergo Sol Ecclesiæ ita demisè de suis aureis libris existimabat : quis tam superbus erit , quod aliter de suis scriptis judicet ? Ab omnibus igitur , qui in istis lucubrationibus invenient , quod jure reprehendant , lubens monebor , ab ijsque veniam , ab alijs in judicando candorem præcabor: lectorem benevolum enixe rogans , ut easdem lucubrationes sereno vultu , animoque benigno suscipiat. Prodeant utinam omnium profectui ; nullius æmulationi. Prodeant , inquam , in Laudem , & Gloriam Dei O. M. ejusque dignissimæ Matris ; Seraphici Parentis nostri Sancti Francisci , atque ejus Filii Sancti Antonij Paduani in honorem ; quibus , Sanctæque Romanæ Ecclesiæ judicio , & correctioni me , meaque scripta , & Deo favente scribenda totaliter , atque libenter submitto.*

VALETE.



# PROLOGUS SACRAE THEOLOGIAE SCOTICÆ.



Ubtillissimus Marianus Doctor, Princeps, Magister nost. Joannes duns Scotus, priusquam nobis proponeret ea, de quibus Sacra Theologia agit, Prologum instituit, in quo per tres Quæstiones principales quidquid ad ipsius Theologia Sacra naturam causas, proprietates, & qualitates pertinet, subtiliter exagitavit. Cum quo, sit

## QUÆST. I. PROLOGI.

Utr. *HOMINI PRO STATU iſo* fit ne effarium, aliquam doctrinam specialem supernaturaliter inspirari, ad quam non posset attingere lumine naturali intellectus?

**I**N ista quæstione est controversia inter Philosophos, & Theologos. Tenant enim Philosophi perfectionem naturæ, & negant perfectionem

supernaturalem. Theologi vero cognoscunt defectum naturæ, & necessitatem gratiæ, & perfectionum supernaturalium. Philosophi dicunt, sufficere philosophiam Metaphysicam, aliasque scientias naturales ad cognoscendum omne id, quod cognosci oportet ab hominibus pristino mortalitatis statu. Theologi autem asserunt, non sufficere scientias naturales, sed necessariam esse aliquam doctrinam supernaturalem. Cum quibus sit.

**2 CONCLUSIO NOSTRA:** Hominibus viatoribus , seu pro isto statu est necessaria aliqua doctrina supernaturalis , ut via ordinaria salutem consequantur , seu salventur. Probatur professor a N. subtilissimo Doct. quæst.  
 1. Prolog. Omne agens propter finem necessario debet tria cognoscere , scilicet , qualiter finis sit acquirendus ; si enim quis nesciat qualiter finis sit acquirendus , ad illius consecutionem non poterit se accingere. Secundo debet cognoscere , quae media ad illius consecutionem conducunt ; quia si media necessaria ignoraret , non usurpavit illa. TERTIO debet cognoscere , quod omnia ista sufficiunt ad finis consecutionem ; aliter enim non prosequetur finem efficaciter : Sed omnia ista non possunt homines viatores , qui sunt agentes propter finem , cognoscere absque doctrina supernaturali : Ergo illis necessaria est. Prob. min. Beatitudo , quae est finis hominum viatorum , confertur tanquam præmium pro meritis , quae Deus acceptat ; & ista merita fiunt , vel per Sacra menta , vel per alia opera ordinata a Deo voluntarie , & contingenter : sed omnia ista non possunt cognosci ratione naturali : Ergo viatores homines ratione naturali cognoscere non possunt ea , quae

sunt necessaria ad salutem , scilicet gloriam consequendam.

3. Probatur secundo ex ipso Doctore subtili : omni agenti propter finem est necessaria distincta , & determinata cognitio sui finis : Sed homines viatores nequeunt habere talem cognitionem absque notitia revelata , seu supernaturali : Ergo hanc illis necessaria est. Prob. min. Finis hominis est beatitudo , nemper fruitio Dei præsupponens claram ipsius Dei visionem , ut suo loco , Deo dante , dicimus : Sed homines viatores nequeunt cognoscere determinate , certo , & distincte hanc beatitudinem absque doctrina revelata ; Ergo nequeunt cognoscere distincte , certo , & determinate suum finem sine notitia supernaturaliter inspirata. Prob. min. Homines viatores acquirunt cognitionem naturalem , seu omnes naturales scientias , ex rebus , & principiis naturalibus : Sed nulla sunt naturalia principia concludentia , beatitudinem , seu fruitionem , & claram Dei visionem esse finem hominis : Ergo nequeunt acquirere naturaliter cognitionem determinatam , distinctam , & certam beatitudinis. Prob. min. Si aliqua essent principia naturalia demonstrantia beatitudinem , aut essent illius causae , aut effectus : Atqui in naturalibus

nulla est causa beatitudinis, com  
solum dependeat à libera Dei  
dispositione; & deinde neque  
experimur aliquos effectus illius  
pro hoc statu, ut ex se patet.  
Ergo in naturalibus nulla sunt  
principia demonstrantia beatitu-  
dinem.

4 ARGUNT. I. Ex Philo-  
sopho 3. de Anima, ubi dicit,  
„quod intellectus agens est, quo  
„est omnia facere, & intellec-  
„tus possibilis est, quo est  
„omnia fieri. Ex hoc arguitur  
sic: Activo naturali, & natu-  
rali passivo debite approxima-  
tis, & non impeditis, neces-  
sario sequitur actio: Sed acti-  
vum respectu omnium intelli-  
gibilium est intellectus agens,  
& passivum est intellectus pos-  
sibilis, & hæc sunt naturaliter in  
anima, nec sunt impedita, ut  
patet; Ergo virtute naturali if-  
torum potest cognosci quodlibet  
cognoscibile; ac perconse-  
quens potest cognosci finis ho-  
minis naturaliter: Ergo non  
est necessaria supernaturalis  
doctrina. Respond. Ex subtili  
Doctore distinguendo majorem;  
posito activo, & passivo adæ-  
quatis, concedo; inadæquatis,  
nego. Similiter distinguitur min-  
or. Intellectus agens respectu om-  
nium intelligibilium est acti-  
vum inadæquatum, concedo:  
Adæquatum, nego; Et nego  
consequentiam. Etenim preter

intellectum requiritur objectum  
tanquam principium activum  
partiale, nam ex his duobus,  
potentia, scilicet, & objecto  
conflatur principium activum  
totale intellectionis; nam ex  
Aug. 9. de Trinit. cap. ultim.  
à cognoscente, & cognito pari-  
tur notitia.

5 Replicabis: Intellectus  
pro hoc statu potest cognoscere  
naturaliter objectum Theologi-  
cum: Ergo non est principium  
inadæquatum, sed adæquatum  
cognitionis. Prob. aūs. Quæli-  
bet potentia, quæ versatur cir-  
ca aliquod objectum com mu-  
ne, potest quoque versari circa  
quodlibet particulare conten-  
tum sub illo: Sed objectum  
nostrī intellectus est ens in com-  
muni, sub quo continetur ob-  
jectum Theologicum: Ergo in-  
tellectus potest naturaliter cog-  
noscere illud. Major patet,  
tum à paritate de objecto vi-  
sus; nam eo, quod color sit ob-  
jectum adæquatum illius, potest  
naturaliter attingere quemcum-  
que colorem. Idem est de aliis  
potentiis. Tum ratione: nam  
primum, & adæquatum objec-  
tum dicitur, quod neque exce-  
dit potentiam, nec ab illa exce-  
ditur: Sed si intellectus non pos-  
set naturaliter attingere quod-  
libet contentum sub ente, ex-  
cederetur à suo objecto totali,  
& adæquato. Ergo, &c. Res-  
pond.

pond. cum Doct. neg. anteced. ad cuius probationem disting. maj. Qualibet potentia potest versari circa objectum particolare contentum sub objecto illius naturalis attingentiae, Conc. Contentum sub objecto communi naturalis inclinationis, neg. maj. & dist. min. Ens in communi est objectum intellectus naturalis attingentiae, neg. min. Naturalis inclinationis, conc. min. & neg. consequiam. Nec paritas tenet; nam color est objectum visus secundum naturalem attingentiam; Idem est de aliis potentias materialibus. Neque probatio à ratione aliquid urget; nam nullum est inconveniens, quod objectum inclinationis intellectus excedat objectum naturalis attingentiae sua. Etenim objectum attingentiae nostri intellectus pro hoc statu est ens sensibile; nam ejus omnis cognitio dependet à sensu. In statu autem separationis est ens finitum, & proportionatum potentiae, quod potest ex principiis naturalibus attingere. Cum autem detur aliud objectum, scilicet, ens infinitum ad quod inclinatur, & cuius est capax noster intellectus; hinc est, quod objectum illius secundum naturalem ejus inclinationem est ens in tota sua latitudine; prout sub se continet ens infinitum,

quod est objectum nostrae beatitudinis, & quod attingere non valet, absque superno jubamine.

6 Aliter ex eodem Doctore potest responderi ad argumentum negando maj. nempe, quod quilibet potentia habens pro objecto aliquod commune, possit attingere quolibet contentum sub illo; quia intellectio, & attingentia alicujus contenti potest esse multo excellentior intellectione, & attingentia talis communis. Hoc aperte patet in nostro casu; quia ens in communi non est ita perfectum sicut Deus est: Ergo quamvis concederemus, quod ens prout commune ad Deum, & creaturas sit objectum motivum, & naturalis attingentiae nostri intellectus; adhuc tamen negare possumus quod Deus sit ens naturaliter attingibile nostri intellectus. Solùm ergo concedimus, quod potentia, quæ versatur circa aliquod commune, versatur etiam circa omnia contenta sub illo, vel per attingentiam, vel saltè per inclinationem,

7 Replicabis: Sensus est inferior intellectu: atqui sensus potest attingere naturaliter, & absque superno jubamine quacumque objecta contenta sub primo suo objecto: Ergo, & hoc à fortiori poterit intellectus;

tus : alias natura deficeret in necessariis, quod est contra Philosophum 3. de Anima. Resp. Ex subt. Doctore neg. conseq. & paritatem. Ratio est, non quia intellectus sit imperfector sensu, sed quia est perfectior ; propter quam maiorem perfectionem ordinatur ad obtinendam supernaturalem aliquam perfectionem, quam natura nequit illi conferre, & solum potest illam producere, & inducere agens supernaturale: non sic est de inferioribus potentias, quarum perfectio ultima potest sub esse actioni agentis naturalis. Nec per hoc sequitur, naturam deficere in necessariis ; quia quoad cognitionem naturalem omnia requisita confert intellectui : non tamen ea confert quoad cognitionem supernaturalem, quod non est residendum in imperfectionem potentia, aut deficientiam naturae ; sed in perfectionem objecti excedentis activitatem naturae, & non potentiam passivam intellectus, nec inclinationem illius.

8 ARG. II. Cuilibet potentiae passiva naturali debet correspondere potentia activa naturalis, quæ illam in actum reducat ; alias illa potentia passiva esset frustranea : Sed intellectus passibilis habet potentiam passivam, cuiuscumque cogni-

tionis homini necessaria : Ergo, intellectus agens, qui est potentia activa illi correspondens poterit producere quamcumque cognitionem homini necessariam. Sed cognitionem supernaturalem nequit intellectus agens per se solum producere: Ergo talis cognitio non est homini necessaria, nec inducibilis in intellectu passibili. Respond. cum Doct. neg. maj. quia multæ sunt potentia, quæ recipiunt perfectionem ita eminentem, ut a nullo agenti naturali conferri queat, sicut patet in proposito : neque tamen potentia passiva est frustranea ; quia sufficit, quod possit reduci ad actum per aliquid agens, quamvis sit supernaturale. INSTAB. Ergo minor est potentia activa intellectus agentis, quam potentia receptiva intellectus passibilis? Resp. conc. conseq. quia ad producendam cognitionem multo plura requiruntur, quam ad illam recipiendam ; nam ad receptionem solum requiritur capacitas intellectus patientis, quæ ex se indifferens est ad recipiendam quamlibet cognitionem productam ab agenti naturali, aut supernaturali ; cum hoc descremine, quod ut recipiat cognitionem naturalem, postulat concursum naturalem ; & ut recipiat supernaturalem, indiget supernaturali concursu. Ad

pro-

productionem cognitionis, non sufficit activitas intellectus, ut jam diximus; sed requiritur etiam objectum móvens per proportionata phantasmatæ; & cum finis ultimi hominum, & mediorum ad illius consecutio- nem non dentur phantasmatæ, nec species naturales, quæ mo- veant intellectum agentem; mi- rum non est, quod intellectus passibilis possit recipere ali- quam cognitionem, seu spe- ciem, quam intellectus agens producere non potest.

9. ARG. III. Si esset nece- saria prædicta supernaturalis doctrina, eo esset, quia poten- tia in puris naturalibus est im- proportionata, & oportet per aliquid aliud proportionari: In- quiritur nunc: illud aliud, aut est naturale, aut supernatura- le? Si est naturale; Ergo ad- huc remanet improportionata? Si supernaturale? Ergo illi est impropotionata potentia, & oportet proportionari per aliud, & sic in infinitum: Sed non est procedendum in infinitum: Er- go dicendum est, quod poten- tia intellectiva ex se, & absque aliquo supernaturali est pro- portionata ad omnem cogni- tionem sibi necessariam; ac per consequens non est necessaria su- pernaturalis doctrina. Respond. cum Doct. concedendo assump- tum argumenti. Cum autem

arguis: Igitur sit proportionatus intellectus per aliquid aliud, conc. Sed per aliud in ratione moventis, quia per movens su- pernaturale revelans assentit ve- ritati necessaria; & per aliud in ratione formæ, quia per istum assensum factum in ipso, qui est quasi quædam inclinatio in intellectu ad illud objectum, & tale objectum proportionans intellectui. Cum ultra de illo alio quæris, an sit naturale, vel supernaturale? Dico, quod supernaturale, sive intelligas de agente, sive de forma. Cum infers: Ergo intellectus est im- proportionatus ad illud; nega- tur consequentia; quia in se est in potentia obedientiali ad agens, & ita sufficienter pro- portionatus, ut ab ipso movea- tur. Similiter ex se, & naturaliter est capax illius assensus causati à tali agente; sicut & in voluntate reperitur naturaliter obedientialis potentia, & capa- citas, ut recipiat charitatem, qua Deum meritorie diligere potest. Videatur subtilis Doct.

10. ARGUUNT ULTIMO: Si esset necessaria hominibus viatoribus aliqua supernatura- lis doctrina, squeretur, quod si homo inter Turcas, Paganos, & Infideles servaret Legem na- turalem, non posset salvari ex defectu talis doctrinæ superna- turalis: Sed hoc est contra mi-

tericordiam , & justitiam Dei ; quia videtur acceptator personarum , & talem hominem damnaret absque culpa ; quia sine culpa non habebat ea , quæ ad salutem sunt necessaria : Ergo dicendum est , quod non est necessaria prædicta supernaturalis doctrina . Resp. cum Doct. quod ex hoc ad summum sequitur non esse necessariam supernaturalem doctrinam ad salutem consequendam , de potentia Dei absoluta , seu extraordinaria ; quod libenter fatemur ; nam Deus non est alligatus Sacramentis , nec alijs Causis secundis , & potest facere se solo quidquid facit per ipsas , nisi sequatur aliqua contradictionis , qualis in presenti non sequitur , ut ex se patet . Praterea ex eo ponimus necessitatem doctrinæ revelatae , quia sine ea non possent homines elicere opera meritoria sui ultimi finis ; sed in talibus meritis potest Deus dispensare de potentia extraordinaria , & absoluta : erg. & etiam dispensare potest in supernaturali doctrina . Concludimus ergo , quod si inter Turcas , aut in deserto aliquis homo servaret ad unguem legem naturalem , quod Deus pro- videret abs dubio de illo ; aut mittendo Ministros , vel Angelos , qui illum instruerent in lege , & doctrina supernaturali , ut fecit cum Cornelio ; aut alio-

modo ex infinitis , quos in The sauro Divinæ Sapientiæ habet .

## QUÆSTIO II.

Utr. PRÆFATA SUPERNATURALIS doctrina sit Sacra Theologia .

QUOMODO ILLI SUPERNATURALITAS conveniat , & an sufficienter sit tradita in Sacra Scriptura ?

I P R O hujus questionis intelligentia , notandum est primo , quod Theologia nomen est græcum , & apud Latinos nihil est aliud , quam ratio , seu sermo de Deo ; quia Theos , vox græca , significat Deum , & logos significat scientiam , seu sermonem . Hæc est generalissima Theologiæ acceptio ; quare si nominis vim , & significacionem spectemus , pro quacumque doctrina , sive naturali , sive supernaturali de Deo , & rebus Divinis sumi potest . Quapropter , & inter Hethnicos nonnulli dicti sunt Theologi , ut observat S. Augustinus lib . 8. de Civit. Dei c. 4. & Arist. in hoc sensu appellavit Theologiam Metaphysicam ; quia agit de Ente ut sic , sub quo continetur hoc Ens Deus . Strictius autem summittur Theologia pro illa doctrina , scilicet notitia , quæ vir-

virtute luminis supernaturalis divinas veritates contemplatur. In hoc ergo sensu dividitur communiter ratione methodi in positivam, scholasticam, moralem, & dogmaticam. Theologia positiva est, quæ occupatur præcipue circa Scripturæ explicationem, sensum illius, tam litteralem, quam mysticum eruendo, ad hoc potius utens Conciliorum, aut Sanctorum Patrum Authoritate, quam argumentatione. Dicitur autem positiva, quia ponit, & tradit füssiori, & quasi oratorio stilo Articulos fidei, Sacras Scripturas, Traditiones Apostolicas, Decreta Pontificum, definitiones Conciliorum, & Patrum doctrinam; quæ omnia sunt principia, & præmissæ, ex quibus suas Conclusiones deducit Theologia Scholastica.

**2 SCHOLASTICA**, autem Theologia est, quæ Philosophico more, seu modo argumentativo conclusiones elicit, & probat ex ante dictis. Primo modo, seu positive docuerunt Sacram Theologiam D. Augustinus, Gregorius, Ambrosius, Hieronymus, &c. Immo & ipse Christus Dominus, ejusque Discipuli, ut constat Mathei 22: Ubi Christus per discursum vere Theologicum ex veteri Testamento confutavit Saducaos, & Iudeos, & eorum Sophismatha

solvit. Immo, & hæc Sacra doctrina, quæ versatur in tradendis fidei Mysterijs non solum fuit in Moyse, & post Moysem in Sacra Scriptura, sed etiam a primo mundi origine in primo parente, quia accepit a Deo cum alijs donis gratia cognitionem fidei, quam nos profitemur; & hoc non solum positivæ, sed etiam aliqualiter scholastice, deducendo plurimas Conclusiones ex fidei principijs, illustrando ipsius veritates rationibus, & exemplis, & illas contra Adversarios defendendo. Quod videatur aperte esse aliqualis methodus Scholastica, licet non cum integra perfectione, qua nunc gaudet Sacra Scholastica Theologia.

**3 PRIMUS** ergo, qui more Academicorum per Dialecticas regulas Sacram Thcologiam magis perfecte aptavit, dicunt, fuisse Clementem Alexandrinum, & post ipsum fuit S. Ioann. Damascenus, quen sequi sunt non pauci DD., qui propterea Scholastici nominati fuerunt; inter quos primatum tenet Petrus Lombardus, Episcopus Parisiensis, qui per Antoniasiam *Magister sententiuarum* vocatur; hic enim Sanctorum Patrum sententias, & præsertim D. Augustini ad dogmata fidei pertinentes in quatuor libros more rigurose scho-

lastico conscripsit. Hunc imitati posteri sunt, Alexander de Ales, Minorita, qui ob summam eruditionem dictus fuit, *Fons vi-  
tae*, & *Doctor irrefragabilis*, sicutque S. Bonaventuræ, & S. Thomæ, Lector. Iste fuerunt duo præclara Ecclesiæ lumina, & pene Discipuli supra Magistrum, quia inventis facile est addere. Post præfatos surrexit Nost. Ioannes Dunsius Scotus, quem jure omnes qui ipsius doctrinam scrutati sunt, vocant Philosophorum apicem, Theologorum verticem, omnis disciplinæ Sacrum, veritatis illustratorem splendidissimum, omnibus Solem nitidissimum, & noctuis tantum obscurum. Horum igitur trium Doctorum authoritas, & doctrina, tanta, ac tam plausibilis fuit usque in diuini nam diem, ut tota Schola Theologica in tres classes sit divisa, nempe, Seraphicam, Angelicam, & Subtilem; quibus accedunt spiritualis nominalium, & libera, quæ in nullius Magistri verba jurans, dicit: sit amicus Plato, sit tamen magis amica veritas.

4 THEOLOGIA autem Moralis est, quæ immediate intendit mores hominum dirigere, de virtutibus, & vitijs agendo, & quid in actibus nostris honestum, aut in honestum sit quidque ad finem ultimum du-

cat, vel ab eo impedit, docendo. Unde Moralista ex ejusdem principijs Theologæ positivæ, & Scholastica docent quid in particulari agendum, vel vitandum sit. Prout, vero, ex professo pugnat contra Hæreticos, illustrando, & vindicando nostra Catholica fidei veritates, dicitur Dogmatica, seu Polemica Theologia. Ex quibus omnibus patet, hanc divisionem Sacra Theologia esse valde accidentalem; omnes enim habent idem objectum, & eadem principia, & solum differunt in modo procedendi. Iftis additur alia Theologia, quæ vocatur Mystica, & est notitia Divinorum comparaata in oratione, & contemplatione modo supernaturali. In hac Sacra Theologia mirifice excelluit Seraphicus Nost. Paren, D. Bonaventura, & aliis Paren Nost. D. Petrus de Alcantara, qui altissimæ contemplationis munere à Deo illustrati fuerunt.

5 RATIONE vero Subjecti dividitur Sacra Theologia in Theologiam Dei, Beatorum, & Viatorum. Theologia Dei est notitia, quam ipse Deus habet de se, per lumen increatum, & dicitur comprehensiva, quatenus Deus sua infinita cognitio ne se comprehendit, & dicitur increata ratione luminis cui inititur. Theologia Beatorum

est, quæ innititur lumini supernaturali creato, sed claro, scilicet, lumine gloriæ, quod Beatis datur ad Visionem beatificam. Theologia denique Viatorum, seu nostra, est, quæ innititur lumine supernaturali, creato, & obscuro, nempe lumine fidei, quod nos illuminat, dum sumus in hoc caliginoso loco, ad cognoscenda necessaria pro consecutione vita æternæ. Hæc etiam potest esse infusa, qualis fuit in primo Parente, in Prophetis, Apostolis, & alijs Sanctis à Deo miraculosé edoc-tis: & qualis est in nobis, sumpta pro habitu fidei, qui in Baptismo infunditur. Et potest esse acquisita, qualis est, quæ studio, labore, ac diligentia nostra comparatur. Ex his omnibus potest intellectus abstrahere rationem notitia Theologica, quæ sit illis communis, & vocatur Theologia in se, quæ est notitia nata haberi de objecto Theologico non determinando hoc, aut illud subjectum.

**6 NOTAND.** est 2. Quod hæc Sacra Theologia communiter accipitur, primo, pro fide infusa in Baptismo, quæ est prior, & principalior habitus ad Theologiam Sacram pertinens. Secundo accipitur pro notitia actuali, seu habituali Articulorum fidei, quæ acquiritur per auditum, iuxta illud: *Fides ex*

*auditu;* qua notitia homo fidem præbet veritatibus revelatis propositis sufficienter à docente, seu prædicante: quomodo audiunt sine prædicante? Quam notitiam etiam rudes assequi possunt. Tertio accipitur pro notitia Conclusionum deductarum per discursum ex objecto materiali fidei, quam notitiam solum litterati magis, minusve, possunt, & debent habere.

**7 PRO 2.** quod inquirit quæstio, notandum est cum Subtili Doctore quod naturale multipliciter potest sumi. Primo prout oponitur violento, & neutro, in quo sensu subiectum dicitur habere potentiam naturalem, quando forma est iuxta suam inclinationem; quando autem forma est contra inclinationem subiecti, est illi violenta; quando vero nec est iuxta nec contra eius inclinationem, dicitur neutra. Si nomen naturale consideratur in agente, vel dicitur naturale prout oponitur libero, & in hoc sensu agens naturale est, quod positis omnibus requisitis ad agendum, necessario agit, seu est determinatum ad unum, nempe, ad effectum pro quo erant dispositio-nes, ut Ignis dispositus ad producendum ignem; quia agens liberum non est ad unum determinatum, sed positis omnibus requisitis ad actionem, potest

est illam suspendere , & pone-re contrariam illi, ad quam erat dispositum, ut voluntas respec-tu volitionis , & suspensionis il-lius , & ad positionem nolitio-nis. Denique aliter dicitur agens naturale prout opponitur supernaturali , & est agens po-tens producere iuxta ordinem rerum naturalium aliquam for-mam in subiecto, & tunc subjec-tum respectu illius dicitur esse in potentia naturali ; quia su-pernaturale agens est illud quod pro-ducit formam in subiecto supra omnem ordinem rerum naturalium ; & tunc subiectum dicitur esse in potentia obedien-tiali respectu agentis.

8 EX quo colligitur; Quod si subiectum comparatur ad for-mam , dicitur , habere poten-tiam vel naturalem , vel neu-tram. Si vero comparatur ad agens , dicitur habere poten-tiam , vel naturalem , vel obe-dientiale. Similiter forma po-test comparari , vel ad agens , vel ad passum ; Si comparatur ad agens , erit vel naturalis , vel su-pernaturalis : Si ad passum vero comparetur , dicitur vel naturalis , vel violenta , vel neu-tra. Ulterius adhuc respectu agentis potest dici forma super-naturalis dupliciter , primo , prout est ab agente producente supra rerum naturalium ordi-nem , ut si Deus in instanti pro-

duceret omnes naturales scien-tias in aliquo intellectu. Secun-do prout provenit ab agente non solum producente supra re-rum naturalium ordinem , sed etiam supplendo vicem objecti supernaturalis , quod non inven-nit in supra posito exemplo de naturalibus scientijs , quorum objectum est naturale , & vicem illius supplebit Deus , produ-cendo scientias. Quando autem producit aliquam scientiam seu notitiam , cuius objectum non est naturale motivum , seu na-turalis attingentiae intellectus creati , tunc talis scientia , seu notitia est supernaturalis utro-que modo dicta.

9 ULTIMO est notandum iuxta dicta in proœmialibus lo-gicæ Disput. 2. q. 10. Quod ne-cessarium est , quod aliter se ha-bere non potest iuxta Arist. 5. Metaph. : & est duplex in ordi-ne ad consecutionem alicuius finis , aliud simpliciter , & aliud secundum quid. *Necessarium simpliciter* , est illud sine quo fi-nis consequi non potest , ut res-piratio ad vivendum. *Necessa-rium secundum quid* , est illud sine quo absolute finis consequi potest ; licet non ita commode , nec ita facile , ac cum illo , ut Equus ad iter faciendum. Dein-de , adhuc dupliciter summitur *necessario simpliciter* , scilicet , *Physicæ* , & *Moraliter*. Hoc vi-dea-

deatur loco citato. Insuper necessarium potest esse necessitate medij; & necessarium necessitate præcepti. Primum est; sine quo finis consequi non potest iuxta legem Dei ordinariam; & hoc sive sit præceptum, sive non: Sic gratia habitualis, Fides, & Pœnitentia in peccante mortaliter sunt necessaria. *Necessarium necessitate præcepti*, est sine quo salus adhuc haberi potest, si omissionem illius excusat rationalis causa: ut ignorantia invincibilis præcepti, vel impossibilitas, ad impletionem illius. His notatis. Sit.

10 CONCLUSIO prima: Superna doctrina homini viatoris necessaria ad salutem est nostra Sacra Theologia. Probatur: Quia Sacra nostra Theologia, vel sumitur pro habitu Fidei infuso in Baptismo, & in hoc sensu certum est, & de fide, esse necessariam cuilibet homini viatori, & hoc simpliciter, & necessitate medij; quia *sine Fide impossibile est placere Deo*. inquit D. Paulus ad Hæbreos 11. vel sumitur pro notitia actuali explicita, vel implicita articulorum Fidei; & sic etiam est certum esse necessariam cuilibet adulto, seu usum rationis habenti, & habenti præceptorum, enique potenti intelligere, ut Deo dante in Materia de Fide dicimus. Vel sumitur nostra Sa-

cra Theologia pro notitia Sacra Scriptura, & Conclusionum deductarum ex Fidei veritatibus immediate revelatis; & sic etiam est necessaria necessitate medij, & præcepti toti Ecclesiæ pro singulis hominibus, licet in singulis non sit necessaria. Hæc secunda pars per se est manifesta; quia multi sunt boni Christiani, & Catholici, qui tamen non habent Sacram Theologiam in hoc sensu acceptam.

11 SECUNDA vero pars, Prob. sic: Nam Fides Thcologica, & Scriptura Sacra sunt simpliciter necessariae necessitate medij ad salutem: atqui Sacra nostra Theologia est simpliciter necessaria ad tuendam Fidem, & Sacram Scripturam: ergo etiam est necessaria toti Ecclesiæ simpliciter, & necessitate medij. Major cum Consequentia tenet: Minor prob.; Nam in primis Sacra Theologia est, qua, teste D. Augustino, Fides gignitur, nutritur, roboratur, atque defenditur: Deinde in sacris litteris multa sunt obscura, & intellectu difficultia: Sunt difficultia quædam intellectu (inquit D. Petrus 2. Ep. cap. 3.) quæ indocti, & instabiles deprabant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem: Ergo ad veritatem talium difficultatum stabilendam est necessaria aliqua Doctrina.

Sed

Sed talis est nostra Sacra Theologia : Ergo &c.

12 DEINDE ; Necessarium est simpliciter , & necessitate medijs in Republica Christiana esse Doctores , quibus incumbat instruere alios in rebus Fidei , Scripturæ Sacræ , & rerum conductentium ad salutem , & qui sint parati rationem reddere omni poscenti , iuxta illud D. Petri cap. 3. *Parati reddere rationem de ea quæ in vobis est , Fide , & Spē :* atqui nulla facultas potest de his rationem reddere , sacrosque Doctores constituere , nisi Sacra nostra Theologia : Ergo necessaria est ad Fidem , Sacramque Scripturam tuendam , nutriendam , roborandam , & conservandam. Insuper necessarium est investigare , & ostendere motiva prudentis credibilitatis , ne Fideles faciles , & leves corde videantur , si cito credant : Sed ad hæc omnia est simpliciter necessaria Sacra nostra Theologia : erg. &c. Prob. min. Tum , quia Sacra nostra Theologia ostendit motiva sufficientia ad assentendum rebus Fidei , multisque argumentis probat , Mysteria Fidei , quamvis obscurissima , dignissima tamen esse , ut illis prudentes credant. Tum etiam ; quia ipsa exponit in qualibet questione , quæ sit legitima sententia fidei , conferendo inter

se loca Sacræ Scripturæ , explicando soliditatem Ecclesiæ , probando evidenter incommoda , quæ in sinistro sensu oriuntur. Tum denique : Nam ipsa solvit ardentes difficultates , quas ope Daemonum contra veritates Fidei Hæretici obiciunt. His motivis ducti Thæologi asserunt communiter , quod Theologia Sacra ostendit evidentem credibilitatem Mysteriorum fidei , & quod sine hac evidentiæ credibilitatis non potest stare fides in Republica Christiana : Erg. simpliciter , & necessitate medijs est necessaria toti Ecclesiæ Sacra nostra Theologia.

13 CONFIRMATUR : ex D. Paulo ad Ephes. 4. : *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos :* alios autem Pastores , & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij , in edificationem Corporis Christi : donec occurramus omnes in unitate fidei , & agnitionis Filij Dei : :: ut iam non simus parvuli fluctuantes , & circumferamus omni vento doctrinæ in inequitia hominum , in astutia ad circumventionem erroris. Ecce quomodo D. Paulus satis innuit necessariam esse Sacram Theologiam in Ecclesia , maximè in Prelatis , & alijs Ministris fidei , qui tam necessitate præcepti , quam necessitate medijs tenentur illam addi-

addiscere, aliosque edocere, atque fidem impugnantes arguere, juxta illud ad Titum 1. *Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contra dicunt, arguere.* Deinde 2. ad Timoth. 3. dicit: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ex quibus verbis Apostoli constat esse necessarios Doctores in Ecclesia Dei ad edificationem Corporis Christi, ne hominum inconstancia, & fraude diabolica, Fideles seducantur, & pereat fides. Etiamque exprimunt prædicta verba quatuor munera Sacrae nostræ Theologiae, nimirum, quod doceat Catholicas veritates, quod Hæreticos arguat, quod corripiat improbos, & Infideles instruat: atqui sine his muneribus non posset diu subsistere Ecclesia: Ergo toti Ecclesiæ est necessaria simpliciter, & necessitate medii, & præcepti pro singulis adultis, ut in plurimum, & longo tempore viventibus.

14 Totum hoc est nunc temporis ferè commune apud Theologos Cathol. & solum est difficultas de Sacra nostra Theo-

logia Scholastica, reduplicative, ut Scholastica; nam speciificativè sumpta, eadem est ac Theologia Positiva eademque munera, & officia habent, inquirere nempe omnia à Deo revelata immediatè, vel mediately, explicitè, vel implicitè in Sacris Scripturis; unde solum differt ab illa in modo argumentativo, & hic est qui vertitur in dubium, an sit necessarius? Quæ difficultas valde prolixe ab aliquibus exagitatur: Sed meo videri, facillimè resolutionis est; nam ex dictis in logica loco citato aperte constat, ipsam esse necessariam secundum quid ad alias scientias acquireendas; nam evidens est, eas melius acquiri cum Logica, quam sint illa. Omnes etiam concedunt esse simpliciter necessariam ad facile acquireendas alias scientias. Similiter ibidem probatum reliquimus, Logicam actualē esse simpliciter necessariam, ad minus moraliter ad acquirendas alias scientias totaliter. & in statu perfecto: Tum, quia veteres in plures errores incidierunt, & scientias imperfectè didicерunt propter ignorantiam Logice. Tum etiam, quia necessaria est simpliciter facultas, quæ doceat, quando aliquod sequitur ex alio, & quando non: hoc docet Logica actualis, ut farentur omnes Catholicæ. Tum de-

denique ; quia Logica actualis indicat proximè viam , & modum acquirendi scientias sine errore ; nam sàpè appetet intellectui prima facie , aliquem diicursum esse bonum , & verum , qui tamen , nec verus , nec bonus est : Ergo sicut est moraliter impossibile , ire Romam recta via , & sine errore , si via non indicetur ; ita est moraliter impossibile acquirere scientias prefectè , & sine errore , inter tot discursus , & difficultates in qualibet scientia occurrentes , nisi nostro intellectui indicetur via , & modus acquirendi scientias , & examinandi difficultates : hoc prestat methodus Scholastica , seu Logica docens actualis : Ergo est necessaria moraliter simpliciter Logica docens actualis. Subsumo : atqui hoc præstat in qualibet scientia medio usu suarum regularum , qui quidem usus est methodus Scholastica in Sacra nostra Theologia introducta : Ergo nostra Theologia Scholastica , reduplicative , ut Scholastica est simpliciter necessaria , ad minus moraliter , sicut est logica actualis.

15 Hoc potest confirmari primo ex eo , quod Sancti PP. ad fidem erudiendam , & arguendum contra ejus impugnatores hac methodo utebantur , & illam maxime commendant;

nam Clemens Alexandrinus , lib. 2. Stromatum inquit : *Dialectica manu dicit ad veram , aternamque sapientiam , & ad agnitionem supremæ veritatis.* S. Hieronymus in cap. 25. Ezech. ait : *Quidquid in perversis dogmatibus , & in terrena sapientia putatur esse robustum , dialectica arte subvertitur , & ad instar incendi in cineres , & favilas dissolvitur.* Div. August. in lib. contra Cresconium , qui Angustinum vocabat derisorie Dialecticum , & respondet Sanctus ostendendo , lib. 2. Christum etiam fuisse usum dialectica , & subdit : Cave ne cuidam dialecticam objecteris pro crimine , quam , confiteris , usos fulsis Apostolos. Secundo confir. : experientia , quia nullus est , qui sola lectione PP. prudenter tentet de Religione concertare , aut disputare , vel de casibus conscientiae difficillimis respondere. Tertio ex odio , quo nostram Sacram Theologiam Scholasticam Hæretici iufestant , & persecuuntur ; quia ex eo quod illis visa semper fuit ingrata , fit maximum argumentum suæ utilitatis ; immo , & necessitatis moralis apud Fideles ; ægre namque ferentes Hæretici , quod suæ fraudes , & mendacia , atque sophismata per nostram Sacramque Scholasticam Theologiam clarè detegantur , & con-

futentur, contendunt fortissimum hoc præsidium à nobis auferre, ut omnia involvantur tenebris, sicque facilius sua introducant mendacia; quod cum assequi non possint ad convitia recurrentes, Theologiam Scholasticam, & Scholasticos Doctores atrocibus afficiunt injuriis. Neque aliquid contra hoc potest objici, quod ex dictis in Logica non facile solvatur.

16 ARG. I. Hæretici: Theologia, nec quoad substantiam, nec quoad methodum Scholasticam, est necessaria ad salutem: Ergo nullo modo est necessaria. Prob. antec. Primo, quia Theologia fidei meritam, & evacuat, & extinguit. Sed quod evacuat, & exringuit fidei meritum non est necessarium ad salutem: Ergo, &c. Prob. maj. ex D. Gregorio Homil. 26. in Evangel. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Ergo, &c. Secundo: Quia studium nostræ Theologiæ est investigare proprio labore, & industria plura de rebus fidei: sed hoc improbatur à Sacro Script. & SS. PP. ergo non est necessaria: Prob. min. Nam Eccli. 3. dicitur: *Altiora te ne quaesieris.* Et Apostol. 1. ad Corinth. 2. *Non in persuasibilibus humanæ sapientiae verbis: ne evanescatur Crux Christi.* Et ad Colos. 2. ait: *Videte, ne quis*

*vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam.* Proverb. 25. Scrutator majestatis opprimetur à gloria: Ergo cum Theologia sit scrutativa Myriorum Dei, talis facultas est improbata à Sacra Scriptura. Deinde Sancti PP. dicunt, Philosoph. esse matrem, & nutricem Hæresum; nam Div. Ambros. super Psalm. 118. ait: *Nihil nobiscum Philosophia, ne fides nostra per elementa mundi hujus traducat à vero: sic enī Arrianos in perfidiam ruisse cognoscimus, dum Christi generationem putant usū hujus sæculi colligendam; relinquunt Apostolum, sequuntur Aristotelēm:* Et alibi inquit: *Credendum est, non dialecticis, sed pifcatoribus, id est Apostolis:* Ergo, &c.

17 TERTIO: Probant primum antecedens; nam sunt Theologia nostra, præsertim Scholastica, perseveravit Ecclesia per plura sæcula, & prævaluit adversus ejus inimicos cum sola Theologia SS. PP. immo, & absque ulla; nam Matth. 10. dicitur: *Cum tradent vos nolite cogitari quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini:* Ergo, &c. Confirm. Nam nostra Theologia proponit quæstiones inutiles, & otiosas de constitutivis, hypothesibus impossibili- bus,

bus, & de possibiliitate meta-  
physica, &c. Contra præceptum  
Apostoli ad Titum 3. *Stultis  
questiones, & genealogias, &  
contentions, & pugnas legis  
devita; sunt enim inutiles, &  
vanæ.* Item 2. ad Corinth. 13.  
*obscurat, ut idem sapiamus  
omnes, quod non inventur in  
nostra Theologia;* nam in po-  
sitiva sæpe sèpius SS. PP. inter-  
se dissident, ut in controversia  
illa de cesatione. Legalium inter  
Augustinum, & Hieronym. In  
Scholaistica verò D. Thom. hinc  
ex una parte, inde Marian. Doc-  
tor ex alia incessanter digla-  
diantur: erg. &c. Tandem nos-  
tra Theologia utitur pluribus  
vocabus Barbaris, alienis à La-  
tino idiomate, ut per seitas in-  
essendo, aliquitas, quidditas,  
&c. Erg. de primo ad ultimum  
nostra Theologia nec quoad  
substantiam, nec quoad metho-  
dum nullo modo est in Eccle-  
sia ad salutem necessaria.

18 RESP. negando ante-  
cedens: ad cuius primam pro-  
bationem negat. mai. vel clari-  
tatis gratia distinguitur: Nos-  
tra Theolog. fidei meritum eva-  
cuat, si propositionibus reve-  
latis assentitur solum propter  
evidentiam rationis, conc. Si  
assentitur maximè propter au-  
thoritatem Dei revelantis, ne-  
go. Et hoc est, quod intendit  
D. Gregorius. Etenim discut-

sus Theologicus non demonstrat  
evidenter ex natura termino-  
rum propositionem revelatam;  
nam implicat aliquid esse reve-  
latum, & prout tale esse evidens  
ex terminis; solum enim de-  
monstrat discursus Theologicus,  
propositionem illam continet, vel  
in Sac. Script., vel in CC.; Unde non inducit assensum evi-  
dentia ex terminis, sed fidei, vel Sacrae Theologiae.

19 Ad 2. probationem, ne-  
go min.; & ad ejus probat. de-  
sumptam ex Sac. Script., & SS.  
PP. Resp.; solum improbare  
studium circa Mysteria fidei in-  
nixum præcisè rationi naturali,  
vel improbat curiositatem illo-  
rum, qui dubio, & anticipitu  
animo rationes querunt in fide,  
& sine illis nolunt præbere con-  
sensum veritatibus fidei, quasi  
præferendo rationem naturalem  
revelationi, & parvipendendo  
ipsam fidem. Studium antem  
nostræ Theologiae fundatur in  
fide firma, & rationes querit,  
ut reddat evidenter credibilia  
Mysteria fidei, defenditque  
ipsam fidem adversus argutias,  
& sophismatha Hæreticorum:  
Unde hoc studium non damna-  
tur a Sac. Script., & SS. PP.;  
Immo laudatur Ecclesiastici 24.  
*Qui elucidant me, vitam æter-  
nam habebunt. Et Sapientiam  
antiquorum exquireret sapiens,  
in Prophetis vacabit, narra-*

*tionem virorum nominatorum conservabit, oculta proverbiorum exquireret, inversus a parabolaram introibit. Et Christus Dominus ait: Scrutamini Scripturas.*

20 Ad confirm. Resp.; D. Paulum, & Ambros. solum reprehendere usum falsæ Philosophiæ, vel usum Philosophiæ naturalis, sine sub ordinatione ad fidem: & merito, nam Hæretici utebantur, & semper utuntur arte Syllogistica, & humana ratiocinatione fallaciter, & sophisticè ad evertendam fidem S. Evangelij, & decipiendos minus eruditos: & Principes Philosophiæ in ea satis fissi inciderunt in plures errores. Non vero damnat Apostolus, nec SS. PP. usum illius cum subordinatione ad veritates revelatas, quo pacto procedit nostra Theologia, & DD. Fideles. Unde Subtilis. Nost. Doct. in 3. dist. 24. q. unica s. si loquamur inquit: *Ultimo devenerunt DD. immiscendo Philosophiam Scripturæ Sacrae, quod sine dubio multum valet, & præcipue metaphysicæ, ut veritas Scripturæ de Trinitate, & intelligentijs, & abstractis intelligatur.*

21 Ad 3. probationem, Resp; Quod, ut iam diximus, nostra Theologia non est diversa, nisi quoad modum, à Theologia Christi, Apostolorum, &

SS. PP. nam eisdem argumentis, quibus isti utebantur, utuntur etiam nunc nostri Theologi, & in eisdem principijs fundantur, licet ad aliam methodum digestis, quæ absdubio magis conducit ad erudiendos Fideles, & convincendos Hæreticos, utpoté fundata in maiori distinctione, & ordine quæstionum, & argumentorum, & in forma differendi, quæ est simpliciter moraliter necessaria ad perfectè acquirendam Sacram Theologiam, & alias scientias. Ad illud Matthæi dicimus, quod Christus iubet Apostolos non esse sollicitos anxiè de responsione ad interrogationes Præsidum, quia hanc se illis suggestum promittebat; vel docebat, quod non confiderent in se ipsis, in suaque scientia, & præmeditatione humana. Unde Alapide super hunc textum inquit, quod non vetat prudentes responsiones, studium, aut præmeditationem congruam, sed anxiā, nimiamque sollicitudinem absque expectatione divinæ illuminationis, quam semper Doctor Catholicus simpliciter invocare debet.

22 Ad confirmat. Resp; Quod sunt valde necessaria illæ hypotheticæ quæstiones, ut melius explicitentur Mysteria, suntque valde utiles ad percipendum Constitutivum divinarum Per-

harum, ad explicandas notiones rerum, quæ in Sac. Script. tractantur, & ad intelligendas quiditates, & distinctiones omnium pertinentium ad Fidem. Neque has quæstiones damnat Apostolus, sed alias inutiles, & nicias, quas Iudæi, & Gentiles obijciebant Christianis. Et licet Principes Sacra nostræ Theologiae, & eorum discipuli inter se contendant, non est in his, quæ ad fidem spectant; sed tantum in his, quæ ad Fidem fortalitium conducunt, & ad Hæresum destructionem deserviunt, quod quidem ut pater ad salutem necessarium est in Ecclesia Catholica. Deinde adhuc in his semper procedunt cum subordinatione, & subjectione fidei, & matris Ecclesiæ; dum tamen in opinione consistit dissidium, quid mirum est; quod non idem sapient omnes, nec sit unum omnium consensus? Ad ultimum de nobis vocibus, facile dispellitur; Nam Principes Theologiae sacræ non minorem gaudent licentia ad introducendas novas voces, ut explicet Mysteria fidei, quam Grammatici, & Philosophi; quia, ut inquit Cicer. lib. 1. acad. inventis novis rebus, nova liceat ad invenire vocabula. Nec obstat, quod nihil sub sole sit novum; quia novitas dogmatum vitanda est, non tamen novitas

methodi, & vocum quibus triduntur dogmata. Nost. Theolog. quoad speciem eadem est, ac antiqua, & solum quoad methodum, & voces, nova. Videatur omnino Nost. Frassen, quæst. 3. procœmiali.

*PROSECUNDO QUOD  
inquirit Quæstio, Sit*

23 CONCLUSIO secunda: Sacra nostra Theologia si comparatur ad agens est absolutè supernaturalis. Hæc Conclusio est communior inter Theologos. Prob. 1. Quia pro hoc statu intellectus noster passibilis solum est natus moveri ab intellectu agente, & phantasmatibus: Atqui horum virtute nequit haberi Sacra nostra Theologia: Erg. Non est naturalis, sed supernaturalis. Minor patet: Nam intellectus noster agens, & Phantasmatæ solum respi ciunt sensibilia: Atqui per nullum sensibile potest haberi Sacra nostra Theologia; quia omnia sensibilia excedit: Erg. nequit causari à nostro intellectu agente, & phantasmatibus; ac per consequens producitur ab agente supernaturali, scilicet, à Deo superne agente, per revelationem supernam.

24 Confirmatur: Quia Deus, à quo fit ista revelatio, non est agens naturaliter moti-

vum nostri intellectus: Ergo solum est motivum supernaturale. Atqui Deo movente per supernam eius revelationem habemus nostram Sacram Theologiam: Ergo Sacra nostra Theologia comparata ad agens est absolute supernaturalis. Deinde: Objectum natum causare notitiam veritatum Theologiarum est Deitas sub ratione propria Deitatis: Atqui Deitas sub ratione propria Deitatis est objectum supernaturale: ergo cum ipsa immediate non moveat nostrum intellectum pro hoc statu ad tales veritates cognoscendas, solus Deus, ut agens supernaturale, & supplens vicem objecti supernaturalis, sua voluntate per supernam revelationem causat in nobis earum notitiam, seu Sacram Theologiam: Ergo Sacra nostra Theologia comparata ad agens, est undequeque, & absolute supernaturalis.

25 PROB. 2.: Nostra Theologia habet pro objecto *quo*, & *quod* quid supernaturale, ut jam dicemus: Sed doctrina habens objectum *quo*, & *quod* supernaturale, est supernaturalis: Ergo Sacra nostra Theologia absolute est supernaturalis. Min. constat, quia non ob alias rationem virtutes Theologales sunt supernaturales, nisi quia objectum *quo*, & *quod* illarum est supernaturale. Confirm.: Ef-

fecus, qui petit causari à causis supernaturalibus, est absolute supernaturalis: Sed nostra Theologia petit causari à causis supernaturalibus: ergo est absolute supernaturalis. Min. prob. cum Subt. nost. Magistro ex 1. probatione, cuius sunt ferè omnia verba illius. Inquit enim in 3. dist. 23. Sic: „ Hæc „ revelatio Deus est trinus, & „ unus, non est naturaliter mo- „ tivum intellectus nostri pro „ statu viae; quia est ab agen- „ te supplente vices supernatu- „ ralis: nam objectum natura- „ liter causans notitiam hujus „ veritatis: *Deus est Trinus*, & „ unus, & similium, est essen- „ tia sub ratione propria divi- „ nitatis cognita. Ipsa autem sub tali ratione cognoscibilis est objectum supernaturale. Deinde: Sacra nostra Theologia procedit ex principijs supernaturalibus, nempè articulis fidei: Immo, & ipse supernaturalis habitus fidei, inclinans ad assentiendum veritatis expressum, & explicitè re- velatis, influit aliqualiter ad assentiendum secundis veritatis tacite, & implicitè revelatis, qui quidem assensus sunt actus Sacrae nostræ Theologie.

26 URGENTUR: Doctrina, qua homo disponitur ad confe- quendum suum finem supernaturalem, debet esse supernaturalis: Sed Sacra nostra Theologia est doctrina, qua homo dis-

ponitur ad consequendum suum finem supernaturalem: ergo Sacra nostra Theolog. absolute est supernaturalis. Major patet; Nam forma , & dispositio ejus debent esse ejusdem ordinis, ut docent communiter Theologi. Min. prob. : Tum , ex dictis in prim. quæst. , quia Sacra nostra Theologia est cognitio finis , & mediorum ad illum consequendum. Tum etiam, ex dicendis, quod nostra Theologia est doctrina practica dirigens nostram voluntatem ad dilectionem supernaturalem Dei. Præterea, Sacra nostra Theologia constituit Sacros Ecclesias DD. in esse talium: g. est supernaturalis. Ans. est certum; nam per eam fides gignitur (suxst. August.) defendetur, explicatur , & roboratur, quod est proprium munus Doctoris Ecclesie. Consequent. probatur ex Apostolo : Quosdam posuit eos in Ecclesia , primo Apostolos , secundo Profetas, tertio Doctores , deinde Virtutes , exinde gratias iurationum: Atqui ista munera fundantur in formis supernaturalibus : Ergo & Sacra nostra Theologia , in qua fundatur munus Doctoris, etiam est supernaturalis.

27. NEC obstat communis responsio adversariorum : quod nostra Theologia , ut respicit Conclusiones Theologicas non habet proximivo immediato lib. dñm sup. satisb. fl. sig.

revelationem divinam , nec divinam veritatem, sed vim illativam nostri intellectus , quæ est merè naturalis , & naturaliter infert conclusionem ex præmissis in forma syllogistica dispositis. Hoc est præcipuum , & pene unicum fundamentum adversariorum. Sed contra est . Nam conclus. deducta ex duabus præmissis explicitè revelatis continetur immediate in illis , & ob talem continentiam eodem lumine attingitur à Sacra nostra Theologia, quo attinguntur præmissæ : sed attingentia præmissarum est supernaturalis : ergo & attingentia conclusionis , quam habet nostra Theologia , est supernaturalis. Prob. mai. : Tum , quia in illis principijs immediate continetur conclusio , ex quibus immediate deducitur : Sed immediate deducitur ex præmissis explicitè revelatis : ergo immediate continetur in illis .,, Tum „ etiam , ex Subtili Doct. in 3. „ dist. 24. quæst. unic. §. ad „ aliud , ubi ait : Dico , quod „ simplices credunt omnia, quæ „ Ecclesia, implicitè, nec sciunt „ fidem explicare , nec defen- „ dere ; ideo illi, qui hoc sciunt „ habent habitum distinctum à „ fide (hæc est nostra Theologia, „ & notate nunc ) sed non alio „ lumine , quam sit fides , nec „ ille habitus innititur princi- „ pijs .

,, pijs evidenter notis in aliquo lumine. Hucusque Doctor. Ex quibus celeberrimus Mastr. disput. 1. de natura Theologiae quæst. unic. num. 14. adnotavit cum Smising; Quod motivum formale nostræ Theologiae non est discursus, sed prima veritas; discursus vero est conditio applicativa formalis motivi.

28 CONTRA 2.: Discursus syllogisticus, seu dispositio syllogistica est actus logicæ utens, ut per se patet: sed actus logicæ utens non est motivum Sacra nostræ Theologiae; alias non distingueretur à logica; immo, nec daretur alia scientia præter logicam: g. falsum est, quod motivum actus Theologici sit vis illativa. Deinde, vis illativa sumpta pro dispositione præmissarum, & conexione illarum cum conclusione, est eadem formaliter in quacumque scientia: g. Si talis dispositio esset motivum conclusionis, non daretur in rerum natura, nisi unica scientia; quia non daretur, nisi unicum motivum conclusionum, in quibus stat ratio scientia. Dicendum ergo est, quod actus Theologicus, seu conclusio Theologica, habet idem motivum, idemque lumen ac præmissæ, ex quibus deducitur, dummodo recte educatur; ac per consequens, si præmissæ sunt supernaturales,

etiam supernaturalis est conclusio. Præterea: Discursus formalis importat successionem duarum cognitionum per veram causalitatem, ita ut cognitio conclusionis causetur effectivè à duabus præfatis cognitionibus, ut diximus in logica, tractu de demonstrat. disput. unic., quæst. 3.; ubi etiam diximus, quod præmissæ materialiter sumptæ possunt dici causa conclusionis in genere causæ materialis; quia termini præmissarum sunt etiam termini, seu extrema conclusionis: Ergo si præmissæ sunt supernaturales qualities semper sunt, vel saltem una in nostra Sacra Theologia, etiam supernaturalis debet esse conclusio.

29 ARG. contra: Habitus ille non est supernus, qui potest concurrere ad assensum falsum: sed hujusmodi est actus Theologicus: g. &c. Prob. min.; in Theologia sunt plures opposita placita Theologorum: sed ex his una necessario debet esse falsa: erg. Habitus Theologicus, quo Theologus ille assentitur, inclinat ad assensum falsum. Confirm: Ille habitus est pure naturalis, cum ratio formalis specificativa naturalis est: sed ita se habet Theolog. habitus: g. &c. Prob. min. Ratio formalis specificans, ac distinguens Theo-

Theolog. nostram, à Theolog. Dei, & à fide, est discursus: sed discursus est puré naturalis, cum sit fœtus nostri intellectus: Ergo, &c. Præterea Habitus, qui nostris actibus comparatur non est supernus: sed Theologiæ habitus, nostris actibus, & studijs acquiritur: g. &c. Min. in quo stat difficultas, patet experientia; nam modus comparandi Theologiam non est devotio, & oratio, qua homines se præparant ad assequendos alios habitus supernos, sed modus est suum studjum, assiduaque opera, & labor juxta illud Eccles. i. qui addit scientiam, addit & lavorem: g. &c.

30 RESP. , concedendo mai. ; & negand. min. ad cuius probationem respondetur neg. consequentiam. Etenim. verum est, quod in Sacra nosf. Theologia sicut, & in qualibet alia scientia sunt plures opiniones, & cum sint contradictoriaz unalium necessario erit falsa; sed falsum etiam est, habitum scientificum concurrere ad talcm falsitatem, & ad talcm opinionem; nam habitus opinatius distinguitur non solum specie, sed etiam genere ab habitu scientifico. Unde, quanvis ratione discursus, & malæ applicationis motivi theologici, possit Theologus conclusiones falsas inferre vel probabiles tantum; at ta-

men ratione habitus theologici scientifici, & ratione motivi formalis illius, si debitè, & certè applicetur, nunquam inferri potest falsa conclusio, nec probabilis tantum; quod etiam in alijs scientijs invenitur, in quibus medium demonstrationis necessarium esse debet, & infallibile, ac proinde debitè applicatum necessarium semper, ac infallibilem infert conclusiōnem; & tamen interdum ex falsa, vel probabili tantum ejus conjunctione cum extremis inferri contingit conclusionem falsam, vel probabilem tantum: qui defectus non tribuitur habitui scientifico, sed imperitiæ artificis. Hoc ipsum dicimus de nostra Sacra Theolog. Et D. Augustinus lib. quæst. Evang. in Math. cap. 11. tom. 4. inquit;

*quod hæretici ex eodem Evangelij semine, & Christi nomine procreati, pravis opinionibus ad falsa dogmata convertuntur.*

31 AD confirm. : Resp. conced. mai. , neg. min. , & minorem probationis; quia ut iam diximus, & amplius in materia de fide dicemus, conclusio Theologica necessario deducta ex præmissis supernaturalibus supernaturalis est, & dispositio syllogistica, seu actus logica utentis non est de substantia conclusionis Theologicæ, sed solum est modus illius, & est

conditio applicans rem, cui intellectus assentiat, quæ applicatio, & dispositio sufficit ad distinguendam post. Theolog. à fide, & à Theologia Dei; sicut sufficit ad generandam scientiam, opinionem, & errorem. Ad ultimum Resp. neg. mai., vel claritatis gratia illam distinguendo: habitus, qui comparatur nostris actibus naturalibus est naturalis, conc. : Nostris actibus supernaturalibus, neg. Ratio est, quia etiam actus charitatis, fidei, & spei, & omnes meritorij, sunt actus nostri, & sunt supernaturales, & illis merear augmentum fidei, spei, & charitatis, & præmium supernaturale vita æternæ, quod non datur ociosis, & non laborantibus, nec coronabitur, nisi, qui legitime certaverit, & qui divinæ gratiæ cooperetur.

32 Notanter diximus in conclusione, nostram Sacram Theologiam esse supernaturalem comparatam ad agens; nam si comparetur ad subjectum receptivum illius, nempè, ad intellectum passibilem est absolute naturalis. Ita Subtilis Doct. quæst. i. prologi s. ad quæstionem vers. ad propositum dico, quod comparando intellectum possibilem ad notitiam actuallem in se, nulla est sibi cognitio supernaturalis; quia intellectus possibilis, quacumque cogni-

tione naturaliter persicitur, & ad quacumque naturaliter inclinatur. Hucusque Doct. quem sequuntur omnes sui, contra Thomistas, pluresque Jesuitas, Et certe velim ab ipsis scire quid sibi volunt, dum afferunt, non esse in nostra anima vg. potentiam naturalem respectu formarum supernaturalium, scilicet respectu habituum Sacrae Theologiae, Fidei, Spei, & Charitatis? Nam si intelligunt, quod anima habet aliquam inclinationem, & potentiam receptivam respectu illorum; sed tamen ista potentia non est reducibilis ad actum per sola, & omnia agentia naturalia, sed præcisè exigit, & petit agens supernum supernaturaliter operans; non est inter nos, & illos dissensio de re, sed de voce, nam convenimus in hoc, quod anima habet inclinationem ad predictos habitus, & quod ista inclinatio non potest reduci ad actum, nisi per operationem Dei operantis supra totam activitatem naturæ. Si verò absolute negant quod in anima sit predicta naturalis inclinatio, tunc est dissensio de re.

33 PROB. dicta inclinatio naturalis: Primo ex D. Thomæ prima secundæ quæst. 113. art. 3. ubi ait: resurrectio mortui est miraculosa, at vero justificatio impij non est miraculosa.

*lofa, quia anima naturaliter est capax gratiae.* Ergo anima habet potentiam naturalem, seu naturalem capacitatem ad recipiendam gratiam; implicat enim esse capacem naturaliter gratia absque capacitatem naturali: Erg. D. Thom. contra suos est. Prob. 2. ex D. Augustino lib. 1. de bono perseverantiae cap. 5. ubi ait: *Possit habere fidem sicut posse habere charitatem, natura est hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem gratia est fidelium.* Ergo ex D. Augustino quamvis habere formas supernas de facto sit opus gratiae, & Dei supernaturaliter operantis; posse tamen illas habere; seu recipere, est ex naturali inclinazione potentiae. Deinde: Super Psal. 41. *Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus,* ait idem Augustinus: *Apud Deum est fons vite, & insicabilis fons: cui fonti hauriendo, sitis interior in ardescit:* Ergo in anima est sitis, & desiderium naturale fruendi Deo.

34 PROB. 3. ratione: Intellectus naturaliter perficitur quacunque cognitione: sed naturaliter etiam inclinatur ad omnem ejus perfectionem: Erg. & ad cognitionem Theologiam, ad Fidem, Spei, & Cha-

ritatem. Nec obstat, quod in ordine ad agens sint superni predicti habitus; nam sicut forma naturalis perficit intellectum, magis illud perficit superna: sed ad naturalem, ut perfectionem ejus, naturaliter inclinatur: Erg. magis ad supernam, ut ad perfectionem maiorem eō, vel maximè, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis. Nec valet si respondeant, hoc esse verum de appetitu perfectionis naturalis, non vero perfectionis supernaturalis. Nam contra est, quia si hoc ita esset, appetitus noster naturalis necessariò quiesceret, & satiaretur in bono created, & naturali, quod est contra illud Psal. *Satiabor cum apparuerit gloria tua, & quemadmodum desiderat &c.* &c. contra illud Augustini: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec quiescat in te:* Ergo cor nostrum appetit Deum; Si enim illum non appetis, qui te inquietas donec posideas? Si illum non desideras, quomodo ab illo satiaris? Nihil enim satiatur ab illo, quod non appetit: Erg. dicendum est, quod quemadmodum Cervus sitibundus appetit fontem, ita anima nostra appetit gratiam, & desiderat gloriam, & omnes supernas formas, qua illam disponunt ad consecratio-

nem sui ultimi finis. Denique, capacitas ad recipiendas formas supernas oritur ex principijs intrinsecis naturæ; Si enim quis inquirat, cur homo est capax Sacrae Theologiæ, Fiduci, & beatitudinis, & non equus? Non aliter potest responderi, nisi, quia homo est talis naturæ, & non equus: Erg. ista capacitas, seu potentia ad recipiendas formas supernas, quæ dicitur obedientialis respectu agentis superni prædictas formas inducentis, est naturalis respectu ipsarum formarum.

35 QUAM plurima argumenta congerunt Adversarij, quæ omnia facile solvuntur, si dicta bene perpendantur. Videatur Bezerra, Disp. præliminari quæst. 4.; & Pat. Sosa. quæst. 1. prolog. art. 8. diffic. 5.; & Mastrius, de Visione beata, disp. 6. q. 2. Neque ex hoc infertur, posse dici, quod homo est naturaliter justus, catholicus, beatus, &c., non ita loquendum est, inquam; quia, cum dicimus, homo est naturaliter justus, significamus, quod sit justus per donum naturale productum per vires naturæ, quod falsum est, atque hereticum. Sicut falsum est dicere, mortuum naturaliter resurgere, licet sit in anima capacitas ad reunionem cum corpore, & in corpore cum anima. Gratia igi-

tur, Fides, & aliæ formæ super naturales, quæ sunt necessariae ad consequendum finem supernum, sunt dona supernaturalia, quia nequeunt produci per so las vires naturæ, sed per Deum supra ipsius naturæ vires activas (non passivas) operantem; sive licet homo justificetur, sic Theologus, Catholicus, & beatus juxta suam inclinationem naturalem, non potest dici, quod naturaliter justificatur; cum hoc sit gratia Dei, & per donum supernum.

36 ARG. Contrà. Formæ supernaturales dicuntur tales, quia sunt supra potentiam naturæ: Erg. in natura non datur potentia ad formas supernaturales. Ad hunc finem tendunt omnia argumenta Adversariorum. Resp. disting. antecedens. Formæ supernaturales ideo dicuntur tales, quia sunt supra potentiam naturæ activam, concedo: Passivam, nego; & distingo similiter consequens: Erg. in natura non datur potentia activa ad formas supernaturales. conc. Non datur potentia passiva, nego. Immò & datur aliquæ formæ supernaturales, ut sunt actus Fidei, Spei, & Charitatis, & omnia opera meritoria ad vitam æternam, quæ activè parcialiter prove niunt à potentijs naturæ, cum superno adjutorio auxiliorum,

& habituum insusorum, ut est certum apud omnes. Amore Dic! de facto recipiuntur in natura dona supernaturalia. Ergo in natura datur potentia ad illam recipiendam; nam de actu ad potentiam tenet Consequentiam. Deinde inquiero, an, natura ex naturalibus sit proportionata ad talem receptionem; vel indiget aliquo supernaturali dono, ut proportionetur? Si primum, habemus intentum. Si secundum, per quid aliud supernaturale proportionatur ad recipiendum praedictum donum? Et sic in infinitum.

37 SED replicant: Ideo anima rationalis non est forma superna, quia licet in natura non detur potentia activa illius, datur tamen passiva: Ergo ut aliqua forma sit superna, non solum debet esse supra potentiam activam, sed etiam supra passivam. Resp. neg. antecedens; nam falsum est, quod anima rationalis non est supernaturalis eo præcisè, quia in natura datur potentia passiva illius; sed ratio est, quia creaturæ à Deo, ut auctor naturæ, & pertinet ad complementum substantiale naturæ; absque illa enim corpus non est perfectum ens naturale, sed imperfectum, & incompletum; ideoque auctor naturæ, ut talis est, debet

supplere defectum naturæ, posita ultima dispositione ex parte corporis organici à natura. Idem dicimus de Angelis, de materia prima, & de mundo creato, quæ omnia sunt entia naturalia, quia Deus ut author naturæ sua omnipotentia condidit, juxta ipsius naturæ exigentiam. At verò Gratia, Fides, & doctrina supernaturalis, licet non sint supra potentiam passivam animæ, non sunt entia naturalia, sed supernaturalia, quia ad ejus productionem concurrit Deus, ut author supernaturalis; & deinceps non sunt debita naturæ ad suam naturalem perfectionem consequendam; nec ipsa natura potest ponere ultimam dispositionem positivam, quæ necessariò exigat illarum productionem.

38 ARG. 2. Non minus superna est, & perfectiva naturæ humanæ unio hypostatica, quam Sacra Theologia, & aliae supernaturales formæ: Sed respectu unionis hypostaticæ non datur in natura humana naturalis inclinatio, sed tantum potentia neutra, & obedientialis; g. nec respectu Sacrae Theologiae datur talis potentia, & inclinatio naturalis; ac per consequens etiam ex parte subjecti receptivi supernaturalis est. Resp. Neg. paritatem. Nam Sacra Theologia, Fides, Spes, &

Charitas perficiunt hominem in ordine ad consequendum suum finem supernaturalem; Nam cum natura intellectualis sit naturaliter propensa ad beatitudinem, tanquam ad ultimum finem suum, consequenter etiam naturaliter est prona ad ea quæ sunt ad finem, nemp̄ ad Sacram Theologiam, lumen gloriae, Fidem, &c. Unio vero hypostatica nec est ultimus finis naturae intellectualis, nec medium ad illum; quapropter in natura intellectuali non datur potentia naturalis, sed neutra respectu unionis, & obedientialis respectu agentis; & licet in Christo Domino unio hypostatica fuerit meditum ad summam gloriam (ut dicetur cum Subtili Doct. in materia de Incarnatione) hoc non est quia habet cum tali gloria aliquam connexionem, sed ex divina ordinatione.

39 REPLICABIS: Si Deus non ordinasset, & elevasset naturam intellectualis ad se, ut finem supernaturalem, non haberet inclinationem ad tales finem: g. in natura intellectuali non datur ex sua natura inclinatio, & propensio naturalis ad supernaturalem finem. Resp. negando anteced., nam licet natura intellectualis non esset elevata à Deo, semper in illum clare visum, & ut finem super-

naturalem inclinaretur; nam talis inclinatio provenit ex principiis intrinsecis naturæ. Elevatio autem tantum respicit consecutionem, seu attingentiam finis ultimi, quæ nequit esse ex puris naturalibus. Hoc tantum intendimus quando dicimus, quod omne ens est objectum adæquatum nostræ intellectus secundum naturalem inclinationem, licet non secundum naturalem attingentiam. Ex quo colliges, quod non omni potentiae passivæ correspondet potentia activa ejusdem ordinis, & lincæ, ut diximus quæstione antecedenti; nam in Cæco datur inclinatio, & potentia passiva ad visum, & in anima separata ad Corpus, seu in corpore, ad animam rationalem; & in materia prima ad omnes formas simul præteritas, & futuras, & solus Deus habet potentiam correspondentem prædictis potentias passivis; Et certum est, quod Deus est distincti ordinis, & perfectionis, quam prædictæ passivæ potentiae. Videatur Sosa. loco citato. Diffic. 6.

### PRO TERTIO QUÆSTIONE

nis quæsto, Sit quæsto q

40 CONCLUSIO 3. Doctrina supernaturalis ad salutem necessaria est sufficienter tradita implicite, vel explicite in Sacra

ora Scriptura. Sic Subt. Doct. cendo verum sensum ipsius  
 quæst. 2. Prologij; & Prob. ex  
 ipso; quia sufficiens doctrina  
 necessaria ad salutem tribus tan-  
 tum continetur. Primo, in quo  
 possitus sit finis hominis in par-  
 ticulario cum omniibus suis cir-  
 cumentijs. Secundo, quæ sint  
 media ad illum acquirendum.  
 Tertio, sufficientia prædicto-  
 rum mediorum: sed hæc omnia  
 tradit Sacra Scriptura: erg. &c.  
 Min. patet; nam Sacra Scriptu-  
 ra docet, finem hominis esse  
 visionem, & dilectionem Dei;  
 etiam quantum ad omnes ejus  
 circumstantias, cum quibus est  
 consequendus, scilicet, quod  
 habetur post resurrectionem ab  
 homine immortali in corpore,  
 & anima simul perpetuo; & si-  
 ne fine. Deinde, etiam deter-  
 minat necessaria ad eum obti-  
 nendum, & eorum sufficientiam,  
 ut patet ex illo Matthæi  
 19. : *Si vis ad vitam ingredi,*  
*serua mandata*, de quibus ha-  
 betur in Exod. 20. & 23. insu-  
 per prædictorum explicatio per  
 quantum ad speranda, & quantu-  
 m ad operanda, & quantum  
 ad credenda habetur in diversis  
 locis Sac. Scripturæ: g. Sacra  
 Scriptura sufficienter continet  
 doctrinam necessariam viatori.  
 41 ARG. I contra: Multa  
 latitant in Sac. Scriptura, quæ  
 sunt ad salutem necessaria, ideo-  
 que tantus est labor in dedu-  
 cendo verum sensum ipsius  
 Scripturæ: ergo non omnia ne-  
 cessaria sufficienter traduntur  
 in Sac. Scriptura. Resp. neg.  
 conseqüentiam; nam obscuritas  
 propositionis non tollit suffi-  
 cientiam illius, licet aliqua obs-  
 curè continentur in Scriptura  
 Sacra; sufficienter tamen conti-  
 netur: Immo ipsa obscuritas, &  
 difficultas dedicandi sensus est  
 valde utilis, ut explicant plu-  
 res PP.; & Nost. Subt. Doct.  
 supracitatus ponit congruentiam  
 hujus obscuritatis his verbis:  
*Dulcius capitul quod latet sub*  
*aliqua sententia litterali, quam*  
*si esset expressè dictum, & ideo*  
*ad devotionem conferunt illa,*  
*quæ expressa sunt in novo Tes-*  
*tamento, sub figura velata*  
*fuerint in veteri.* Et D. Grego-  
 riushomil. 6. in Ezec. dicit:  
*Magna utilitatis est ipsa obscu-*  
*ritas eloquiorum Dei, quia*  
*exeret sensum, ut fatigatione*  
*dilatetur, & exercitatus capiat,*  
*quod capere non potest otiosus.*  
 Habet quoque adhuc majus  
 aliud; quia si Scripturæ Sacrae  
 intelligentia in cunctis esset  
 aperta, vilesceret, quæ in qui-  
 busdam locis obscurioribus tan-  
 to majori dulcedine inventa re-  
 ficit, quanto majori labore fa-  
 tigat animam quæsita.  
 42 PRO aliis argumentis  
 observa; quod, quæ habentur  
 per traditionem Apostolicam,

sicut explicitè non continentur in Scriptura, continentur tam n implicitè; nam ex Scriptura habemus, quod Ecclesia non potest errare in proponendis Myste riis Fidei, & cum Ecclesia propo nat credenda illa, quæ haben tur per traditionem, collig itur mediate ex Scriptura, quod illa sunt credenda. Observa etiam, quod Ceremonia veteris Testamenti, quæ videntur superflua, nullatenus superflua sunt, nam sunt figuræ illorum, quæ expresse continentur in no vo Testamento. Idem dices de Historijs, scilicet, quod non superflunt, nam in illis man ifestatur Dei gubernatio. Adver tit tamen Scotus, quod quando aliquis invenerit aliquod dubium in Scriptura Sacra, si non habet Magistrum, qui pos set illud explicare debet tan quam à periculo so cavere, nam ut dicitur Eccles. 3. qui amat periculum, pribit in illo: Unde jam ex Sacra Scriptura ha betur quid in dubiis sit facien dum. Quod si noluerit querere salutem, sed non curando ex ponat se periculo, ubi forte de genere actus non est peccatum mortale, tamen peccavit mor taliter se tali periculo exponendo. Hucusque Doctor.

## QUÆSTIO III.

QUOD NAN SIT OBJECTUM  
Sacra Theologiae

I. **R**evocatis in memo ria omnibus, quæ de natura objecti scripta ma nent in proœmialibus logicæ. Nunc notand. est I. quod cum juxta Scot. quæst. 3. Prolog. §. de secundo litt. B. de ratione primi subjecti sit continere in se primo virtualiter omnes verita tes illius habitus, cuius est sub jectum: *Ly primo virtualiter*, debet ita intelligi, ut sicut illud dicitur primum ens, quod non dependet ab alio, sed alij ab ipso; ita primo continere, est non dependere, ab alio in conti nendo, sed cætera ab ipso; est dicere, quod circumscripsiō per impossibile omnia lio, & ma nente tantum eo, adhuc contine ret omnes veritates per ratio nem ejus. Præterea, continen tia hæc respectu objecti Theolo gici dupliciter usurpari queit: Primo, ita ut objectum dicatur virtualiter continere veritates sui habitus, eo quod ex se im portat intrinsecam, & necessa riā connexionem ad illas, & illæ similiter ad ipsum, taliter, quod objectum ex se natum sit causare evidentem notitiam ea rum in intellectu proportionato.

Ita

Ita continet objectum Theologicum omnes veritates necessarias, de quibus est Theologia necessariorum. Secundo, ita ut objectum habeat virtutem causandi notitiam veritatum absque intrinseca necessitate in objecto, aut in se ipsis. Sic continet objectum Theologicum veritates contingentes de quibus est Theologia contingentium, cum enim respectu istarum objectum se habeat indifferens, nam æqualiter est natum ad caufandas istas, & ad oppositas, solumque determinetur à divina voluntate, ideo non continet illas necesse, & determinate ex se, sed solum supposita determinatione divinæ voluntatis. De quo amplius agitur in materia de scientia Dei.

2 NOTAND. est 2. Ex Scoto citat. litt. G.: Quod si-  
cūt de quocumque objecto po-  
test dari scientia sub quadruplici  
ratione, scilicet, vel sub  
ratione aliqua communi, vg.  
de homine, quatenus est sub-  
stantia, vel sub propria passio-  
ne, ut quatenus est risibilis, vel  
sub respectu ad aliud, ut qua-  
tenus nobilissimum animal, vel  
denique sub ratione quidditati-  
va, ut quatenus animal ratio-  
nale, ita similiter de Deo po-  
test dari scientia, vel sub ratio-  
ne communi, vg. substantie,  
entis, &c. vel sub proprietate,

aut quasi proprietate, ut boni,  
sapientis, &c. vel sub aliquo  
respectu ad extra, ut Creatoris,  
&c. vel denique sub ratione  
quidditativa, ut Deitatis. Qui-  
bus prælibatis, circa quæstum  
præsens, sunt quot capita, tot  
sententiae apud antiquos; nos  
verò, quod communius est in-  
ter RR.; & nost. Marian. Doct.  
conformius, breviter perse-  
quentes conclusiones refolve-  
mus: pro quo sit

3 CONCLUSIO 1. Objec-  
tum materiale primarium pri-  
mitate attributionis, tam Theo-  
logiæ in se, & Dei, quam Bea-  
torum, & Viatorum, & tam  
necessariorum, quam contingen-  
tium est Deus. Hæc conclu-  
sio est communis, & coligitur ex  
Subr. Doctor quæst. 3. Prol. Prob.  
Theologia Dei, & Beatorum  
abs dubio est sermo de Deo, ut  
communiter tenetur in Tracta-  
tibus de scientia Dei, & Visione.  
Ergo etiam Theologia nostra  
Patet consequent. quia nostra  
Theologia est quedam impre-  
sio Theologiæ in Patria ejusque  
abentiam duplens; ita ut divi-  
nas veritates, quas Deus in se  
ipso, & beati in Deo vident  
clare, & evident, nos videa-  
mus obscurè per speculum in  
enigmate: ergo etiam objectum  
Theologiæ nostræ est ipse Deus,  
Insuper illud est objectum Theo-  
logiæ nostræ, quod est objectum  
fidei

fidei ex Subt. Doctore citato §. respondeo; ubi ait: *Idem est objectum primum fidei, & Theologiae, quia ista secundum August., est de illis, quibus fides gignitur, defenditur, & corroboratur:* g. &c. Deinde, Probat. ex ipsa Ethymologia, quæ est sermo de Deo: sed qualibet scientia denominatur ab objecto suo primario: erg. &c. Denique prob. : quia objectum adæquatum dicitur, quod virtualiter continet omnes veritates illius habitus cuius est objectum; sed sic se habet Deus quoad omnes veritates Theologicas; g. &c. Min. etiam tamen quoad veritates contingentes, quam necessarias patebit discurrenti per omnes materias Theologicas: quia quodquod Theologia considerat, vel spectat ad Deum, vel ad Trinitatem Personarum in Deo, vel ad aliquem ejus respectum ad extra: g. &c. Confirmat. Idem est objectum luminis principiorum, ac totius scientiæ; sed lumen principiorum nostræ Theologiae habet pro objecto ipsum Deum: g. &c. Min. patet; nam lumen principiorum nostræ Theologiae est lumen fidei: g. &c.

4 CONF. 2. Nam virtutes Theologales habent pro objecto primario, & adæquato Deum: Atqui Theologia est habitus Theologalis: g. debet habere

pro objecto primario, & adæquato ipsum Deum. Advertendum est tamen; quod aliqui dicunt, Deum esse objectum adæquatum Sacrae Theologiae, non tamen directè, sed partim directè, & partim indirectè, eo quod non directè involvit in omnibus propositionibus Theologicis, quod nos ultro fatemur; sed hoc non est necessarium, ut ipse Deus sit objectum totius sacræ Theologiae, quia saltim indirectè omnes veritates Theologicae ipsum respiciunt.

5 ARG. contra: Secund. Philosophum 8. Methaph.: Objectum scientiæ debet esse universale, debetque habere principia, partes subjectivas, & passiones de ipso demonstrabiles: Atqui Deus non est hujusmodi: g. &c. Confirm. Nulla scientia probat existentiam sui objecti, sed illam supponit, ut dicitur 1. posteriorum: sed Sacra Theologia probat existentiam Dei: g. Deus non est objectum illius. Respond. primo: Argumentum esse verum in scientijs naturalibus; quas cognoverunt Philołophi; non vero, est absolute verum de scientijs supernaturalibus, quas ignoraverint. Resp. 2. Quod prædictæ conditions, excepta una, sunt quid imperfectionis scientiæ naturalis, & ex imperfectione sui primi objecti pro-

veniunt; individua enim con-  
rentia sub objecto communi sunt  
contingentia, & mutabilia, ob-  
quod de illis nequit dari vera  
Scientia, & solum potest dari de  
illa ratione universali, in qua  
conveniunt individua, & ratio  
illa continet omnes veritates  
scientiae. Verum cum Sacra  
Theologia sit scientia perfectissima,  
& versetur circa Deum,  
qui omnes veritates Theologicas,  
sive necessarias, sive con-  
tingentes, sive particulares, si-  
ve universales representare po-  
test; potius Deo singularissimo,  
quam alicui, ratione universali  
tribuenda est ratio objecti Sa-  
cr. Theologiae. Deinde, non est  
necessarium, quod objectum  
habeat principia in essendo,  
qua est ens in quantum ens prin-  
cipia non habet, & tamen est  
objectum Metaphysicæ. Suffi-  
cit igitur, quod habeat prin-  
cipia in cognoscendo, seu in esse  
scibilis, hoc est, quod habeat  
aliqua prædicata priora, quibus  
de subjecto posteriora prædica-  
ta demonstrantur; & hoc mo-  
do Deus, ut ex se patet, ha-  
bet principia.

6 AD Confirm. Resp. dif-  
ting. mai. Est enim vera per se;  
falsa vero per accidens. Simi-  
liter distinguitur min., & neg.  
conseq. Etenim verum est quam-  
libet scientiam per se suppone-  
re de suo objecto, quod sit &

quid sit; per accidens vero,  
quando agitur cum Atheist. vel  
propter imperfectionem nostri  
intellectus, cui non est per se  
notum, quod sit, & quid sit  
subjectum scientiae, hæc probat,  
& declarat à posteriori. In Theo-  
logia Dei, & Beatorum suppo-  
nuntur, ut per se notum, quod  
Deus sit, & quid sit. Deinde,  
potest responderi, quod nostra  
Sacra Theologia supernaturalis  
etiam supponit, licet obscure  
per fidem, quod Deus sit, &  
quid sit; & quando Theologus  
hoc probat, non est ex princi-  
pijs Theologiae supernaturalis,  
sed ut naturalis Theologus ex  
principijs Metaphysicæ.

7 CONCLUSIO 2. Objec-  
tum formale *quod* specificati-  
vum, & terminativum Sacrae  
Theologiae in tota sua latitudi-  
ne est Deus, sub ratione Deita-  
tis, ita ut ipsa Deitas, quatenus  
hæc, sit ratio formalis spe-  
cificativa, & terminativa, non  
solum loquendo de veritatibus  
necessarijs, sed etiam de con-  
tingentibus; cum hoc tamen  
discrimine, quod respectu pri-  
marum illud habet ex se; res-  
pectu vero secundarum, sup-  
posita determinatione divina  
voluntatis decernentis alteram  
partem contingentis. Hæc vi-  
detur expressa mens Doct. nost.  
in prologo, & quoad Theolo-  
giam Dei, & Beatorum est com-  
mu-

munis; quoad nostram verò est contra aliquos Scotistas assertentes, ens infinitum esse objectum formale Sacr. Theologiæ.

8 PROB. 1. Sub ea ratione Deus est objectum formale Sacræ Theologiæ, sub qua continent omnes veritates illius: at qui illas continet sub ratione Deitatis: erg. &c. Prob. min. Omnes veritates; quæ in Sacra Theologia tractantur, vel necessariæ sunt, vel contingentes: at qui has omnes continet Deitas; necessariæ quidem, nam ratio cur Deus est Trinus, & Unus, infinitus, immensus &c. est ipsa Deitas, qua cognita demonstrari queunt cætera omnia prædicata, sicut & ea, quæ ad personas pertinent. Contingentes etiam; quia quod Deus sit Creator, Redemptor, Glorificator, &c. non alia ratione illi competit, nisi ratione Deitatis, quæ non solum est ratio existentia horum omnium, sed etiam est ratio cognitionum, sive id eveniat per lumen fidei, aut per lumen gloriæ: Erg. Deus sub ratione Deitatis, &c.

9 PROB. 2. Illa est ratio formalis in objecto, per quam objectum primosubstat omnibus scitis de ipso, & ipsa non scitur de aliis: Sed Deitas est ratio per quam Deus substat omnibus de ipso scitis in Sacra Theologia, & ipsa non scitur de alio

anteriore subiecto: g. &c. Probatar min.: Omne quod dicitur in Sacra Theologia de Deo reducitur ad primum principium, & ultimum finem hominis; de isticque veritatibus quæcumque alia propositiones, quæ revelatae, vel revelabiles sunt; sed hoc ut patet, scitur ratione Deitatis, nam ratione ejus Deus est primum principium, & ultimus finis, & alias Deitas non habet, nec supponit aliquod prius de quo ipsa sciatur: g. &c. Confirm. Deus est objectum Sacræ Theologiæ sub ea ratione sub qua objicitur visioni beatæ: at qui omnes fatentur Deum esse objectum visionis beatæ sub ratione Deitatis: g. &c. Patet conseq. quia fides in via supplet id quod visio in Patria juxta illud Apostoli: *Cum venerit quod perfectum est evaquabitur quod ex parte est.* Confirm. 2. Illud est objectum formale Theologiæ, quo posito, illa ponitur, & quo ablato, aufertur, cæteris alijs remanentibus: sed quamvis Deus non fuisset vel Redemptor, vel Glorificator, &c. adhuc salva maueret Sacra Theologia, quia esset Deitas: g. &c. Patet min. Nam in ea hypothesi adhuc potuissest Theologus elicere conclusiones, & probare, Deum esse aeternum, quia immutabilis; Intelligentem, quia substantia spiritualis;

**Infinitum**, quia ens per essentiam: g. &c. Confirm. 3. Nobisissimæ doctrinæ debet assignari nobilissimum objectum, & sub nobilissima ratione: sed **Sacra Theologia** est omnium doctrinarum nobilissima: g. debet illi assignari Deus, qui est nobilissimum objectum, & sub ratione Deitatis, quæ est nobilissima ratio.

io PROB. 3. Contra Scotistas de Theologia nostra: Subtilis Doct. quæst. 2. laterali distinguunt de objecto nostro Theologiae, vel ut continet primo virtualiter omnes veritates, quæ de ipso possunt cognosci, & quarum claram notitiam posset causare, si evidenter cognosceretur; vel ut est primum, & perfectissimum notum pro hoc statu, & ait: quod si primo modo consideretur, objectum est Deus sub ratione Deitatis; quia sub hac ratione est etiam objectum Theologiae in se: *Idem sicut (inquit) subiectum Theologiae nostræ, quod est primum subiectum Theologiae in se.* Si secundo modo consideretur (ait) quod est Deus sub ratione entis infiniti. Num sic, objectum formale, ut tale cuiuscumque scientiæ debet considerari primo modo, & non secundo, ut patet ex descriptione objecti ibidem allata à Scoto: g. Subt. Doct. stat pro nost. Conclus. Præte.

rea in 3. dist. 27. q. unic. 5. quantum ad istum, loquendo de Charit. in omni sua latitudine, respectu cuiuslibet potentiarum, & in quocumque statu, concludit, Deum sub ratione Deitatis esse objectum formale terminativum Charitatis, ex eo quod hoc idem probaverat in Prolog. de objecto Theologiae: erg. Subt. Doct. in Prologo expressè probat, objectum Sacrae Theol. in omni sua latitudine, & respectu cuiuslibet potentiarum, & in quocumque statu, esse Deum sub ratione Deitatis.

ii NEC obstat, quod dicat: Theologia nostræ, ut nostra est, non oportet dari objectum primum, nisi primum notum, & illud primum notum est ens infinitum; quia iste est conceptus perfectissimus, quem possumus habere de Deo. Hoc, inquam, non obstat; quia ut in littera patet, loquitur de objecto evidentiæ, de quo non est sermo; non vero de objecto continentia, de quo est quæstio. Audiatur ipse sibi proponens Instantiam: g. Deus sub ratione Deitatis non est primum objectum nostræ Theologiae? Respondeo, ait, verum est, non est primum subiectum dans evidentiæ; sed primum subiectum continens omnes veritatis, & natum dare evidentiæ, si

ipsum cognosceretur: g. juxta Scotum quanvis objectu n evidentiæ sit Deus sub ratione infiniti; objectum vero continetia, quæ est vera ratio objecti non est nisi sub ratione Deitatis. Deinde in eadem quæstione rejicit fententiam afferentem, Deum sub ratione entis infiniti esse objectum Theologię. Præterea Sacra nost. Theolog. tractat easdem veritates, quas trahunt, & cognoscunt Deus, & Beati: sed objectum veritatum cogitatum a Deo, & Beatis est Deus sub ratione Deitatis, ergo & nostræ Theologię. Minor conceditur ab adversariis; mai. patet, quia nostra Theologia tractat, & cognoscit veritates revelatas à Fide: sed veritates Fidei sunt quas cognoscunt Deus, & Beati: g. nostra Theologia tractat easdem veritates, quas tractat Theologia Dei, & Beatorum.

12 ARG. contra: Objectum cuiuscumque scientiæ terminativum debet esse quid notum: erg. objectum primarium debet esse primo notum. Subsumo; atqui juxta Scotum, primam notum de Deo in nostra Theologia est ratio entis infiniti, erg. sub hac ratione, & non sub ratione Deitatis, est Deus objectum terminativum nostræ Theologię. Resp. concedendo primum Entinem, & disting.

min. subsumptam; Ratio entis infiniti est primum notum in nostra Theologia supernaturali, seu in fide fundata, neg: Est primum notum in Theolog. naturali, seu ex rationibus metaphysicis, conc. & neg. consequiam. Etenim verum est, quod omnino ignotum nequit esse objectum alicujus scientiæ; sed est falsum, quod in scientia obscura requiratur cognitio evidens obiecti; sufficit enim cognitio obscura, & ita cognoscimus Deum in nostra Sac. Theologia, non evidenter sicut Beati, & ipse Deus per lumen evidentiæ, sed obscurè, enigmaticè, & per lumen fidei, in quo necessario ntitur Sacra nostra Theologia, ita sane loquitur Scotus dicens, quod primum subjectum dans evidentiam est ens infinitum; quia cognitio evidens, quam de Deo possunt Viatores habere, pertinet ad metaphysicam, non vero ad supernaturalem nostram Theologiam, in qua æquè per fidem omnia de Deo cognoscimus, & cognoscimus, quod Deitas est fons, & radix omnium proprietatum, & perfectionum, quæ in Deo reperiuntur, & quod in illa ultimo resolvuntur omnes veritates vere, & propriæ Theologicæ, quod est ratio rigorosa obiecti, nemp̄, continere primo virtualiter omnes veritates,

qua

quæ tractantur in Theolog.

13. ARG. 2. Si Deus sub ratione Deitatis esset objectum nost. Theologia, posset à nobis comprehendendi: sed hoc nequit dici: erg. &c. Prob. sequela: Scientia debet adæquare, & cognoscere suum objectum, quantum cognoscibile est: sed hoc est illud comprehendere: erg. Si Deus sub ratione Deitatis esset objectum nost. Theologia, posset à nobis comprehendendi. Resp. 1. negando sequellam, & ad probationem dico: duplēm esse scientiam, alteram perfectam, imperfectam aliam; perfecta ergo est comprehensiva sui objecti, cuiusmodi est sola Theologia Dei; imperfecta verò minime potest objectum suum nec adæquare, nec comprehendere, & hujusmodi est nostra Theologia, immo & Theologia Beatorum, ut per se patet. Ex quo sit, quod licet nostra Theologia, eo quod imperfecta, & Beatorum quia limitata, non amplectatur omnes conclusiones, seu veritates scibiles de Deo, sicut amplectitur Theologia ipsius Dei, omnium tamen sit idem objectum; quemadmodum enim ens, in quantum ens est objectum aliquarum paucarum conclusionum in metaphysico imperfecto, non minus quam in illo, qui totam metaphysicam, & omnes eius conclusiones operat.

mé noscit; sic in proposito. Resp. 2. negando etiam sequellam, & disting. mai. probatio nis: scientia debet adæquare suum objectum æqualitate arithmetica; neg. æqualitate Geometrica, seu proportionis, conced. Etenim sufficit, quod scientia cognoscat suum objectum, quantum ab illa cognoscibile est; & sic Theologia nostra adæquat Deum sub ratione Deitatis, quia eum attingit, & cognoscit quantum cognoscibilis est ex principiis revelatis respectu Viatorum, & ex lumine gloriae respectu Beatorum.

14. CONCLUSIO 3. Objectum motivum Theologiae Dei, & Beatorum est Deus, sub ratione Deitatis; nost. verò Theologia est veracitas Dei in revealando. Hæc Conclusio quoad primam partem est Scoti q. 3. Prolog. 2. laterali §. nunc autem; ubi dicit: *Totius igitur Theologiae in se & Dei, & Beatorum primum subjectum est essentia divina, ut hæc: quia divina essentia dat evidentiam omnium veritatum Theologiarum, & ad illas movere intellectum proportionatum, sicut est Divinus per lumen increatum, & beatus per lumen creatum gloriae. Advertendum tamen est ex Subt. Doct., quod circa veritates contingentes non datur in Sacra Theologia objectum pri-*

primū in virtualis continentia; venit enim objectum primum, seu subjectum prædicationis talium veritatum, quod quidem est Deus sub ratione Deitatis. Primum patet, quia ad veritates contingentes indifferenter se habet Deus ex se ad illas, & oppositas: sed inter objectum virtualis continentia, & veritates debet esse necessaria habitudo: Ergo circa veritates contingentes non datur in Sacra Theologia objectum virtualis continentia; nisi dicamus, quod datur, supposita jam determinatio ne divinæ voluntatis, ut in Conclus. antec. Secundò etiam patet, quia primum subjectum, de quo enunciantur omnia prædicata contingentia est Deus, ut sic: g. ut sic est primum subjectum prædicationis in prædictis contingentibus; omnes quippe veritates contingentes Sacrae Theologiae reducuntur ad istam: *Deus vult alia à se*; in qua propositione, & veritate Deus est primum subjectum, ut *quod*, & voluntas ut *quo*, non enim tam propriè dicitur: *Voluntas vult, quam, Deus vult.*

15 SECUNDA pars Conclusionis etiam deducitur ex Subt. Doctore quæst. 1. prolog. & quæst. 3. & in 3. dist. 25. q. 2. & dist. 35. q. unic. Prob.: *Sacra nostra Theologia nitorit*

*testimonio, & revelatione Dei;* nam principia ejus sunt articuli fidei: atqui auctoritas revelationis, & testimoniī resolvitur in veracitatē testis, tanquam in motivum assensus: Ergo. Veracitas Dei est motivum assensus, quem præbemus conclusioni Theologicæ. Confirm. Nam si quis interrogetur, quare credit veritatibus revelatis? Respondebit, & optimè, quia Deus revelavit; & si iterum interrogetur, cur credat Deo revelanti? Respondebit, quia Deus est summè verax, qui nec potest fallere, nec falli: Erg. veracitas, seu auctoritas divina in revelando veritates fidei; est ratio immediata, seu motivum formale, propter quod quis pro hoc statu assentitur veritatibus Theologicis.

16 CONFIRM. Theologia Dei, & Beatorum distinguitur a nostra: sed non distinguitur in objecto terminativo, ut vidimus: g. debet distingui alia natione. Atqui, hæc nulla alia esse potest, nisi, quia Deus, & Beati cognoscunt evidenter essentiam, & ab illa moventur ad veritates Theologicas; nos autem solum cognoscimus obscurè per fidem, & per lumen fidei ducimur, & movemur ad cognoscendas veritates Theologicas: g. objectum formale motivum nostræ Theologiae est veracitas Dei

Dei in revelando, in quam ultimò resolvitar lumen fidei, & assensus Theologicus.

17 ARG. 1. Ideo Deitas non est objectum motivum nostræ Theologiae, quia est nobis incognita, ut est in se; sed etiam veracitas ejus est nobis incognita, ut est in se: g. nequit esse motivum nostræ Theologiae. Confirm. : veracitas illa resolvitur in Deitatem, eatenus enim testimonium ipsius est verum, ac infalibile, quatenus est divinum: erg. etiam ipsa Deitas est ratio formalis *quo*. Resp. ad argum. neg. mai. Ratio propter quam Deitas non est objectum *quo* Theologiae nostræ, non est quia sit nobis ignota ut est in se, nam alias ut bene probat argumentum, nec veracitas esset objectum *quo*, quia etiam est nobis ignota ut est in se; ratio enim est, quia cum Theologia nostra non nitatur in cognitione evidenti ipsius Dei, sive ut est in se, sive ut relucet in Creaturis, sed solum nitatur in testimonio ejus, & hoc ultimatè resolvatur in veracitatem, & non in Deitatem, ideo illa, & non hæc est objectum *quo* motivum Theologiae nostræ. Ad Confirm. Resp. dist. antec. veracitas resolvitur in Deitatem tanquam in motivum remotum, & essendi, conc. tanquam in motivum proximum, & cre-

dendi, neg. & conseq. Primum itaque motivum, cur assentior alicui veritati revelatae, est veritas Dei in revelando; Secundum est ejus infinita bonitas, & sapientia, quæ nec falli, nec fallere potest; Tertium autem & ultimum est ipsa Deitas, non ut motivum credendi, quia hoc sistit in veracitate; si enim prima veracitas per impossibile, non esset Dei, adhuc nos moveret ad infallibiliter credendum, sed tanquam motivum essendi, quia Deitas est radix à qua pullulant omnia divina prædicata.

18 ARG. 2. Diversorum habituum debent esse diversa objecta motiva: sed fides, & Sacra nostra Theologia sunt diversi habitus: erg. habent diversa objecta motiva. Atqui objectum fidei est veracitas Dei in revelando: g. veracitas Dei non est objectum motivum nostræ Theologiae. Urget. : Præmissæ movent ad assentiendum conclusioni Theologicae: g. sunt objectum motivum illius, & non veracitas Dei in revelando. Resp. neg. mai. universaliter intellectam; quia Theologia Dei, & Beatorum habent idem objectum, ut diximus, & distinguuntur. Deinde habitus principiorum, & habitus scientiarum ex illis elicitus, sunt circa idem objectum vg. habitus hujus prin-

principiū : *Homo est animal rationale*, & habitus hujus conclusionis scientificæ, *Homo est r̄igibilis*, habentidem objectum, & sunt habitus distincti. Habitū ergo fidei est quasi habitus principiorum respectu conclusionis Theologice ex ipsis educate: unde habent idem objectum. Idem est objectum fidei (inquit Subt. Doct.) & Theologiae. Deinde in 3. dist. 24. q. unic. §. ad aliud inquit: *Dico quod simplices credunt omnia, quæ Ecclesia, implicite; nec sciunt fidem explicare, nec defendere; ideo illi, qui hoc sciunt, habent habitum distinctum à Fide* (hic est habitus Sac. Theologiae, & bene notate quod sequitur) *sed non alio lumine, quam sit fides; nec ille habitus innititur principiis evidenter notis in aliquolum ne; isto tamen habitu non pollent plurimi fideles; quia ille habitus distinctus est à fide.* Huc usque Doct.; an autem sit habitus distinctus à fide essentialiter, vel solum accidentaliter? Scotistæ non satis convenient. Videatur Mastr. Disp. 1. de natura Theolog. num. 12.

19 AD urgentiam brebitè dicimus, quod forma syllogistica in præmissis non est motivum ad assentiendum Conclusioni Theologice, ut quest. antec. diximus, sed est tantum

conditio applicativa formalis motivi, quod quidem est veritas Dei revelantis; & principalis vis directiva ad assentiendum Conclusioni, est lumen supernaturale obscurum. Et certè si prædicta dispositio præmissarum esset motivum Conclusionis Theologice, non capio quomodo distinguetur Sacra Nostra Theol. a Metaphysica, & à Logica. Sed hoc in Materia de Fide longiori sermone exagitatur.

#### QUÆSTIO IV.

*A N T H E O L O G I A  
Sacra sit Scientia, & an  
sit Una?*

1 SUPPOSITIS ex Logica quatuor conditionibus requisitis ad scientiam rigorosè sumptam, scilicet, quod sit actus, vel habitus certus, & evidens rei necessaria per demonstrationem acquisitus ex Aristot. 1. Poster. & ex Subt. Nost. Doct. q. 4. prol. Notand. est 1. quod Theologia Beatorum est sciencia in toto rigore. Ita Doct. citat. & cum eo fere omnes Scotist; ratio est, quia si deficeret ei aliqua conditio, maximè, quod non esset discursiva: sed hæc non: ergo &c. Prob. min. Quidditas objecti per quodcum-

cumque lumini videatur, continet virtualiter suas veritates, & potest eas notas facere intellectui proporcionato: Sed quidditas lineaꝝ v. g. visa lumine naturali potest notas facere veritates suas intellectui nostro: g. etiam visa in Essentia Divina; & consequenter intellectus beati applicando quiditatem lineaꝝ ad ejus passionem potest discurrere. Nec obstat quod Div. August. 15. de Trin. cap. 16. vel 41. dicat; loquendo de Beatis. *Fortasse non erunt ibi volubiles nostræ cogitationes, ab alijs in alia cuntes, atque redeuntes; sed scientiam nostram unico intuitu videbimus.* Non obstat; inquam, quia, ut inquit Subt. Doct. loquitur dubitativè August; vel loquitur de visione beata, quæ est simplex notitia Deitatis, & non de notitia complexa, quam habent beati de alijs prædicatis Dei, & præcipue de objetis secundarijs.

2. NOTAND. est 2.: Quod Theologia Dei defectu quartæ conditionis, ad rigorosam scientiam requisitæ, probabiliter dicunt aliqui, non esse scientiam propriæ. Hoc patet, nam discursus tria exigit; primum, ut unum per alium; secundum, ut unum ex alio; tertium, ut unum post aliud, saltim posterioritate naturæ cognoscatur. Sed hæc omnia locum in Deo

*Tom. I.*

non habent; quia petunt plures actus, qui in Deo nullatenus ponendi sunt; nam unico, simplicissimoque actu omnia noscit, iuxta illud August. lib. 15. de Trin. c. 14. *Non alterante conceptu, hinc illuc, & inde hoc; & rursus inde, vel inde in aliud, atque aliud videt, sed omnia simul.* Ergo Theologia Dei, ut potest non discursiva, non est propriæ, & rigorosæ scientia. Alij autem, hoc non obstante, etiam probabilliter dicunt, quod Theologia Dei est propriæ, & rigorosa scientia; nam vel ad rigorosam scientiam non requiritur discursus; sed propter imbecillitatem intellectus creati, qui cum non sit idem cum suo actu, nec cum uno simplicissimo actu causam simul, & effectum attingere queat, indiger discursu, procedendo a notiori ad minus notum. Vel si requiritur discursus, quod hic in nobis petat plures actus, provenit ex imperfectione nostri intellectus; non tamen ex se illos exigit, sed tantum, quod sit cognitio rei per causam, seu quod sit transitus de uno objecto in aliud, iuxta illorum exigentiam, in quo sensu nullam imperfectionem involvit; unde dicunt, in Deo vere dari discursum; & consequenter Theologiam Dei, quoad omnes con-

F

di-

ditiones est scientia. Sei hoc in Materia de Scientia D.i latē exagitatur. Nunc autem solum remanet difficultas de Theologia nostra , & hoc loquendo de veritatibus necessarijs , pro quo sit.

3 CONCLUSIO nostra: Nostra Sacra Theologia non est proprié , & rigorosé scientia. Ita Subt. Doct. quæst. 3. prologi , quæst. 4. lateral. num. 30. Et in 3. dist. 24. q. unic. & cum eo omnes ejus discipuli , & plures alij. Opposita sententia est Thomistarum cum Angel. Mag. in 1. d. 1. q. 1. art. 4. Tamen Cayet. & Soto. cum pluribus alijs Thomist. judicant, hanc non esse opinionem D. Thomæ; quia ipse in 3. d. 33. q. 1. resolvit , quod scientia in visione rei presentis perficitur : & esse impossibile, quod de eodem objecto sit fides , & scientia. Et quidem, meo videri, hæc dissensio magis habet de nomine , quam de re ; nam in re omnes convenient, cognitionem Theologicam esse certissimam , & non evidentem , ad minus evidentia formalī , ut facetur Gonet ; unde quæstio solum est , an ad rationem scientiæ propriæ , & strictæ requiratur evidentia formalis : an verò sufficiat certitudo , quam evidentiam virtualem appellant

Thomistæ: quod quidem quæstio de nomine est.

4 PROB. tamen nostra concl.: Primo , scientia stricta , & propria acquiritur per rigorosam demonstrationem : Atqui Sacra nostra Theologia ita non acquiritur : g. &c. Prob. min.: Perfecta demonstratio habetur quando habetur evidens cognitio principiorum , ex quibus infertur evidens conclusio: Sed Sacra nostra Theologia non habet evidentem cognitionem principiorum suorum ; nam sunt revelata, Fide credita , ac proinde obscura , & inevidencia: g. &c. Conf. ex Scot. in 3. dist. 24. q. vnic: Nulla adhæsio voluntaria est scientifica; nam scientia cogit , & necessitat intellectum ad assensum conclusionis , posito assensu præmissarum : Sed Theologus voluntariè adhæret tam ad assensum conclusionis , quam assensiū præmissarum , ex quibus infertur ; nam ut tenet Aug. lib. de Spir. & littera, cap. 26. *Nil magis est in potestate nostra, quam credere;* g. Sacra nostra Theologia, qua assentimur præmissis , & conclusioni non est strictè scientia. Deinde , nemo dissentire potest propositioni perfectè demonstrate : Atqui conclusionibus Theologicis plures dissentiant, ut hæretici: g. ideo

ideo est, quia non sunt stricte demonstratae; ac per consequens nec sunt rigorose scientificæ. Præterea idem Subt. Doct. q. i. prologi, inquit: Quod rationes probativæ necessitatis doctrinæ supernaturalis ad salutem non sunt vere, & stricte demonstrationes ex parte rei significatae, sed persuasions Theologicæ ex creditis ad creditum: g. iuxta Subt. Doct. nequeunt confici veræ demonstrationes ex propositionibus revelatis; ac per conseq. nostra Theologia Sacra non acquiritur per veram demonstrationem.

5 PROB. 2. nost. Conclusio: Doctrina carens prædicato essentiali scientiæ non est scientia; sed Sacra nostra Theologia est doctrina carens prædicato essentiali scientiæ: erg. non est scientia. Prob. min. Sacra nost. Theologia est doctrina carens evidentiæ, sed evidentiæ est prædicatum esse scientiam: erg. &c. Mai. patet; evidentiæ conclusionis oritur à principiis, ex quibus deducitur; sed principia ex quibus deducunt Sac. nost. Theologia non sunt evidentiæ, sed revelata, & credita: erg. nec Theolog. nost. evidens esse potest. Hæc ratio tam valide probat veritatem

nostræ conclusionis, ut adversarius omnem suum conatum adhibeant ad illam cœrvandam.

6 Aliqui respondent; quod evidentiæ non est essentialis, nec indispensabi iter necessaria ad rationem scientiæ; sed sola certitudo est simpliciter necessaria; quia finis scientiæ solum est asecuratio veri, seu firma adhæsio ad verum, quæ per certitudinem habetur, & non per evidentiæ præcisæ; nam evidentiæ requiritur, ut certitudini de-serviens, quatenus objectum evidens firmiorem causat assensum. Sed contra est primo: quia Claritas, & evidentiæ in scientiæ non solum exigitur propter certitudinem, sed etiam propter se ipsam: erg. non tenet responso. Prob. anteced. Clari-tas, & evidentiæ constituit intrinsecè, & essentialiter scientiam: erg. &c. Prob. anteced. Claritas, & evidentiæ distinguit essentialiter scientiam: erg. &c. constituit. Prob. anteced. quia scientia distinguitur à Fide tamen divina, quam humana essentialiter: sed non distinguitur per certitudinem, ut per se patet: erg. per evidentiæ, ac per consequens evidentiæ non est propter certitudinem; quia certitudo datur in Fide sine evidentiæ; nec est conditio accidentalis in scientia; sed vel conditio simpliciter necessaria, vel

prædicatum essentiale illius. Contra 2. Cognitio clara essentialiter est perfectior obscura, etiam si utraque sit certa: sed hoc non esset verum, si claritas, seu evidenteria non esset de intrinseca ratione cognitionis clara: erg. &c. Contr. 3. Ideo certitudo non est conditio accidentalis in scientia, quia per illam distinguitur specificé ab opinione; sed per evidentiam etiam distinguitur specificé Scientia à Fide: erg. &c.

7 CONTRA est 4. Nomen Scientiæ sumendum est ut illud sumpserunt Philosophi, & insti-tutores Philosophiæ: sed isti dicunt, quod ad rationem Scientiæ requiritur essentialiter eviden-tia, ut patet ex Aristot. citat. erg. &c. Mai. est certa; quia im-positio nominum non est su-menda ab arbitrio cuiuslibet in-particulari; sed ab arbitrio com-munitatis, & auctoris alicujus facultatis; aliter enim facile pos-semus defendere, lapidem esse hominem: dicendo non esse de ratione hominis, esse animal ra-tionale, sed fingendo ejus defini-tionem nostro modo: ergo Scientia non est proprié Scientia, si non est evidens.

8 Respond. alij. Conceda evidenteriam esse de ratione Scien-tiæ; neg. tamen nostram Theo-logiam non procedere ex prin-cipijs evidenteribus: Hoc tamen

diversimode explicant: Nam aliqui dicunt, Articulos Fidei, non modo esse certos, sed etiam evidentes virtute fidei, & lumi-ne naturali intellectus; nam re-velatis articulis, & assensu fidei acceptatis tanquam primis principijs, statim natura-ali lumine cognoscuntur sola termino-rum penetratione, ex quibus postea evidenti notitia procedit. Theologus ad suas conclusio-nes demonstrandas. Alij dicunt, dari in Theologis quoddam ter-tium lumen medium inter lu-men gloriae, & lumen fidei, & eo mediante, Theologum cog-noscere evidenter fidei articula-los, licet abstractive, quod qui-dem lumen (inquit) produc-tur ex frequenti exercitio Theologiae, vel posita tali dis-positione infunditur, & jam per illud termini credibilium clarius a Theologis intelliguntur, & penetrantur, quam a simplici-bus fidelibus, ut docet expe-rientia.

9 SED contr. est: Num vel talis evidenteria causatur a lu-mine supernaturali fidei? Et hoc non; quia cum sit naturaliter obcurum, noticiam claram cau-sare non potest; quia nemo dat quod non habet. Vel causatur a lumine naturali? Et neque hoc, quia articuli fidei, qui sunt de rebus supra naturam, sunt lu-mine naturali prorsus impro-

portionati, & vires intellectus  
creati penitus excedentes. Vel  
causatur a lumine illo medio?  
Sed neque hoc, cum nullus  
Theologus quantumvis exerci-  
tatus experiarur in se tale lu-  
men, quo sciat evidenter de-  
monstrare Mysterium Trinita-  
tis, Incarnationis, &c. Immo  
Paulus Theologorum Magister  
dicebat de se, & de aliis 1. Chor.  
13. *Nunc videmus per speculum  
in anigmate, Tunc autem facie  
ad faciem. Et 2. Chorint. 10. Et  
in captivitatem redigentes om-  
nem intellectum in obsequium  
Christi.* Illud autem lumen,  
quod habent Theologi supra  
simplices, solum importat am-  
pliorum rerum fidei extensi-  
onem, & intelligentiam; Unde  
a PP. lumen, & donum intelli-  
gentie vocari solet, quod, vel  
studio, & exercitio acquiritur,  
vel Deus aliquando confert Ec-  
clesiæ Pastoribus, & Doctoribus,  
ut hereticorum diluant argu-  
menta: Præfati tamen intelli-  
gentia, non attingit videntiam  
Scientie, sed intra ordinem ob-  
scuritatis fidei adhuc persistit;  
nam Theologus suas conclusio-  
nes non deducit, nisi ex princi-  
pijs fidei mere creditis, sicut  
magis explicitè, & dilinctè cog-  
noscat terminos propositionis  
Theologice, & fidei Mysteria,  
quam ignari, & rudes, quia isti  
solum implicitè, confusè, &

cum maxima obscuritate intelli-  
gunt.

io ALITER respond. Tho-  
mista, quod licet Theologia  
nostra, seu ejus principia non  
habeant evidentiam in intellec-  
tu viatoris, habent tamen illam  
in intellectu Dei, & Beatorum,  
quod, inquit, sufficit, cum  
nostra Theologia, Theologia  
Dei, & Beatorum subalterne-  
tur. Sed præterquamquod as-  
sumptum est falsum, quia nof-  
tra Theologia non subalterna-  
tur Theologia Dei, & Beato-  
rum, ut iam dicemus; contra  
est 1. Adhuc tali subalterna-  
tione admissa, non subalter-  
natur, nisi ratione Fidei, quia  
Fide percipimus principia ea-  
dem, quæ beati clare vident:  
ergo adhuc ut subalternata  
non est magis Scientia, quam  
fides, quæ nullatenus est scien-  
tia. Contra 2. quia sequeretur  
quod discipulus seiret aliquam  
conclusionem præcisè, quia  
evidens esset intellectui Magis-  
tri, cui subordinatur; pater,  
nam non minus subordinatur  
intellectus discipuli ad intellec-  
tum Magistri, quam Theolog.  
nostr. Theologia Beatorum: ergo  
si hac subordinationis sicut ut no-  
ta, quæ est Scientia in intellec-  
tu Beati, sit etiam in intellec-  
tu Viatoris, seq ueretur se-  
quelle proposita. Denique, im-  
pugnat, exemplo: Si enim

cœcus per viam ducatur à vi-dente , quanvis rectè ambulet , non ob id dicitur videns : ergo similiter , quanvis Beatus videat , & ducat viatorem , qui est cœcus , non propterea Via-tor dicendus est videns , sed cœ-cus , quia evidenter alterius mihi non sufficit , ut evidenter cognoscam.

II ALITER resp. alij: Quod licet nostra Theologia non sit evidens , evidenter ob-jecti , principiorum , & conse-quentis ; est tamen evidens evidenter illationis , & conse-quentiæ , quæ sufficit ad ratio-nem scientiæ. Patet hoc , in hoc syllogismo : *In divinis est gen. rans , & genitum : Sed inter generans , & genitum datur realis distincio : Ergo inter Patrem divinum generantem , & Filium genitum est distinctio realis. Homo est animal : Sed Christus est homo: Ergo Christus est animal.* In his , & similiibus , consequentia est evi-dens , & evidens , & evidenter se-quitur ; licet consequens sit obscurum propter alteram præ-missam de Fide. Sed contr: quia ad rationem propriæ scientiæ , ut constat ex i. poster. non suf-ficit evidenter illationis , sed præmissæ debent esse evidentes; Patet. nam non ideo assentitur Conclusioni , quia præcise est deducta iuxta formam syllogis-

ticam , sed quia in se , & in rei veritate continet certitudinem à præmissis deductam : Sed Theologia non cognoscit evi-denter consequentis illationem , quia non cognoscit evidenter principiorum : ergo , &c. Dein-dé , evidenter illationis potest stare inter falsa , ut patet ratio-ne formæ in hoc Syllogismo: *Afinus est homo ; homo est ri-sibilis : ergo Afinus est risibilis.* Et tamen non facit scientiam de rebus ipsis , nec de antece-dente , nec de consequente. Præterea , Theologia non atten-dit ad bonitatem consequen-tiæ , cum hoc ad logicam spec-tet , sed ad veritatem conse-quentis , sicut etiam coeteræ scientiæ in sua Sphera : ergo licet Theologus cognoscat evi-dentiam consequentiæ , hoc non sufficit , ut Sacra Theolo-gia datur scientia ; quia hoc facit virtute dialectica , & non virtute Theologiæ : alias , lo-gicus , qui posset judicare de legitima dispositione proposi-tionum , & terminorum , qui-bus constant argumenta Theo-logica , posset dici Theologus , quod nemo dixit : sicut ergo ad logicum spectat judicare de bo-nitate consequentiæ , sic ad Theo-logum pertinet judicare de bo-nitate consequentis , an scilicet , sit conformi articulis fidei. Di-ces , Theogiam judicare , quan-do

do consequentia est vera, vel falsa ratione mareriae. Contra; Nam quamvis hoc concedatur, id tamen non judicat evidenter, sed ex principiis revellatis; unde hoc iuditium ultimè in fidem resolvitur, & assensus Theologicus manet inevidens. Ita communiter Nost. Scotista, quæ doctrina optima, & verissima est; sed non capio quomodo cohereat cum naturalitate Sac. Theologiae, quam ipsi tinentur ex eo, quod motivum assensus Theologici sit vis illativa consequentia, quæ naturalis est. Ipsi videant. Nos autem hic, & ibi idem dicimus.

12 ARG. 1. Pluribus auctoritatibus Sacrae Scripturæ, in quibus Sacra Theologia appellatur scientia. Sic patet ex D. Paulo 1. ad Chorint. 13. dicente: *Sive linguae cibabunt, sive scientia destructur.* Ex Ierem. cap. 3. *Dabo vobis Pastores, qui pascant vos scientia; & doctrina.* Sed Sacra Theologia pascunt nos Ecclesiæ Doctores: ergo, est scientia. Deinde, Sap. cap. 7. inquit Salomon: *Ipse dedit mihi horum, quæ sunt, veram scientiam:* erg. &c. Resp. ad primum, quod Apostolus ibi non loquitur de stricta scientia, quæ est notitia evidens, & quæ non destruetur in patria; sed de scientia late sumpta, quam vocat enigmaticam, seu obscuram,

& est, vel ipsa fides, vel notitia rerum fidei cum firma adhesione, & qua determinatè verum dicimus; in quo sensu etiam nos fatemur Sacram nost. Theogiam esse scientiam. Similiter respondetur ad secundum; Theologos pascere fideles vera doctrina, & vera scientia, sed non scientia strictè sumpta propter inevidentiam rerum in se. Ad ultimum, respondetur, non esse intelligendum de Sacra nost. Theogia; sed de scientia gratis data, & Salomonis infusa. Unde juxta Castrum, & alios Expositores præfatus textus intelligitur de Philosophia, & alijs scientijs naturalibus, quæ strictè sunt scientiæ, & Salomonis fuerunt infusa. Eodem modo respondetur ad alias auctoritates Sanctorum PP.

13 ARG. 2. Sacra nostra Theologia est aliquis habitus intellectus ex numeratis ab Aristotele nempè, vel ars, vel intellectus primorum principiorum, vel prudentia, vel scientia, vel sapientia: Atqui non est ars, quia non tendit circa factabilia; nec prudentia, quia non versatur circa singularia agibilia; nec sapientia, quia hæc simul principia, & conclusiones evidenter considerat in altissimo objecto; nec est intellectus, seu lumen, vel habitus primorum principiorum, quia in

Sacra nostra Theologia habitus principiorum est habitus fidei: ergo solum restat quod sit scientia. Resp. neg. maj.; nam rigorose loquendo Sacra nostra Theologia non est proprié aliquis habitus ex numeratis ab Aristot. quia ipse non cognovit habitus supernaturales, sicut non cognovit habitum fidei infinitum; cum quo necessario connectitur Sacra nostra Theologia. Attamen potest reduci ad sapientiam; quia agit de rebus altissimis, & ita illam vocat D. Paulus 1. ad Corinth. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et Christus Lucas 2. *Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere.* Potest etiam reduci ad scientiam, tūm propter certitudinem suorum principiorum, & conclusionum; & tūm propter modum deducendi conclusiones suas, sicut aliae scientiae deducunt, licet ei deficiat evidētia, quæ tam ad rigorosam scientiam, quam ad rigorosam sapientiam necessario requiritur.

14 ARG. 3. Metaphysica est scientia; sed aliqua principia metaphysica non sunt evidētia: Ergo ad rationem scientiarum non requiritur, quod principia illius sint nobis evidētia. Min. prob: In metaphysica probatur, Deum esse primam causam, & ex hoc arguiamus esse

eternum, & infinitum: sed hoc nobis non est evidētia: Ergo, &c. Resp. disting. min: Aliqua principia metaphysica non sunt nobis evidētia, ex terminis ipsis; conc. Ex effectibus; & à posteriori, quod sufficit ad rationem scientiarum neg. Principia verò Theologiae, quatenus talia, nec apriori nec à posteriori sunt nobis evidētia; ideoque non possunt esse principia scientiarum. Dux, quatenus talia, quia licet aliqua principia Theologiae ex effectibus; & aposteriori sunt nobis evidētia v. g. primam causam existere, esse infinitam, &c. non tamen sunt principia Theologiae isto modo, sed quatenus revelata, & credita sunt; & ut sic obscurè cognoscimus illa; nam talis revelatio proponitur nobis per obscurum Ecclesiae testimonium; secundum se autem, & quatenus naturaliter nota, pertinent ad Theologiam naturalem, quæ est metaphysica.

15 ARG. 4. Nemo tenetur credere, nisi quod est evidenter verum: sed Catholicus tenetur credere Articulos Fidei. Ergo sunt evidenter veri: Sed notitia procedens ex evidenter veris est scientia: ergo Theologia nostra procedens ex Articulis Fidei, scientia est. Confirm: Deum non posse mentiri est

est naturaliter evidens : Ergo similiter evidens est à Deo omne revelatum verum esse : Sed mysteria fidei revelata sunt : Ergo naturaliter vera sunt , & evidentia . Confirm. 2. In Theologia sunt multi discursus , in quibus utraque præmissa est naturaliter evidens ; v. g. Unum essentialiter numero est implurificabile numero ; Sed Deus est essentialiter unus numero : Ergo numero est implurificabilis : Atqui conclusio deducta ex duplice præmissa naturaliter nota est scientifica strictè : ergo , &c. Resp. ad argum. neg. mai ; nam ad hoc , ut teneamur credere , sufficit , quod sit evidenter credibile , quod non provenit ex evidentia rei , sed ex infallibilitate atestantis ; ex quo sit , quod non liceat dubitare ; nam iuxta regulas prudentiae , ita indubitanter quis assentire debet huic propositio- ni : *Roma est* , licet nunquam Romanam viderit ob authoritatem infallibilem atestantium , quám huic : *Totum est maius sua parte* , quæ est evidenter vera. Mysteria ergo nostræ fidei non creduntur , eo quod sunt evidenter vera ; sed eo quod sunt evidenter credibilia juxta illud Psalm. *Testimonia tua credibili- lia facta sunt nimis*. Sed de hoc amplius in materia de Fide.

16 AD Primam Comfirm. Resp. dist. primum conseq. : Est naturaliter evidens , esse verum , quidquid revelat , in communi , conc. in particulari , neg. Etenim quamvis evidens sit omne revelatum esse verum à Deo , quia demonstrari potest , Deum non posse fallere , nec falli , alias Deus non esset ; non tamen est evidens , Deum revelasse hoc , vel illud in particulari ; hoc enim à Fidelibus creditur , quatenus per obscurum Ecclesiæ testimonium , cuius est definire , an hoc , vel illud sit , vel non à Deo revelatum , proponitur. Unde cum illa mai. evidens : *Quidquid Deus revelavit , est ve- rum* , non applicetur fidelibus , nisi per istam min. creditam : *Hoc Deus revelavit* , non sequitur conclusio scientifica , sed invidens & obscura. Ad secundam confirm. Resp. quod illa min. non assumitur à Theologia Sacra secundum se , & in quantum est naturaliter nota , sed ut revelata , ita ut reddat hunc sensum : *Deus est unus nu- mero* , quia ipse hoc revclavit ; Et ut sic obscurè cognoscitur ; nam talis revelatio proponitur nobis per obscurum Ecclesiæ testimonium.

17 PRO 2. quod inquirit quæstio , est notandum ex dictis in logica , quod Theologia potest sumi in esse qualitatis , vel

in esse scientiæ ; seu ut alij dicunt , intrinsecè , & in se , vel extrinsecè , & objectivè . Hoc notato , dicimus , quod Theologia Dei est undequaque una ; nam solum dicit unum perfectissimum actum , & unum perfectissimum objectum . Dicimus etiam , quod Theologia Beatorum etiam est una extrinsecé , seu in ratione scientiæ , de cuncta unitate ab objecto : non tamen est una intrinsecè , & in ratione qualitatis ; nam licet visio beatifica sit unus simplicissimus actus , dantur tamen in Beatis plures alij actus discursivi . Difficultas solum est de nos . Theologia Scholastica ; nam sumpta pro fide etiam certum est esse unam .

18. DICIMUS ergo ; quod etiam nostra Theologia Scholastica est una extrinsecé , seu objectivè ; non vero in esse qualitatis , seu intrinsecè . Patet prima pars ; nam illa scientia est una in esse scientiæ , quæ sub una , & eadem ratione respicit omnia , quæ in illa tractantur : at qui ita est nostra Theologia Scholastica : erg . &c . Min . patet ex dictis de objecto illius ; nam ratio terminativa est Deitas , & ratio motiva est veracitas divina in revelando , quæ ut patet est unica , & eadem ratio circa omnes Theologicas veritates . Ubi etiam est adverten-

dum , quod hæc unitas in esse scientiæ est specifica , quod intelligitur similitudinariæ ; nam propriæ , & rigorosè loquendo nūl datur in Deo , quod sit propria species . Probatur 2. pars ; Nam ex dictis in Logica , ubi sunt diversæ difficultates , diversi requiruntur habitus ; sed in Theologia sunt diversæ difficultates : erg . &c . Min . prob . nam alia est difficultas circa veritates necessarias , & alia circa contingentes ; immo , & inter ipsas necessarias , aut contingentes sunt diversæ difficultates ; qui enim scit materiam Trinitatis , non inde scit materiam Incarnationis , & divinæ gratiæ , & sic de alijs : erg . &c . Confirmatur Habitus Theologicus generatur : ex actibus ; sed in nos . Theologia sunt diversi actus ; alius enim est actus , quo credo Deum esse Trinum , & alius , quo credo , seu scio esse Sapientem , hominem , &c . Ergo erunt diversi habitus .

19. ARG . contra : Habitus fidei est una simplex qualitas : ergo & habitus Theologicus . Conf . objectum Theologiæ est unum numero : ergo & habitus de illo tractans deberet esse numero unus . Resp . ut in Logica , concedendo , quod habitus fidei infusus est unus numero ; non vero habitus fidei acquisitus ; & consequenter neque ha-  
bi-

**b**itus Theologicus. Ratio est, quia habitus infusus infunditur à Deo per modum potentia, & ad simpliciter operandum; unde cum causa illius sit illimitata, producit habitum illimitatum, & sufficientem ad omnes actus fidei producendos; sicut una potentia sufficit ad plurimos actus, & habitus unius, vel diversæ scientiæ; at vero habitus acquisitus fidei, & Theologicus dependent ab actibus, & ab illis producuntur; unde cum actus sint diversi inter se generant diversos habitus. Ad confirm. Resp. objectum attributionis Theologiae esse unum numero; at vero de ipso possunt demonstrari diversæ veritates, quod sufficit, ut habitus agentes de ipsis veritatibus sint distincti inter se. Ex quo colligitur, sacram nostram Theologiam solum esse unicam unitate collectionis; non vero unitate simplicitatis, ut diximus de logica, ubi videri possunt aliae rationes confirmantes nostram conclusionem, & aliae impugnantes cum suis representationibus.

## QUÆSTIO V.

*IN QUA RESOLVUNTUR  
aliqua quaestio de Theo-  
logia.*

**Q**UÆRES I. An Theologia nostra sit practica? Resp. affirmativè; cum Subtili Doct. q. 5. Prologi. art. 11. quem inconcussè sequuntur sui; & prob. Illa est scientia practica, quæ est naturaliter prior praxi, & directiva illius; atqui ita se habet Theologia nostra: ergo, &c. Maj. constat ex logica; min. prob. Et ia primis certum est nostram Theologiam esse priorem praxi; quia Theologia est actus intellectus, & praxis est actus voluntatis: sed actus intellectus est naturaliter prior actu voluntatis: ergo, &c. Unde tota difficultas est in probando, Theologiam esse directivam praxis, quod sic prob. Praxis est volitio recta: sed nostra Theologia est directiva volitionis rectæ: ergo, &c. Prob. min. Ex Div. Augustino lib. 1. de Doctr. Christiana, ubi dicit: *Habitus Theologiae ordinatur ad dirigendos actus credendi, sperandi, diligendi, & pie vivendi:* ergo, &c. Conf. Illa notitia est directiva volitionis rectæ, quæ proponit finem, & media

proportionata ad illum assequendum: atqui ita est nostra Theologia: erg. &c. Prob. min. Sacra Theologia proponit Deum esse ultimum finem, & quod per virtutes, & actus meritorios est assequendus: Deinde in particulari explicat qui sint actus meritorij, & qui non sint: erg. proponit finem, & media proportionata ad illum assequendum. Præterea objectum Theologiae, quod est Deus, est virtualiter conforme volitioni rectæ in ratione diligibilis: quia ab ipso desumuntur principia prima rectitudinis; v. gr. Deus est amandus, colendus, &c. erg. Theologia est simpliciter practica.

2 CONFIRM. 2. Vel cognitio Theologica est sufficiens ad amandum Deum, vel non est sufficiens? Si secundum: ergo Scriptura Sacra non demonstrat sufficienter, quod est necessarium ad salutem consequendam, quod est contra omnes. Si primum: ergo Theologia nostra est sufficienter directiva volitionis rectæ, ac per consequens est simpliciter practica. Nec obstat respondere, quod non sufficit, ut objectum Scientiæ sit conforme volitioni rectæ potentialiter, sed requiritur quod actualiter moveat voluntatem ad amorem. Non obstat inquam, nam movere

actualiter est quid posterius scientia: atqui nulla scientia est practica per posterius illa: erg. &c. Præterea si in scientia practica requireretur actualis motio voluntatis, esset in potestate voluntatis, quod scientia esset, aut non esset practica, & nulla esset practica ex se, quod est absurdum. Insuper relatio, quam dicit scientia ad proxim non est actualis necessariò, sed sufficit potentialis, ut diximus in logica: ergo, &c.

3 CONF. 3. Principia nostræ Theologiae sunt practica: ergo & conclusiones. Tenet consequentia; quia talis est conclusio, qualia sunt principia ejus. Prob. anteced. Principia nostræ Theologiae sunt veritates fidei: sed istæ veritates sunt practicæ, quia illæ non sistent in cognitione Dei, sed ordinantur ut illum amemus: ergo, &c. Deinde, visio beatifica succedit loco fidei; sed visio beatifica non datur beatis solùm, ut videant Deum, sed ut moveantur ad illum amandum, ob quod dicitur practica: ergo & nostra Theologia ob eandem rationem est simpliciter practica. Insuper illa scientia est simpliciter practica, cuius nulla conclusio est, quæ formaliter, vel virtualiter non ordinetur ad proxim: Atqui ita est nostra Sacra Theologia; erg. &c. Prob. min. Si aliqua

qua esset conclusio inordinabilis ad præsum, maximè hæc: *Deus est Trinus*; vel hæc: *Pater generat Verbum*: sed istæ non sunt inordinabiles; nam 1. inquit Scot. includit virtutem notitiam rectitudinis dilectionis tendentis in tres personas, ita quod si actus dilectionis eiceretur circa unam solam, excludendo alias, sicut infidelis elicit, esset actus non reclus. Secunda vero includit notitiam rectitudinis, secundum quod actus est circa duas personas, quarum una est sic ab alia: erg. &c. Unde Doctor concludit, Nostram Theologiam esse effectivam, quia non comparatur notitia ejus propter subtilem disputationem de rebus divinis, neque ut in illis finaliter sistamus; sed ut affectu charitatis in ultimum finem rapiamur, & in Deum ipsum transformemur: erg. nostra Theologia dirigit actus voluntatis, & consequenter est simpliciter practica.

4. Ut aliqua argumenta præcludantur, præoculis est habendum, quod cognitio scientifica, quæcumque illa sit, quod primò facit, est cognoscere veritates objecti, ut patet discurrendo per omnes scientias, sive practicæ sunt, sive speculativæ: Ratio est, quia omnis scientia est actus intellectus, cuius ob-

jectum est veritas: erg. omnis scientia tendit ad cognoscendum verum. Attamen si scientia sistit in illa cognitione veritatis, dicitur speculativa; si vero ibi non sistit, sed ordinatur, vel dirigit ad opus, ita ut finis scientiae non solum sit respicere objectum, ut illud cognoscatur intellectus, sed ut voluntas circa illud operetur, dicitur, & est simpliciter practica. Unde Philosophus 2. Metaph. text. 3. inquit: *Speculativa etenim finis veritas, practica autem opus*. Et commentator explicat hunc textum his verbis: *Per speculativam scimus, ut sciamus; per practicam verò sumus scientes, ut operemur, quia practica finis opus*. Hoc supposito, constat, nostram Theologiam esse simpliciter practicam; nam licet cognitio Theologica ordinetur ad cognoscendum Deum, attamen non sistit in hoc, sed ultra ordinatur, & progreditur ad operandum circa Deum; hoc est, ad illum amandum, & asseverandum, ut patet ex dictis.

5. DICES: ergo Theologia dicitur practica à fine, quod est contra Subt. Doct. quæst. 4. lit. G. Resp. disting. conseq. dicitur practica à fine ipsius Theologiae, conc. dicitur practica à fine voluntatis subjecti, in quo est Theologia, neg. Etenim finis potest esse, vel respectu

scien-

Scientia, vel respectu subjecti in quo est Scientia; v. gr. finis Theologiae est ut Deum amemus, & ut vitam aeternam consequamur: iste finis attendendus est ad hoc ut Theologia dicatur practica, quia talis finis non est posterior ipsa Theologia; sed prior; cum dependeat a voluntate instituentis illam. Unde objectum Theologiae est Deus, antequam ametur a voluntate; postquam vero amatur ab illa induit etiam rationem finis respectu voluntatis; & ab hac ratione finis (inquit Subt. Doct.) non dicitur Scientia practica, quia ista ratio finis est posterior ipsa Scientia.

6. ARG. contra: Si Theologia est practica, omnes scientiae essent practicæ. Patet sequella; ideo per nos est practica Theologia, quia ejus objectum est virtualiter conforme volitioni rectæ: sed nulla Scientia est, cuius objectum non sit virtualiter conforme volitioni rectæ; quia objectum cuiuslibet Scientiae est ens bonum, & omne bonum est virtualiter conforme volitioni rectæ: ergo &c. Resp. neg. sequell. ad cuius prob. dist. mai. Ideo Theologia est practica, quia ejus objectum est conforme virtualiter volitioni rectæ, in se præcise, neg. maj. quia est conforme, & à Theologia tractatur in ordine ad istam confor-

mitatem, traddendo regulas ad illius aseccutionem, conc. maj. Et eodem modo distinguitur minor, & negat. conseq. Etenim Theologia non est præcise practica, quia Deus est amabilis in se, sed quia in se amabilis est, & à Theologia respicitur in ordine ad istam amabilitatem, docendo regulas, & media, quibus Deus est amandus, & fruendus; ob cujus rationem à Deo est dictata, & instituta. Aliæ autem scientiae, licet habeant objectum amabile in se, tamen veritates, quas circa illud docent non ordinantur ad amorem objecti, sed ad illias cognitionem; & sic non sunt practicæ, sed speculativæ. Ex quo etiam patet, quod licet metaphysica agit de Deo, non ideo est practica, sed speculativa; quia metaphysica habet pro objecto *ens*; & quia Deus est ens agit de illo sub ratione communis entis, & ut solum pertinet ad intellectum, non ordinando illud ad voluntatem, nec docendo illud esse appetibile, & fruibile, nec assignando media, quibus est assequendus, aut fruendus, ut facit Theologia, ideoque ista est practica non vero illa.

7. QUÆRES 2. An Theologia nostra subalternetur aliqui scientiae, vel subalternet similis alias scientias? Pro resolu-

tione hujus quæsti notandum est ex communi Philosophorum, & Theologorum consensu , tres requiri conditions ad rationem subalternationis. Prima est, quod subjectum , seu objectum subalternatæ contineatur sub objecto subalternantis, tamquam pars subjectiva illius. 2. quod objectum subalternatæ addat supra objectum subalternantis aliquam differentiam accidentalem ; ut patet in musica , quæ subalternatur arithmeticæ cuius subjectum est numerus ut sic , & musica agit de numero sonoro ; unde sonoritas est differentia accidentalis numero superaddita. 3. Conditio est , quod subalternata desummat sua principia à subalternante , ita quod principia scientiæ subalternatæ sint conclusiones demonstratae subalternantis ; v. g. Medicina in sententia communi subalternatur Physicæ , quia ejus objectum , nempé , corpus humanum , continetur sub objecto Physicæ. Deinde addit illi differentiam accidentalem , vide licet , rationem sanabilis. Denique principia medicinæ principaliora sunt conclusiones demonstratae in Physica ; ob quod dicitur : Ubi definit Physicus, incipit Medicus ; quia sciens conclusiones physicas , iam scit principia medica. Hoc supposito .

8 RESP. 1. quod nostra Theologia nulli alteri scientiæ subalternatur. Ratio est , quia si alicui subalternaretur , maxime metaphysicæ : Sed huic non : g. &c. Prob. min. : quia licet objectum Theologiæ contineatur sub ente , quod est objectum metaphysicæ , non tamen contrahitur per differentiam accidentalem , ut fiat Theologiæ objectum ; quia supra rationem entis addit Sac. Theologia rationem Deitatis : g.&c. Deinde ; Sac. Theologia non accipit sua principia à metaphysica , nec in metaphysica sunt conclusiones demonstrantes principia Theologica , quæ supernaturalia sunt ; scilicet , veritates explicitè revelatae , & metaphysica tota est naturalis. Non accipit hæc scientia ( inquit Angelicus Doctor ) sua principia ab alijs scientijs , sed immediate à Deo per revelationem : & id o non accipit ab alijs scientijs tanquam superioribus , sed utitur eis tanquam inferioribus , & ancillis.

9 TOTA ergo difficultas in præsenti est cum Thomistis defendantibus ; Theologiam nostram subalternari Theologiæ Beatorum , & Dei ; quam sententiam impugnat Doct. nost. quæst. 3. prologi , & in 3. dist. 24. Et prob. breviter sic: Deficientibus conditionibus tu-

bal.

balternationis, non datur subalternatio: Atqui inter nostram Theologiam, & Theologiam Dei, & Beatorum, deficient conditiones subalternationis: g. &c. Prob. min: nam prima est, quod scientia subalternans, & subalternata non debent habere idem prorsus objectum: sed Theologia Dei, Beatorum, & nostra habent idem prorsus objectum, scilicet, Deum sub ratione Deitatis, ut supra probavimus: g. &c. Secunda conditio est, quod subalternata addat accidentalem differentiam: sed nostra Theologia non addit talcm differentiam, quia sub eadem ratione ab omnibus attingitur objectum: g. &c. Tertia etiam deficit, quia Theologia nostra non recipit sua principia à Theologia Dei, & Beatorum, sed ex sola Dei revelatione. Neque principia nostræ Theologiarum sunt Conclusiones deductæ ex principijs Theologiae Dei, & Beatorum, sed eadem sunt principia clare, vel obscure proposita. Deinde patet de Theologia Beatorum; nam etiam si hæc non præsupponeretur, daretur nostra Theologia: g. ab illa non dependet, neque illi subalternatur. Pater anteced: Nam seclusa omni beata visione, & si homines, & Angeli solum in finem mundi essent beandi, immo & si per

impossibile nunquam Deus posset à nobis clare videri, adhuc Theologia nostra maneret in sua ratione formaliter intinseca; nam per fidem assentiret Articulis, & ex ipsis elicceret conclusiones: g. nullo modo à Theologia Beatorum dependet. Deinde scientia in ratione causa non dependet, nisi ab objecto, potentia, & lumine: Sed Theologia Beatorum respectu nostræ, nec est objectum, quia hoc est Deus; nec potentia, quia hæc est intellectus noster; nec lumen, quia hoc est fides: g. ab ea minimè pendet Theologia nostra.

10 ARG. contra: Theologia nostra habet requisita, ut subalternetur Theologiae Dei, & beatorum: g. illis subalternatur. Prob. antec: quia Theologia nostra accipit sua principia à Theologia Dei, & Beatorum, & per continuationem cum illa sortitur rationem scientie: g. &c. Prob. anteced: quia Theologia nostra procedit ex Articulis Fidei, tanquam ex principijs creditis, & acceptis ex Theologia Dei, & beatorum, in qua sunt evidentes, & clare cogniti: g. &c. Confirm: nam de ratione subalternata est, quod sua principia sint obscura, & inevidencia in illa, evidencia autem & clara in subalternente: Ar-

gni

qui sic se habent principia nostræ Theologiae respectu Theologiae Dei , & Beatorum : g. &c. Resp. ad argumentum, neg. anteced ; & anteced. probationis. Etenim nostra Theologia non accipit Articulos Fidei à scientia Beatorum ; & licet illos accipiat à Deo , hoc non est quatenus demonstrantur in Theologia Dei per illius principia , cum utriusque Theologiae eadem sint principia; sed illos accipit à Deo per revelationem , & obscuram cognitionem. An autem nostra Theologia possit continuari in patria , pendet ab eo , quod posset fides permanere in patria , & utraque denudari ab obscuritate , vel non posset , de quo in materia de fide. Ad confirm: Resp. neg. mai. nám licet scientia subalternata non probet sua principia , sed illa supponat probata in subalternante; tamen non debent illi proponi obscuré, sed clare, ita ut conclusiones evidentes subalternantis sint principi evidentia subalternatae; ad quod requiritur quod utraque scientia sit in eodem intellectu.

111 RESP. 3. ad quæsitus: Quod nostra Theologia non subalternat sibi aliquam aliam scientiam. Ratio est eadem; nam Deus , qui est objectum nostræ Theologiae non consideratur in alijs scientijs cum ali-

qua accidentaliter differentia ; nec alia scientia recipiunt tanquam sua principia aliquas nostræ Theologiae conclusiones ; nec tales conclusiones sunt evidenter demonstratae in nostra Theologia : g. &c.

12 Quæres 3. An Theologia sit perfectior , & excelentior alijs scientijs ? Resp. affirmativè : Primo ratione objecti, quod est perfectius , & nobilior omnibus alijs objectis : 2. ratione principiorum , quæ sunt infallibilia: 3. ratione finis, qui est vita æterna. Unde Joannis 20. dicitur : *Hæc scripta sunt, ut credatis, & ut credentes vitam æternam habeatis.* Et Matthæi , 22. dicitur : *Finem legis effe dilectionem.* Ad Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio.* Ex quibus , & alijs innumeris constat, quod finis nostra Theologia est amor Dei , quo nil perfectius , & nobilior.

13 DICES: Scientia speculativa est perfectior , & nobilior , quam scientia practica: sed per nos Theologia nostra est scientia practicæ: g. &c. Prob. mai: Tum, quia scientia speculativa est gratia sui ; practica vero est gratia alterius. Tum etiam, quia aliæ scientiæ speculativae procedunt ex principijs evidentiis; nostra vero practica Theologia procedit ex principijs obscuris : Erg. &c. Resp : quod scientia speculativa est nobilior,

quām scientia practica , si operationes practicæ non sunt nobiliores , quām simplex speculatio ; si autem sunt , ut sunt in nostro casu , negat . illa maj . cum consequentia . Etenim operationes Theologiae nostræ , quæ sunt Deum diligere , colere Deum , &c. longé nobiliores sunt , quām Deum speculari tantum ; quid enim prodest scientia , nisi charitas ædificet . Ad primam prob. respond . Quod licet nostra Theologia sit gratia alterius , non est gratia alterius inferioris speculatione , sed superioris ; quia est confirmativa , & directiva praxis cum ultimo fine , quam conformitatem non cognovit Philosophus ; & ideo dixit , speculativam perfectiorum esse practica . Hoc patet etiam in anima sensitiva hominis , & in ejus imaginatione , quæ est perfectior sensitiva bruti , licet illa bruti sit gratia sui , & sensitiva hominis sit gratia rationalis , & ad illam ordinatur .

14 Ad 2. probationem resp . Quod quanvis nostra Theologia procedat ex principijs obscuris , non inde sequitur esse imperfectiorem aliquam naturali scientia , quæ procedit ex principijs evidenteribus ; nam perfectio , quæ ex evidenter resultat in scientia est , quia firmitius , & certius adhæret con-

clusionibus suis : Sed nulla scientia ita firmiter adhæret suis conclusionibus sicut nostra Sacra Theologia ; quia certior est omnibus certitudine objectiva , inquit Scot . quæst . 4. Prologi , & certitudine formalis , & subjectiva ; nam Cœlum , & Terram transibunt , verba autem mea non præteribunt . inquit Dñs . Lucæ 21. & D. Augustinus ait : Audivit sicut auditur in corde , & non erat prorsus unde dubitarem ; faciliusque dubitarem , me vivere , quām non esse veritatem . Ex quibus constat , certitudinem supernaturalem , & divinam , quam habet nostra Theologia , longius superare certitudinem naturalem , quæ in alijs scientijs reperitur ; ac per consequens nostra Theologia est simpliciter perfectior , excellentior , & nobilior omnibus naturalibus scientijs . Dices : quod lumen naturale , in quo fundantur principia scientiarum naturalium , non minus est infallibile , quam lumen fidei ; quia est æqualiter à Deo , qui est naturæ author , sicut fidei , & gratia : erg . ex hac parte non est perfectior . Resp . quod licet lumen naturæ in se sit infallibile ; tamen quoad usum est sapientis fallibile , quia non participatur à nobis , nisi imperfectè , & cum multis ignorantia tenebris , quia illius apli-

plicatio sit medijs sensibus , qui sapissimè errant, cum sola acciden-  
tia rerum attingant , nec possint illarum naturas, & essen-  
tias penetrare. Quod patet ex  
pravis opinionibus Philosopho-  
rum , qui gravissimè lapsi sunt  
in questionibus naturalibus.

15 QUÆRES quarto : An deficiente fide supernaturali &  
infusa , deficiat etiam nostra Saera Theologia? Resp. affirmati-  
vè ; & colligitur ex Doct. Subt. q. 3. Prol. q. 5. laterali, &  
in 3. d. 23. q. unic. §. Ad aliud pro opinione. Hanc resolutio-  
nem habet nost. Smisung de Deo uno , q. 1. concl. 2. num. 10. Et  
nost. Boyv. quæst. 4. Prologi;  
ubi ait : Si in aliquo Doctore  
fideli destruatur habitus fidei  
per aliquam hæresim superaddi-  
tam illico destruetur Theologia  
verè , & propriè sumpta. Sicut  
enim destructo habitu princi-  
piorum alicujus scientia non  
potest subsistere talis scientia,  
quoniam non potest perfectè  
cognosci , & seiri conclusio, ni-  
si scientur , & cognoscantur  
præmissæ , quæ sunt principia  
illius ; sic , destructa fide infusa ,  
quæ est habitus principio-  
rum Theologiæ , non poterit  
remanere Theologia. Quando  
nost. Guillelmus Herinex con-  
tra hoc dicit q. 3. Prol. num. 23.  
Sed dubitatur ; quod Theo-  
logia sit Scientia studio , & la-

bore successivè acquista , qua-  
tota simul destrui nequit quan-  
tum ad omnes conclusiones sub-  
veniente aliquo errore pertina-  
ci , sed tantùm quantum ad con-  
clusiones huic errori oppositas;  
hoc est absolute negandum ,  
quia sicut fidès ipsa totalis de-  
meritorie destruitur per unam  
tantummodò hæresim , sic &  
Theologia propriè sumpta de-  
meritorie deperditur per ac-  
cum unius erroris cum pertinac-  
ia ; quia fundamentum scientiæ  
est habitus principiorum , quo  
destructo destruitur scientia.  
Fundamentum autem Theolo-  
giæ est ipsa fides , quæ inclinat  
intellectum , ut consentiat veri-  
tatiis revelatis , siveque ipsa fi-  
des destructa destruitur totaliter  
Theologia.

16 Quando ergo celebri-  
mus aliquis Theologus , insti-  
gante diabolo , in hæresim labi-  
tur , & negat v. gr. Incarnatio-  
nem Christi , non tantum amittit  
Theologiam , quantum ad  
conclusiones , & veritates quæ  
sequuntur ex illo articulo ; sed  
etiam amittit totam Sacram  
Theologiam quantum ad alias  
articulos ; quia tales veritates  
non cognoscit , ut revelatas , &  
creditas , nisi habeat fidem in-  
fusam , quæ inclinat ad creden-  
dum indivisibiliter omnia reve-  
lata : ergo eo instanti quo ali-  
quis , alias perfectè Theologus ,

praecepit ruit in hæresim ; eo instanti tota ejus Sacra Theologia moraliter , & demoritorie destruitur . Quod ulterius sic ostenditur : Habitus Theologicus , qui in Catholico existit , est certa , vera , & communis , scientia habitualis divinarum rerum , licet non sit evidens propter ejus obscuritatem : sed habitus relictus in hæretico , quo discurrevit in rebus fidei , non est certa , vera , & communis scientia divinarum rerum : ergo in illo non remanet habitus Theologicus , qui est in Catholico . Prob . min . Habitus relictus in hæretico innititur solum testimonio humano , & non divina authoritate , cui innititur habitus Catholici mediante fide infusa : Atqui habitus , qui solum innititur testimonio humano fallibilis est , & non certa , & vera scientia apud omnes : ergo in hæretico deficiente fide infusa , deficit etiam vera Sacra Theologia . Conf . ex nost . Bezerra , qui etiam hanc resolutionem tenet , disp . prælimin . q . 2 . Deficientibus principijs naturaliis Theologiae , deficit necessariò Theologia naturalis : ergo deficientibus principijs Sacrae Theologiae , ipsa Sacra Theologia non subsistit .

17 ARG . contra : Theologus Catholicus , qui obsecratus incidit in hæresim , negando

unam fideli veritatem , & non alias , eadem facilitate , qua anteā discurrebat , etiam post lapsum deducit Conclusiones Theologicas ex veritatibus , quas non negat : sed haec facilitas nequit provenire nisi ab habitu Theologico , qui ante lapsum in illo erat : ergo & post lapsum in illo remanet . Resp . dist . maj . Homo ille Theologicè discurrevit , & eadem facilitate deducit conclusiones , naturali , & proveniente a fide humana , conc . Eadem facilitate proveniente ab habitu supernaturali Sacrae Theologiae , neg . maj . min . & consequentiam . Etenim quando proponuntur homini veritates , & Mysteria nostræ fidei per Parentes , Magistros , per Episcopos aut Parochos , acquirit homo species naturales prædictarum veritatum , & fidem humanam , & naturalem , & his speciebus acquisitis a Magistris , seu ex lectione librorum , & hac humana fide , quæ ante hæresim erant in homine illo , & post hæresim in illo remanent , utitur hæreticus ad discurrendum in rebus fidei , & ad deducendas conclusiones ex fidei veritatibus , quas non discredit ; & ex hoc capite provenit illi prædicta facilitas .

18 Deinde , si argumentum aliquid probaret , probaret etiam manere in hæretico illo fidem in-

infusam , quam habebat priusquam in hæresim laberetur; nam experientia constat Theologum illum & quæ prompte , & eodem modo ac anteā credere articulos fidei , quos non negat , & id ipsum ille affirmat ; & tamen dicimus , quod solum fide humana , & naturali credit ; quia infusa per quancumque hæresim tollitur. Sic parvissim in deducendo conclusiones illas Theologicas regulatur speciebus naturalibus , fide humana , & naturali Theologia. Unde tantum remanet in ipso aliqua similitudo , & consuetudo more Theologorum ratiocinandi ; sicut in illo , qui per peccatum mortale amittit habitum charitatis , remanet aliqua dispositio , seu habituatio imperfecta naturalis ad actus similes illis , quos in gratia exercebat. Pro hac nostra resolutione stat Go net. Valent. Brisacens. Dupasch. Picaz. & feré omnes RR.

### QUÆST. ULT.

#### QUOT , ET QUALIA SINT Loca Theologica?

**P**RO intelligentia questionis est notandum quod per loca hic intelligunt Theologi , illa principia , sedes , seu promptuaria , ex quibus Sacra Theologia sumit media , & ar-

gumenta ad eliciendas suas conclusiones , illasque probandas. Quo notato.

**D**icimus : quod loca , seu principia Sacrae Theologiae sunt tantum quinque , & sunt fiduci regulæ , scilicet , Sacra Scriptura , Traditiones Sacrae , Summus Pontifex , Ecclesia Romana , & Concilium oecumenicum , & legitimum. Ista ergo sunt præcipua loca : Quibus etiam additur communis consensus PP. & DD. Ecclesie ; & etiam unanimis consensus Theologorum. Prob. nostra concilio , quæ communis est omnium Catholicorum , quia ex his omnibus locis , & principijs formantur veræ , certæ , & securæ præmissæ ad deducendas Conclusiones Theologicas , & nullus alias locus est , qui non facile reducatur ad prædicta : erg. prædicta enumeratio , & divisio est sufficiens , & optima. Antecedens patebit explicatione singulorum. Primus locus est Sacra Scriptura , seu Biblia vulgata , quæ est Verbum Dei scriptum continens libros Canonicos novi , & veteris Testamenti ; qui libri ideo Canonici dicuntur , quia continent regulam Fidei , & morum , & quia sunt relati , & recepti à Sancta Romana Ecclesia inter Catalogum librorum divinorum ; Canon enim regulam significat , & ca-

thalogum. Hæc Sacra Scriptura, cuius author est Spiritus Sanctus, præcipuum locum tenet pro nostra Sacra Theologia, quia firmissima, & plurima suppeditat principia Theologizandi.

3. Advertendum tamen est; quod in Sacra Scriptura datur duplex sensus, scilicet, litteralis, & historicus; & spiritualis, seu Mysticus. Litteralis est illa significatio prima, qua voces significant res, ad quas significandas sunt impositæ. Spiritualis, seu Mysticus, & metaphoricus est illa significatio, quæ res per voces significatae, rursus significant per similitudinem, & figuram: ut cum dicitur *brachium Dei*; per quod non intelligitur membrum corporeum, sed virtus operativa figurata significata. Item, *si manus tua scandalizat te, absinde eam, & proice ab te.* Math. 5. Ubi per manum abscindendam intelligitur Amicus, qui est causa ruinæ, cuius familiaritatem homo debet abscindere à se; unde in litterali sensu significatio attenditur à voce, & in Mysticæ à re significata propter quandam similitudinem. Nunc ergo, licet Theologus possit efficaciter argumentari tam ex sensu litterali, quam spirituali; tamen communiter firmius formatur argumentum à litterali, quoq; facilis deprehendi po-

test. Ex Spirituali vero non sic, nisi accedat Ecclesia, vel unanimis consensus PP., vel per alium locum Sacrae Scriptaræ explicitetur.

4. Secundus locus, sunt Traditiones divinæ, id est, dogmata quædam, quæ non habentur in Sacra Scriptura, sed ut inquit Tridentinus ses. 4. *Ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus tradite, ad nos usque pervenerunt.* Quæ traditiones quantæ sint authoritates exprimit immediatè Trident. sequentibus verbis: *Orthodoxorum PP. exempla secuta, omnes libros, tam veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit Author, necnon traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, vel tanquam ore tenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & contnuæ successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscepit, & veneratur.* Hinc Subt. Nost. Doct. in 1. dist. II. q. 1. §. ad Authoritates vers. ad rationem. Inquit: *Nec Christus in Evangelio docuit omnia pertinentia ad dispensationem Sacramentorum; dixit enim Discipulis suis in Joanne: adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modò: cum*

autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Multa igitur docuit eos Spiritus Sanctus, quæ non sunt scripta in Evangelio, & illa multa quædam per Scripturam, quædam per consuetudinem tradiderunt.

15 TRaditiones spectantes ad fidem sunt; Prima, quod Deus solus sit author utriusque Testamenti. Secunda, quod Sacra Scriptura ad nos pervenit intacta secundum veritates à Deo revelatas. Tertia, quod verus sensus Sacrae Scriptura est in Ecclesia Romana, non extra. Quarta, quod Symbolum parvum Apostolorum sit verum Dei verbum canonicum, & legitimum. Quinta, quod parvuli sint baptizandi. Sexta, quod baptizati ab hereticis, servata legitima forma, non sint rebaptizandi. Septima, quod in Sacramento Baptismi sint exprimenda tres divinae Personæ. Octava, quod Sacraenta sint tantum Septem, non plura, nec pauciora. Nona, quod Mater Dei fuerit semper Virgo. Traditiones expectantes ad ritus, & mores sunt 1. de benedictione aquæ. 2. de orando versus Orientem. 3. de trina immersione in baptizando. 4. de miscenda aqua in Calice. 5. de formando signo crucis in fronte. 6. de sumenda Eucharistia à jeju-

nijs. 7. de abstinentia à servili bus, diebus Dominicis; & aliæ similes, quæ minimè in sacris libris Scripturæ reperiuntur, sed ab Ecclesia Romana, & SS. PP. sunt acceptæ ab Apostolis, quas ipsi Apostoli à Christo accep- runt; juxta illud Joann. ultimò: *Multa alia fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc. Sunt & aia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.* Et Joann. Epist. 2. ait: *Plura habui vobis scribere; non lui per Chartam, & atramen- tum; spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui.* Et Paulus ad Thes. 2. cap. 2.: *Itaque fratres, tendete traditiones, quas acceperitis, sive per sermonem (scilicet viva voce) sive per Epistolam.*

6 Advertendum tamen est, quod aliquæ traditiones Apof- tolicae non fuerunt perpetuae, sed tantum ad tempus, ut illa de trina immersione in baptis- mo; de gustatione lactis, & mellis; de communicatione quoties quis foret præfens Sa- crificio Missæ; Item de com- municatione laicorum sub ultra- que specie; & aliæ, quæ oportebant in primitiva Ecclesia; Currentibus vero Saculis non oportebant, vel justa de causa cessaverunt. Præterquamquod de-

derivantur in forma præcepti, quæ omitti non valent, nec cef-  
fare possunt ; aliæ derivatae  
fuerunt liberè, & per modum  
consilij, ut aspersio cum aqua  
benedicta. Præter traditiones di-  
vinas, seu Dominicas, & Aposto-  
licas dantur etiam traditiones  
aliæ Ecclesiasticae, quæ post tem-  
pora Apostolorum sunt à Præ-  
latis Ecclesiæ introducæ : ut  
solemnizatio Passionis, Resur-  
rectionis, Ascensionis, & Pen-  
tecostes ; licet enim Passio, Re-  
surrectio, &c. præcut sunt patra-  
tæ, sicut expræssæ in Sacra Scrip-  
tura ; prout tamen solemnizan-  
tur cum abstinentia a fruilibus  
&c. sunt traditiones. Has igitur  
recipit, & veneratur Catho-  
lica Romana Ecclesia contra ha-  
reticos, perpetuos traditionum  
hostes pretendentes, quod sola  
Sacra Scriptura est regula fidei,  
& quod ipsa continet sufficien-  
ter omnia credenda, & facien-  
da. De quo fuisse, Deo dante,  
agimus in tertio tomo. Interim  
audiatur Subt. Doct. in 1.  
dist. 11. q. 1. §. citato. *Adra-  
tionem illam de Evangelio, di-  
co, quod Christum descendisse  
ad inferna, non doetur in  
Evangelio, & tamen tenendum  
est, sicut Articulus fidei; qu'a  
ponitur in Symbolo Apostolo-  
rum. Ita multa alia de Sacra-  
mentis Ecclesiæ non sunt expres-  
sa in Evangelio; & tamen Ec-*

clesia tenet illa esse tradita cer-  
titudinaliter ab Apostolis ; &  
periculorum esse errare circa il-  
la, quæ non tantum ab Apo-  
stolis descendunt per scripta, sed  
etiam quæ per consuetudinem  
universalis Ecclesiæ tenenda  
sunt.

7 Tertius locus Theologi-  
cus est Summus Pontifex, hoc  
est Decreta, & declarationes il-  
lius in rebus circa fidem, & bo-  
nos mores totius Ecclesiæ uni-  
versalis, & hoc sive solus, sive  
in generali Concilio illa decer-  
nat ; tunc enim errare non po-  
test, quia loquitur ut Vicarius  
Christi, seu ex Cathedra, cui  
in Petro dictum est à Christo  
Math. 16. & Joann. 21. *Tu es  
Petrus, & super hanc petram  
edificabo Ecclesiam meam :: Ti-  
bi dabo claves :: pasce oves  
meas :: Rogavi pro te, ut non  
deficiat fides tua, & tu confir-  
ma fratris tuos.* Ex quibus con-  
stat, Vicarium Christi, & Suc-  
cessorem D. Petri esse infallibili-  
lem in præfatis decretis, & hoc  
sive per se solum, & extra Con-  
cilium, sive cum illo, vel intra  
illud ; Nam Cathedra Romana,  
seu Sedes Apostolica eadem est  
quoad potestatem, & authori-  
tatem, sedente Benedicto XIV.  
ac sedente D. Petro : Atqui se-  
dente D. Petro erant infallibilia  
Sedis Apostolicae decreta, sive  
cum consilio aliorum fratrum,

vive absque illo : erg. prædicta decreta habent firmam, & irrefragabilem vim in rebus fidei, & morum decidendis, obliganturque fideles omnes illis stare, atque obedire : erg. & sunt solida principia ex quibus Theologus potest deducere suas Theologicas conclusiones.

8 Quartus locus est Ecclesia Romana, quæ est Congregatio Fidelium sub uno Capite Christo, ejusque Vicario interris Summo Pontifice Romano. Hic locus etiam est magni ponderis, nam Deus non sinit eam errare, quam audire jubet : nec est credibile Deum permettere errorem ad eo universalem in tota Ecclesia, & universo populo : erg. quod ab universis Christi fidelibus tenetur ut certum rebus fidei, aut morum, potest assumi ut certum antecedens ad probandam conclusio nem Theologicam.

9 Quintus locus est Concilium cœcumenicum, seu generale legitimum, quod est cœtus, seu adunatio, & congregatio Episcoporum, & aliorum Prælatorum totius mundi cum Summi Pontificis licentia, ipsoque Summo Pontifice præsidente, & confirmante, vel per se, vel per legatos suos. Omnia de cœta ipsius consilij, omnesque ejus canones sunt dogmata fidei, fideque divina creduntur,

& anathemazitatur, qui non credit ; quia hujusmodi Concilium non potest errare, eo quod Spiritus Sanctus eos docturus omniem veritatem, promisit Christus; Joann. 14. *Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò; Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos decebit omnia, & suggesteret vobis omnia, quæcumque dixerim vobis.* Et cap. 16. *Cum veni rit ille Spiritus veritatis, decebit vos omnem veritatem.* Et Math. ultimò. *Ecce ego vobis cum sum usque ad consummationem saeculi.* Et 18. *Ubi fuerint duo, vèl tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum.* Quæ testimonia intelliguntur de Concilio generali legitime congregato, & à Romano Pontifice confirmato. Unde, Trident. ses. 13. *Ecclesia Catholica (inquit) ab ipso Iesu Christo Domino nostro, & ejus Apostolis erudita: atque à Spiritu Sancto, illi omnem veritatem in dies suggestente, docta.* Et decretum Concilij Apostolorum Act. 15. ait: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis &c.* Ergo ex hoc loco sumitur firmissimum argumentum ad dedendas conclusiones Theologicas.

10 PRædictis locis additur etiam communis consensus PP.

& DD. Ecclesiæ ; quia pie creditur, quod quando omnes conveniunt unanimiter in aliqua quaestione de fide decernenda, vel in explicando aliquo loco Sacrae Scripturæ, errare non possunt ; quia illos Deus providit Ecclesiæ suæ Pastores , & Doctores , ut non circunferamur omni vento Doctrinæ , ait Paul. ad Eph. 4. & ut condiant mentes , & corda populorum , ne corruptantur , & corrodantur vermis , & putredinibus falsorum dogmatum ex prava Scripturarum intelligentia , & venenosa consuetudine hæreticorum. Ob quod Concilium Trident. ses. 4. pro editione, & usu sacrorum librorum statuit , ut nemo sua prudentia innixus , in rebus fidei , & morum ad edificationem doctrinae christiane pertinentium , Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens , contra unanimem consensum Patrum interpretari audeat, &c. Ex quibus patet, hunc esse etiam bonum locum Theologicum: sicut foret , si non omnes conveniunt , licet pauci tantum dissentiant.

¶ 11 Additur etiam unanimis consensus Theologorum, de quibus sic scribit D. Greg. 36. moral. c. 7. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii ; constitues eos principes super omnem terram.* In virtute quippe antiquorum PP. si qui postmodum Pra-

lati sunt , subrogantur ; quia & cum annosa arbusta succiduntur , in eorum labore tenera virgulta succrescunt. Unde quando Theologi Scholastici concordant in aliquo dogmate, quod sustinent esse de fide, quamvis nondum definitum; non solum est temerarium , sed etiam erroneum, & hæresi proximum ab illis dissentire. In alijs verò , vel quando inter se ipsos dissentiant, authoritas eorum non excedit gradum opinionis , nec facit locum , verè , & certè Theologicum , sed tantum probabile. Idem sentendum est de Doctoribus Canonistis , ob easdem rationes.

12 ULTIMO addunt aliqui scientias naturales , quæ possunt deservire , tūm ad ostendendum , veritates fidei non adversari rationi naturali ; licet sit supra illam : Tum etiam ad diluenda argumenta contraria ; quia sunt multi vaniloqui , garruli , & seductores , qui facile blasphemant quod ignorant , quos oportet redargui , & confundi efficacia rationis , & testimonio scientiæ naturalis , quam habere se iactant. Sed hic locus maximè extrinsecus , & extra ordinem Theologicum est. Alia verò loca important directè , vel indirectè divinam revelationem , qua fulciuntur , ut patet præser-

septim in primis quinque, in quibus est promissa Spiritus Sancti assistentia. Communis autem consensus PP. atque Fidelium sine Romano Pontifice, non facit rem de fide; quia non illis, sed soli Petro, & ejus successoribus dedit Deus protestatem decidendi controversias in materia fidei. Attamen prædictus unanimis consensus sapit fidem; & ejus contradictoria sapit hæresim.

13. CONCLUDIMUS ergo dicendo, quod Sacra Theologia, quæ est Theologia vera, verèque sacra, sunt Conclusiones, quæ necessario deducuntur unanimi consensu Theologorum ex dupli præmissa explicitè revelata, & expressè ab Ecclesia definita. Item conclusiones immediatè, & necessario deductæ ex una præmissa explicitè revelata, & expressè definita, & ex alia naturaliter evidenti apud omnes. In hoc sensu Sacra Theologia est opinatiæ de fide, ut in tractatu de fide videbimus, & ejus contradictoria est opinatiæ hæretica. Vel saltem in hoc sensu sumpta Sacra Theologia est scientia (seclusa evidentiæ,) & illa sapientia, de qua Div. Paulus 1. ad Chorinth. c. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos: Sapientiam vero non hujus saeculi, nec principum hujus saeculi: Ser-

mo meus, & predicatione mea non in perspicilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei: Nos autem non spiritum hujus mundi accipimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis; quæ & loquimur non indoctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Hucusque Apostolus, quem possunt videre, qui ita demissé de Sacra Theologia sentiunt, ut afferant esse scientiam simpliciter naturalem, & quod remanet in hæreticis desiciente superna fide de quibus noster Matthæucc. oper. dogmat. controv. 1. cap. 6. num. 29. inquit: *In hæreticis non est Theologia, nec ipsi Theologi dici possunt, cum in ipsis non sit fides, à qua non minus Theologia essentialiter dependet, quam assensus conclusionis dependeat ab assensu præmissarum, quo pereunte, scientiam pariter destrui necesse est.* Ideo nulla apud eos est Theologica conclusio, quamvis ex revelatis, seu ex Scriptura discurrant. Quoniam non discurrunt ex revelatis, per ipsos fidei divina creditis, cum ipsi fidei carant, & sint fidei Catholicæ hostes. Quare solum est in eis

Theologia cadaver, & auri calchum; vel aptius, est in illis dialectica sophistica rebus divinis se ingerens, quibus assentiuntur non ex motivo supernali, sed ex propriæ tantum electione voluntatis, & ex fide naturali acquisita.

14 NOranter diximus, sumpta Sacra Theologia pro conclusionibus necessariò, & immedia te deductis; nam si sumatur pro conclusionibus tantum opinati vè deductis, & post varios opinatios discursus, talis Theologia nou est scientifica, sed opinabilis, seu cumulus opinionum; & hanc fatemur posse esse naturalem simpliciter; & fortasè in-

veniri in hæreticis. In primo igitur sensu, quæ est propriè vera, & Sacra Theologia, & cuius contradictionia vel est opinati vè hæretica, vel erronea, vel proxima errori, vel sapiens hæresim, &c. de quibus possunt, videri Noſt. Poteſta. tom. 2. c. 5. num. 297. & Matthæucc. op. dogm. Cont. 7. c. 3. à num. 35. Et Arb. disp. 6. c. 4. Pro Concluſione hujus Proœmialis diſputationis, ſic illam definimus: *Sacra Theologia eſt ſcientia, & ſapientia ſupernaturalis verſans circa Dum, & res divinas, quatentis ex principijs fidei divinitutis reuelatit demonſtrantur, explicantur, & defenduntur.*

## TRACTATUS PRIMUS.

### DE DEO UNO; ET IUSQUE ATTRIBUTALI- bus Perfectionibus.

CUM finis, & Scopus hujus ſacrae doctrinæ ſit homini via tori tradere cognitionem Dei ad ſalutem conſequendam, ſen ut ſalveretur; ideò meritò poſt proœmialem diſputationem, ante omnia ipſius natura conſideranda venit. Proquo ſit.

#### DISPUTATIO I.

##### DE EXISTENTIA, ET Effentia Dei.

**Q**UANVIS hoc no men Dei primitùs fuerit confeſtatum ad designandam primam

omnium rerum cauſam; decurſu tamen temporum, adhuc in Sacris Literis, varias significatiōes obtinuit. Primo, per abuſum; hoc modo dicebant dij Gentilium idola, & erant dæmonia, Ps. 95: *Omnis dij gentium dæmonia.* 2. per participationem, & adopti vè, ho c mo-

modo vocatur quilibet iultus,  
& sanctus ; Ps. 81: *Ego dixi dij  
estis, & Filii excelsi omnes.* 3.  
sumitur significativé, pro eve-  
tis ad dignitatem , sive Eccle-  
siasticam , sive politicam , de  
quibus Exod. 32. dicitur:  
*Di s non detrahes.* 4. sumitur  
potestativé , hoc modo dixit  
Deus Moysi , Exod. 3: *Ecce  
constitui te Deum Pharaonis.* 5.  
Sumitur solicitativé , sic intelli-  
gitur Paul. ad Philip. 3: *Quo-  
rum Deus venter est: idest, quod  
de ventre habent curam talem,  
qualem deo babere d berent.*  
6. propter dominationem in  
Regibus , & Principibus dici-  
tur Ps. 45: *dij fortis terrae ve-  
bementer elevati sunt.* 7. prop-  
ter administrationem justitiae tri-  
buitur hoc nomen Judicibus.  
Ps. 81. *Deus stetit in sinagoga  
deorum.* Quo respond. ad insa-  
nia argumenta , quibus fatiè  
pluralitatem deorum volunt  
probare Gentiles. 8. tandem  
hoc sacrum nomen Dei sumitur  
propriè ; quatenus convenit illi  
supremo enti , quod veré , &  
propriè Deus est.

<sup>2</sup> Nomen Dei sic acceptum  
importat apud nostrum intellectum primum ens, omnium  
supremum, fine, & principio  
carens, omnibus dans esse, &  
à nullo accipiens, summè bo-  
num, in sua natura infinitum,  
à nulla creatura comprehensi-

## Quæst. I.

bile , & sibi soli effabile . Per  
hæc omnia verba , & quam plu-  
rima alia , quæ Theologi asse-  
runt , tantum exprimitur con-  
ceptus communis Dei ; non ve-  
rò proprius , nec singularis : ta-  
lem enim ex vi naturæ non pos-  
sumus habere pro hoc statu ;  
unde ipsum Deum potius cir-  
cunloqui , quam definire vale-  
mus ; & facilius dicere possui-  
mus , quid non sit , quam quid  
fit . Etymologia hujus nominis  
Dei , sumitur ab uno verbo He-  
braico , quod significat esse ;  
quia Deus est omnium entium  
præstantissimum , juxta illud  
Exodi 3 . *Ego sum , qui sum* :  
vel originatur ab uno verbo  
græco , quod significat *prospicere* ;  
quia omnia nuda , &  
aperta sunt coram oculis Do-  
mini : vel ab alio , quod signifi-  
cat *currere* ; in quantum per  
providentiam Deus omnia per-  
currit , ut confoveat : vel ab  
aliо , quod significat *urere* ; Deus  
enim igne divini sui amoris ,  
velut in se æstuat , unde dicitur  
ignis consumens : vel denique  
dicitur Deus ; quia nihil ipsi  
deest , & omnibus dat om-  
nia . Jam ergo sit  
quæstio .



## QUÆSTIO I.

*AN SIT DEUS, ET AN  
fit Unicus?*

1 PRO intelligentia quæstionis, est observandum, quod licet scientia naturales debeant presupponere præcognita, & præcognitiones suorum objectorum, hoc est, *an sint? & quid sint?* Curando solum de proprietatibus, & passionibus ipsorum: nihilominus Sacra Theologia scientiarum regina non abs re in probanda Dei existentia, & explicanda ipsius essentia, detinetur. Tum, quia cum Sacra Theologia dependeat a revelatione existente, necessariò debet scire existentiam, tam revelationis, quam revelantis; & cum haec cognitio sit Theologica, hinc est, quod ad Theologiam spectat probationem existentia, & essentia sui objecti. Tum etiam, quia existentia competit Deo necessariò, & essentialiter; objectis vero aliarum scientiarum contingenter, & mutabiliter; unde non mirum, quod alias scientia non tractent de suorum objectorum existentia, quod non evenit in supernaturali nostra doctrina. Insuper cum sacra nostra doctrina sit practica, & ordinetur ad dirigendam pra-

xim, qua mediante posset acquiri, vel perdi ultimus finis hominis, qui est Deus; & hoc frustra fieret, nisi Deus existret, hinc est, quod probare debet existentiam ipsius; vel denique possumus dicere, quod hoc probat quasi per accidens, & ex alienis, videlicet ex Philosophia de effectu ad causam. Item ex Metaphysica sub ratione entis primi, necessarij, & perfectissimi. Hoc supposito, sit:

2 Conclusio prima. Datur Deus. Haec conclusio est contra Atheos, & Politicos, qui ut genio suo lubentius, & impudentius indulgeant, Dei existentiam in dubium revocant. Cujus pestilentissimi erroris principes extiterunt Protagoras, Diagoras, & alij, qui appellantur Atheistæ, id est, homines sine Deo. Immò Plinius, licet in naturali Philosophia doctissimus lib. 2. cap. 7. relinquit, an sit aliquod numen, *& quidquid sit, esse ridiculum, quod illud curam gerat rerum humanarum;* quo certè numen è medio sustulit, nam ut Epicuro ait Lactantius: Cum providentiam sustulit, etiam Deum negavit. Et Sanct. August. lib. 5. de Civ. Dei, cap. 9. Confiteri Deum, & negare præscientiam futurorum, apertissima insania est. Unde, & Psalmist. Ps. 13. vocat insipientem eum,

eum , qui Deum negat : *Dixit insipiens in corde suo : non est Deus.* Pro politicis id negantibus assumpsit patrocinium Nicolaus Machiav. homo impiissimus. Id ipsum testatur Lindan. de pravis Novatoribus , & hæreticis , qui ex Catholicis sunt Lutherani , ex Lutheranis Zuングiani , & ex his Calvinista; atque sic omnes sectas profitentur , & nullam,& tandem, Deum non esse,maxima impietate affirmant. Contra quos omnes.

3 PROB. nost. Conclusio ex D. Paul. ad Rom. 1. Quod notum est Dei , naturali lumine, manifestatum est à Deo, etiam Græcis , & Barbaris. Invisibilia enim Dei , etiam semper ita ejus virtus , & divinitas , vel ex sola creatura mundi , seu per ea quæ facta sunt, conspiciuntur intellecta , seu per discursum naturalem intellectus : ita ut sint inexcusabiles , qui id negant. Unde meritó sapiens ; cap. 13. ait : *Vani sunt omnes homines , in quibus non subsistit scientia Dei, & eis , quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum , qui est , neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex: à magnitudine enim speciei , & creaturæ , cognoscibiliter poterit creator horum videri. Interrogata iumenta , & docubunt te; & volatilia cœli , & indica-*

bunt tibi. Loquere terra , & respondebit tibi , & narrabunt pisces maris. Job. c. 12. vers.7.

4 PROB. 2. rationibus , & Sacris Scripturis permixtim: omnia quæ producta sunt , non à se ipsis , sed ab alio producta sunt , quis hoc neget ? *Ipse fecit nos , & non ipsi nos.* Ps. 99.: Ergo ita certum est , existere aliquod ens , quod à nullo sit productum ; & à quo reliqua omnia producta sunt , quod omnium confessione est Deus. *Ego sum qui sum.* Exod. 3. à me ipso , seu vi solius essentiæ meæ ; ac proinde necessariό, infinite , illimitatè , ab aeterno , & immutabiliter : à quo , & ex quo cætera omnia entia promana- runt. Ex nihilo creavit Deus cælum , & terram Genes. 1. *Vi- debo cœlos tuos opera digitorum tuorum.* Ps. 8.

5 PROB. alia ratione, quia tam multæ , tam variae , tam vastæ , tam pulchræ creaturæ arguunt aliquem esse , qui perfectiones omnium Eminentēr inse continet , qui mente sapientissima has omnes apud se ante præconceperit , inter se contulerit , dimensus sit ; ac deinde infinita virtute exterius produxerit : Atqui ex omnium sententia hic est Deus ; nam Ps.93: *Qui plantavit avrem non adiicit ? Qui fixit oculum , non considerat ?* Iai. 66. *Nunquid ego,*

*ego , qui alios parere facio , ipse non pariam? Ego qui generationem ceteris tribuo , sterilis ero?*

Erg. &c. Tertia ratio est : Est aliquis , qui totum hoc universum sua potentia conservat , alioquin statim interitum. Psal. 118. *Ordinatione tua perseverat dies , quoniam omnia serviunt tibi.* Sapient. 11. *Quomodo posset aliquid permanere , nisi tu volasses ?* Deindē , est qui pro libito omnia gubernat in toto universo : Et est , qui omnia , etiam irrationalia , etiam inanimata , in certum finem , quem ipsa , sicut non agnoscunt , ita neque intendere , neque elegere possunt , & ipse certa scientia dirigit , ac deducit : numerat multitudinem stellarum ipse utique , tanquam exercitum familiantium sibi militum , & omnibus eis nomina vocat : ad nutum ejus Sol , Luna , & omnes stellæ dederunt lumen in custodijs suis , & latatae sunt : ( Baruch. 3.) Vocatae sunt , & dixerunt , adsumus : Et luxerunt ei cum jucunditate , qui fecit illas : Ipse est , qui quando , & ubi vult , producit ventos de thesauris suis , educens nubes ab extremo terræ ; fulgura in pluviam fecit : quis araneam docuit texere telam suam captandis muscis ? quis apiculas favos construere ? quis formicas granā in hiemem convehere ? Quis

inquam , hæc , & alia mirabilia potest facere , nisi Deus ? Ergo datur Deus.

6 DEnique ( omisis alijs rationibus Subtiliss. nost. Doct. in 1. dist. 2. quæst. 1. quæ est 2.) Prob. nostr. Conclusio ex ipsa hominis conscientia , & ex severa punitione eorum , qui vel negant , vel blasphemant , vel contemnunt Deum , quæ cogit velint nolint illum agnoscere. Quis enim aliis Deo rebelles , & superbos gigantes aquis diluvij involvit ? Quis Sodomitas ; quis Pharaonem , Senacherib , Nabuchod , Balthasarem , Heliodorum , Nicanorem , Antiochum , Agrippam , & tot alios Theomacos subita , ac violenta morte è vivis eduxit , non ob aliud , teste toto orbe , quam quod Deo petulantiū insultarent ? Tum etiam , ex stimulis conscientiæ , sive tacita formidine , qua , admisso , seu commisso gravi delicto , vg. homicidio , homines etiam ethnici concutiuntur , quanvis illud in solitudine , & absque teste patratum fuerit. Quero enim , quem Judicem formidare potest homicida ille? non se ipsum ; quia nullum à se ipso supplicium pertimescit. Non alium hominem , qui crimen testetur , aut puniat ; nam certus est ; nullum mortalium consicum esse sui sceleris ; & tamen tacitus quidam tremor , & solli-

citus pavor illum exagitat. Quid hoc? Semper enim præsumit sæxa conscientia prava. Deum igitur ubique præsentem, Deum omnia etiam occulta inspectantem trepidando metuit, & metuendo agnoscit. Hinc igitur agnoscamus, nos in ipso mentis nostræ tribunali adeo vivum testimonium Supremi numinis circumferre, ut si debitam illi fidem, & obsequium non exhibamus, non tantum Deum judicem, sed etiam nostram conscientiam habemus vindicem, testem, & accusatorem contra nos.

7. Pro 2. quæstionis parte est notandum, quod *unum*: prout ad præsens attinet, potest accipi in dupli sensu. Primo, affirmativè tantum, sic quodlibet ens est *unum*, etiam si a parte rei alia similia entia existant; quia sic *unum*, est omne indivisum in se, & divisum a quolibet alio. 2. sumitur *unum*, *exclusivè*, sic *unum* est idem, ac *unicum*, & excludit omne consortium aliorum similium, ut Sol dicitur *unus*, seu *unicus*. In hoc ergo sensu procedit nostra quæstio; non solum contra Gentiles, qui, teste Euseb. lib. 5. præparationis Evangelicæ cap. 15. Triginta millia Dcorum admisserunt in terra, immo, & adhuc plura; sed etiam procedit contra hæreticos, Martinem, scilicet, potenterem tres Dcos, Unum vici-

bilem, invisibilem alterum, & tertium diabolum: Contra Manem, ac suos sectatores Manichæos, afferentes duos deos, unum bonum, & alterum malum; ac denique contra Tritheitas, qui existimarent dari tres deos ob Sacrae Scripturæ loca, quibus probatur Trinitas personarum. Contra quos, & alios sit

## 8. CONCLUSIO nostra.

Deus est Unus, seu Unicus, ita ut sit impossibilis omnino Deorum pluralitas. Hanc conclusionem, quæ est de fide, & omnium Theologorum, probat Subtiliss. noster Doct. in 1. d. 2. q. 3. §. in ista quæstione Vers. Videlur tamen, quod ista veritas possit naturali ratione ostendi, & hoc sumendo viam. Primo, ex infinito intellectu. 2. ex infinita voluntate. 3. ex infinita bonitate. 4. ex ratione infinitæ potentie. 5. ex ratione infiniti absolute. 6. ex ratione necessitate esse. 7. ex ratione omnipotentie. Quæ septem rationes ibi ad longum possunt videri; quia nobis non licet tempus insumere in examinandis omnibus. Prob. tamen aliquibus admixtis etiam Sacris Scripturis: Primo, quia Deus est infinitè perfectus, & essentialiter, ac necessario continet omnem perfectionem, sub latitudine entis possibilem, Exod. 3. v. 14. *Ego sum qui sum.*

Psalm. 144. *Magnitudinis ejus non est finis*: g. continet omnem omnino divinitatem, si quae possit fangi in aliquo: Continet, inquam, non solum eminenter, sed & formaliter; quia divinitas est perfectio simpliciter, quem omnem (etiam secundum Philosophos) debet Deus in se formaliter continere.

9 SECUNDO, Prob: quia Deus est ens simplicissimum, & actus purissimus: *Ego sum qui sum*: g. repugnat illi componi ex genere, & differentia, velex specie, & principio individuante: g. non est, nec esse potest, nisi unicus Deus; quia quod est essentialiter singulare, est unicum. Deinde, Deus est omniscius, & omnipotens. Psalm. 138. *Tu cognovisti omnia novissima, & antiqua*: Et Marc. 14. *Omnia tibi posibilia sunt*. Nunc sic: si plures essent Dij, vel possent occultare sibi mutuò proprias cogitationes, vel non possent? Si prius: g. non essent omnisci. Si postterius; g. non essent omnipotentes; ac per conseq. nec Dij. Denique Deus est Ens altissimum, ac nobilissimum, primus fons, & ultimus finis omnium entium; Proverb. 16. *Universa propter semetipsum fecit altissimus*. Et Apoc. 1. *Ego sum Alpha, & Omega, princi-*

*pium, & finis*. Est item Monarcha, & Rector, totius universi. Sap. 14. v. 3. *Tua autem, Pater, providentia cuncta gubernat*: Atqui haec oinna non, nisi in unum quadrant, ut per se est notum; nam qui habet parem, seu aequalem, non est omnibus altior; nec qui habet consortium in ratione finis, & fontis, potest verè dici primas fons, & ultimus finis; nec regimen Monarchicum, quod est omnium optimum admittit plusquam unicum supremum caput: g. de primo ad ultimum ex naturalibus constat tantum dari unicum Deum.

10 ARGUITUR 1. contr.  
1. conclusionem: Si existentia Dei potest naturaliter cognosci: erg. & Trinitas personarum; quae est identificata cum illa. Atqui Trinitas personarum nequit cognosci naturaliter: erg. nec existentia Dei. Resp. dist. antec. Si posset naturaliter cognosci, quoad *quid est*, conc. Si tantum potest cognosci quoad *an est*, nego: & concessa min. sublumpta, negat. conseq. Etenim, sicut ex cognitione lucis certe colligitur, sol em existere, et si non ob id possit distincte penetrari quidditas illius, & modus, quo existit; sic etiam se habent effectus naturales ad Deum. Unde cum Beata Trinitas spectet ad quid sit Deus,

mirum non est, quod nequeat naturaliter fieri.

11 ARG. 2. Quod nec est à se, nec ab alio, non est; sed si esset, aut daretur Deus, nec esset à se, nec ab alio: erg. non est, aut non datur Deus. Prob. min. Et in primis non esset ab alio, alias non esset primum ens, nec independens: ac proinde non esset Deus. Non etiam esset à se; quia nihil producit se ipsum, alioquin esset antequam esset; quia prius est esse, quam producere, seu operari: erg. supponeret esse antequam esset, quod implicat. Resp. cum nost. Bassol, in 1. d. 2. q. 2. ad secundum principale disting. min. quoad prim. part. non esset à se effectivè, positivè, seu per productionem, conc. non esset à se negative, hoc est per negationem productionis, tám ab alio, quam à se, nego. Etenim ly esse à se; non dicit effectionem, nec emanationem, quasi Deus se ipsum producat, aut emanet; sed tantum dicit negationem productionis; ita quod idem sit esse à se, ac non esse productum, nec habere principium.

12 ARG. 3. Si daretur Deus, esset ens infinitè bonum, & infinite justum: atqui hoc non datur: erg. nec Deus. Prob. min. Tum, quia si daretur bonum infinitum, non daretur ali-

quod malum; quia quodlibet malum est incompatibile cum infinito bono, sicut quodlibet frigus cum infinito calore. Tum etiam, quia infinita justitia deberet impedire infinita mala; sicut justitia finita impedit mala finita; sed experientia constat plurima esse mala; & quod via impiorum prosperatur: erg. non datur ens infinitè bonum, nec infinite justus. Resp. neg. min. & disting. probat. illius; non daretur aliquid malum intra se, conc. extra se neg. Eodem modo respond. ad illud de justitia. Vel aliter respond. ad utrumque: Si tale infinitè bonum, & infinite justum ageret necessariò, & ex impetu naturæ, conc. si ageret liberè, neg. Deus autem non agit necessariò ad extra, sed omnino liberè: Omnia quæcumque voluit fecit in Cœlo, & in Terra; quapropter licet sit infinitè bonus, infiniteque justus, malos esse permittit ob fines altissimos suæ providentia; omnis enim malus, aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit ut per eum bonus exerceatur. Deinde, multa sunt mala in regulis justitiæ, & providentia humana, aut particularis, quæ bona sunt, aut non sunt mala in regulis justitiæ, & providentia divinæ, ac universalis.

13 ARG. 4. Non datur  
K 2 alius

alius Deus , nec est necessarius, quām ipsa natura : sed hanc non vocamus Deum : erg. non datur. Prob. maj. non enim vindictor universum regi , nisi à natura , quæ uno cursu , & ordine semper eadem agit ; nox enim eodem cursu succedit dici, æstas veri , æstati autumnus , & huic hyems ; homines semper nascuntur , & moriuntur ; sic etiam est de animalibus : atqui hæc non succederent ita regulatèr , si aliquis Monarcha intelligens , & liber gubernaret; nam ubi leges sunt arbitrariæ , Præcepis illas mutat ad libitum , aut saltē pro temporum , & negotiorum exigentia , & varietate : erg. non datur alius Monarcha universi præter naturam. Resp. neg. major. & ejus probat. sicut & minorem : Nam in primis si Deo placuit statuere ipsi naturæ regulas permanentes , à quibus non recedat, quid inde contra ejus existentiam? Præterea, falsum est, Deum non dispensasse sapientiæ in naturæ regulis , ut patet ex miraculis quotidianis , quibus videmus in hyeme flores , & fructus , in æstate nives , & glacies; in aquis soliditatem , & regressum ; in igne ardoris suspensionem ; in Sole retrogradationes , & Eclypses extraordinarias ; ex mortibus resurrectiones , & ex diluvijs terram inundantibus , &c.

Hæc omnia spectant ad providentiam alicujus Dei: erg. &c.

14 ARG. contra utramque conclus. simul ; si verum est, quod datur unicus Deus , & hoc rationibus naturalibus monstratur : g. non est necessaria hominî viatori doctrina supernaturalis divinitus inspirata ad salutem consequendam. Atqui hoc est contra assertum Disput. procemiali : g. vel non est verum dari unum Deum, vel id nequic constare rationibus naturalibus. Vrgetur ; de veritate utriusque conclusionis datur fides. Patet ex Symb. Eccl. *Credo in Deum.* Ex Symb. Apost. *Credo in unum Deum.* Ex D. Paul; ad Hæbr. cap. 11. ubi ait : *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator est;* quibus duo distinguit , nempe , quod Deus sit , & quod inquirentibus remunerator sit , & quod utrumque fide divina est credendum. In super nihil aliud magis incutere videtur Sacra Scriptura, quām existentiam , & unitatem Dei : g. falsum est, quod veritas utriusque Conclusiovis possit ostendi naturalibus rationibus. Patet consequentia ; nam alias inutilis , & superflua esset revelatio , & fides. Deinde etiam sequeretur posse dari fidem , & scientiam de eodem objecto; seu quod

quod idem objectum cognoscetur obscurè, & evidenter.

15. RESPOND. ad argumen. neg. consequentiam, vel illam disting.; non est necessaria doctrina supernaturalis ad cognoscendum confusè, & indistinctè, quod datur unus Deus, conc. non est necessaria ad cognoscendum determinatè, & distinctè qualis sit iste Deus, neg. Patet distinctio ex ibi dictis; nam antiqui Philosophi cognoverunt dari unam primam causam, unum primum motorem, unum primum ens, & unum Deum; Attamen non cognoverunt determinatè, & distinctè qualis esset; ob quod valde erraverunt. Vel aliter etiam distinguitur consequens; non est necessaria doctrina supernaturalis ad cognoscendum unum Deum, ut authorem naturæ, conc: ut authorem gratiæ, neg. Eodem modo, eademque distinctione Resp. ad urgent. & reliquum argumenti: Nam unus Deus scitur naturaliter, ut est author naturæ, sed est necessaria revelatio, & fides, ut creditur, ut est Author gratiæ. Similiter de Deo uno authore naturæ datur scientia, & cognitionis evidens; non vero de Deo uno authore supernaturali, & gratiæ: isto enim modo datur de illo fides, & cognitionis enigmatica obscura, & in evidens, qualis est sacra nostra Theologia.

16. ALITER potest etiam responderi ex Magistris, Angel. & Subtil; nempe, quod esse unum Deum non est articulus fidei, nisi in eo, qui demonstrationem non capit; sed esse præambulum ad fidei Articulos. Deinde, veritas utriusque Conclusionis nostræ potest diverso respectu esse fidei, & naturalis: Est articulus fidei respectu illorum, qui eam cognoscunt quatenus est revelata; & est veritas naturalis respectu illius, qui eam deducit ex præmissis naturalibus. Immò, respectu eiusdem intellectus potest esse & fidei, & naturalis; intellectus enim uno actu potest credere esse unum Deum, quia revelatum est; & alio actu potest scire evidenter per rationes, quas attulimus, & alias plurimas, quas adducunt Catholici DD. sed de hoc amplius in materia de Fide.

17. Arguitur contra 2. conclusionem sigillatim: Plus potest Deus facere, quam intellectus creatus cogitare: Sed intellectus creatus potest cogitare, & de facto cogitavit plures Deos: ergo. Deus potest illos facere, ac per conseq. non est unicus Deus. Resp. quod licet intellectus phantasticus gentilium, qui Deum non intelligebant, ut infinitè perfectum, intellexit etiam plures Deos.

Deos ; intellectus verò rationa-  
lis , & peccatis non obcäcatus,  
non potest intelligere , nec co-  
gitare plures Deos ; videt enim  
illicò , talem pluralitatcm Deo-  
rum omnino implicare , & esse  
impossibilem ; unde licet intel-  
lectus phantasticus possit plus  
cogitare , quam Deus facere,  
sicut potest cogitare entia ratio-  
nis chimerica , intellectus ta-  
men rationalis hoc non potest;  
immò plus Deus facere potest,  
quam iste intelligere naturaliter,  
ut patet in Mysterijs nostræ  
fidei.

18 Arguit. ulterius contra  
hanc conclus. ex Sacra Script;.  
nam. 1. ad Corinth. 8. inquit  
Paul: *Sunt multi domini , &*  
*dij multi , & alibi : Ego dixi,*  
*dij estis ; & , non est s.m lis tui*  
*in dijs , Domine : Erg. dantur*  
plures. Resp. neg. conseq. Nam  
D. Paulus loquitur de Dijs,  
qui falsò , & ex errore , vel  
adulatione hominum dicuntur  
tales. Ita vocant Deos Reges,  
Dominos , & magnates , qui ex  
ipsorum impia politica præten-  
dunt metu , & veneratione vul-  
gares homines , ut eos collant  
tanquam Deos ; & ex illorum su-  
perbia , qua honores divinos  
sibi affectabant inter gentiles.  
Hoc etiam proveniebat sàpè ex  
fallacia dæmonum ; qui præsti-  
giis suis semper conati sunt  
avertere homines à cultu vero

divinitatis. Ipse enim dæmon  
est omnis idolatriæ Parens,cum  
in primo suæ creationis mo-  
mento , divinitatis amulato<sup>r</sup>  
similis altissimo fieri voluit.  
Deinde , primos nostros Paren-  
tes ad idolatriam solicitavit,  
dicens : *Eritis sicut D'j.* In alijs  
locis dicuntur Dij , qui habent  
aliquam similitudinem cum Deo  
propter particionem potestatis  
aut gratiæ , ut ab initio dixi-  
mus.

## QUÆSTIO II.

Utr. *DEUM ESSE , SIT*  
*per se Notum?*

I P RO quæstionis intelli-  
gentia recolenda sunt,  
quæ diximus in fine Logicæ  
tractatu de Demonstratione:  
Disp. unic. quæst. 6. Ibi  
enim diximus , quod Tho-  
mistæ communiter propositio-  
nem per se notam sic definiunt:  
*Est cuius prædicatum est de ra-*  
*tione subjecti.* Hanc definitio-  
nem rejiciunt omnes Scotistæ:  
Tum , quia non convenit omni  
suo definito ; nam propositio in  
qua immediata passio prædicatur  
de definitione adæquata subjecti  
vg. *animal rationale est capax*  
*disciplinæ* , est propositio per se  
nota : atqui hujus propositionis  
prædicatum non est de ratione,  
sæc. de essentia subjecti: erg. præ-  
dic-

dicta definitio non convenit omni suo definito. Tum etiam, quia convenit dicta definitio alijs à suo definito; nam propositiones in quibus ratio generica prædicatur de specie, sunt cuius prædicatum est de ratione, seu de essentia subjecti. vg. *Homo est ens, substantia, corpus, vivens, animal*; atqui tales propositiones non sunt per se nota: erg. dicta definitio convenit alijs à suo definito. Major cum Conquenteret, Min. prob.; quia talia prædicata generica ex se, & per se non sunt connexa cum specie, sed connectuntur per aliud, scilicet, per differentias specificas, quæ talia prædicata generica contrahunt, & determinant ad suas proprias species, vg. *animal contrahitur ad hominem per rationalitatem*: erg. in tantum connectitur animal cum homine, in quantum ad ipsum contrahitur per rationalitatem; ac per consequens non per se, sed per aliud est connexum prædicatum cum subjecto. Atqui propositio per se nota est, cuius prædicatum est per se, & non per aliud connexum cum subjecto: erg. dicta definitio convenit alijs à suo definito.

2. Est igitur propositio per se nota illa, cuius veritas, seu cuius connexio, aut dissensio, cuius affirmatio, aut negatio evidenter constat, cognitis ipsis ter-

minis, seu cognito subjecto, & prædicato, & hoc vel distincte, vel confusè; ita quod præter notitiam terminorum illius propositionis, sive affirmativa, sive negativa sit, nullo alio medio à priori egeat intellectus ad percipiendam connexionem, seu repugnantiam prædicati cum subjecto; quia veritas propositionis per se nota debet esse independens à qualibet alia veritate à priori. Unde ab Aristotele dicitur, medio vacans; & à Philosophis vocatur immediata; quia inter prædicatum, & subjectum nihil mediat, sive interin prædicatum sit de essentia subjecti, ut in hac: *Homo est animal rationale*; sive propria passio, ut in hac: *Animal rationale est risibile*. Sic dicitur propositio per se nota, *Totum est majus sua parte*; & quia oppositorum eadem est ratio per oppositum, etiam erit per se nota hæc: *Totum est minus sua parte*; quia quilibet intellectus cognoscens quid significet totum, quid pars, quid majus, & quid minus nulla alia cognitione, nulla ve probatione indiget, ut evidenter percipiat, *omne totum esse majus sua parte*; & *nullum totum esse minus sua parte*.

3. Præterea, Sol dicitur per se visibilis, quia nullo alio lumine indiget, ut videntibus appareat, cum ille sit totius lucis, fons,

fons, & origo : sic similiter illa propositio dicitur per se nota ( inquit Subt. Doct. in 1. dist. 2. q. 2. §. quoniam ) quæ ex terminis proprijs , qui sunt aliquid ejus , ut sunt ejus , habet veritatem evidentem ; & non propter aliquod aliud , quod sit extra terminos proprios habet evidentiam , sed ex se tantum ; ut , omne totum est majus sua parte. Hucusque Doct. Quibus suppositis :

4 Sit nostra Conclusio : Hæc præpositio Deus est , seu Deus existit ; est per se nota ; non tamen prout à nobis talis propositio concipitur. Hæc Conclusio est communis , & expressa D. Thomæ , & Subt. Doct. qui loco citato. §. ex his , inquit : *Ex his ad questionem dico , quod propositio illa est per se nota , quæ conjungit ista extrema , esse , & essentiam divinam , ut est hæc ; sive Deum , & esse sibi proprium. Quomodo Deus videt illam essentiam , & esse sub propriissima ratione , qua est in Deo , hoc est , quomodo nunc à nobis , nec esse intelligitur , nec essentia , sed ab ipso Deo , & à Beatis. Quia illa ex terminis suis habet evidenter veritatem , in tantum , quod illa propositio non est per se secundo modo , quasi prædicatum sit extra rationem subjecti ; sed per se primo modo , & immediata , & ex terminis evidens ; quia*

*est immediatissima , ad quam res solvuntur omnes propositiones enuntiantes aliquid de Deo , qualitercumque concepto. Hucusque Doctor. Speculare verba hæc subtilissima ( inquit marginista ) diligenter ; quia multi Scotistarum titubant. Neque valet quorundam effugium ( inquit Mastr. disp. 2. q. 1. num. 1. ) hunc texatum esse quandam additionem , atque signari pro extra. Cum enim illa doctrina ratificetur quodl. 1. ubi ait Subt. Doct. In divinis existentia est de conceptu essentiæ , & prædicatur de primo modo dicendi per se , sic quod propositio illa per se est prima , & immediata , ad quam omnes aliae resolvuntur , ut patet in 1. d. 2. q. 2. Hac igitur ratificatione legitimatur pro vera , ac genuina Scotti doctrina. Hucusque Mastrius.*

5 Est igitur ista ( prosequitur Doct.) Deus est , vel hæc , Essentia est , per se nota ; quia ista extrema nata sunt facere evidenter de ista complexione cuiilibet apprehendenti perfectè extrema istius complexionis ; quia esse nulli perfectius convenit , quam huic essentiæ. Sic ergo intelligendo per nomen Dei aliquid , quod nos non perfectè cognoscimus , nec concipimus , ut hanc essentiam divinam ; sic est per se nota Deus est. Ecce prima pars nostræ Conclusionis ab ipso Subtili

**Uli Doct.** probata. Quod amplius expenditur sic : huic propositioni convenit definitio propositionis per se nota: erg. est propositio per se nota. Prob. anteced. ; nam cognitis perfectè terminis ejus proprijs , ut sunt ejus, evidenter patet sui notitiam , seu veritatem connexionis prædicati cum subiecto: at qui ista est definitio propositionis per se nota: erg. &c. Majorem videbimus in Patria , & utinam videamus, sicut vident Beati , qui apprehendentes perfectè *quid est Deus* , & *quid est existere* , eodem instanti per ipsos terminos , & non per aliud, prius cognoscunt connexionem illorum majori certitudine , & evidencia , quam nos cognoscimus totum esse majus sua parte.

6 Dices secundum Scotum: illa propositio est per se nota, quæ ex solis ejus terminis , ut sunt ejus cognoscitur : atqui ista propositio ; *Deus est* , aliunde, & per aliud quam ex ejus terminis potest cognosci : erg. non est per se nota. Prob. min. quia, quod *Deus est* potest cognosci per creaturas; sed creature sunt aliud quam ejus termini : erg. &c. Hoc ipsum potest formari in fide ; nam per fidem probatur, & cognoscitur quod *Deus est* : sed fides est aliud à terminis prælatæ propositionis: erg. per aliud quam ex terminis ejus

poteſt cognosci ; ac per conseq. non est per se nota. Resp. quod si argumentum aliquid probaret , probaret nullam dari propositionem per se notam ; quia nulla est ita per se nota , cuius enuntiatum nequeat probari à posteriori , seu per effectus; v.gr. *Homo est animal rationale* est per se nota ; & ejus enuntiatum sic probatur: *Quod sentit* , & *ratiocinat est animal rationale*: *sed homo sentit* , & *ratiocinat*: erg. *homo est animal rationale*. Ecce veritas propositionis per se nota demonstrata à posteriori , & cognita per præmissas, quod non tollit ut sit per se nota. Respond. erg. distinguendo: propositio per se nota non potest probari , nisi ex terminis ejus , a priori , conc. à posteriori , neg. Et eodem modo distinguatur totum argumentum. Et similiter ad illud de fide , nam fides est quid posterius , & quid valde extrinsecum , quod non obest ad propositionem per se notam.

7 Secunda vero pars nostræ conclusionis est etiam Subt. Doctoris , & D. Thomæ , quanvis aliquali diversitate. Inquit ergo D. Thomas : *Quia quidditas Dei non est nobis nota* , ideo quoad nos *Deum esse* , non sit per se notum , sed indiget demonstratione. Subt. vero Doct. loco citat. pro i. parte , sic ait:

„ Sed si quæritur , an esse insit  
 „ alicui conceptui , quod nos  
 „ concipimus de Deo , ita quòd  
 „ sit propositio per se nota , in  
 „ qua enuntiatur esse de tali  
 „ conceptu , putá in tali pro-  
 „ positione cuius extrema pos-  
 „ sunt à nobis concipi ; potest  
 „ enim in intellectu nostro esse  
 „ aliquis conceptus de Deo dic-  
 „ tus , non communis sibi , &  
 „ creaturæ , putá necessariò ens ,  
 „ vel ens infinitum , vel sum-  
 „ mum bonum , & de tali con-  
 „ ceptu possumus prædicare esse ,  
 „ eo modo qua à nobis conci-  
 „ pitur . Dico , quòd nulla ta-  
 „ lis est per se nota ; quia quæ-  
 „ libet talis est conclusio de-  
 „ monstrabilis propter quid .  
 „ Probatio ; quidquid primò ,  
 „ & immediate convenit alicui ,  
 „ de quolibet , quòd est in eo ,  
 „ sive sibi superiori , sive infe-  
 „ riiori vel de passione , potest  
 „ demonstrari propter quid per  
 „ illud , cui primò convenit ,  
 „ tanquam per medium :: esse  
 „ autem primò convenit huic  
 „ essentiæ , ut hæc , quomodo  
 „ videtur à Beatis : erg . de quo-  
 „ libet , quòd est in hac essen-  
 „ tia , quòd potest à nobis con-  
 „ cipi , sive sit quasi superius ,  
 „ sive quasi passio potest de-  
 „ monstrari esse per hanc essen-  
 „ tiam , sicut per medium de-  
 „ monstratione propter quid .  
 „ Et per conseq . non est per se

„ nota ex terminis ; quia tunc  
 „ non demonstraretur propter  
 „ quid .

8 Probat 2. sic : „ Proposi-  
 „ tio per se nota cuilibet intel-  
 „ lectui ex terminis cognitis est  
 „ evidens : sed hæc propositio  
 „ ens infinitum est , non est no-  
 „ ta sive evidens nostro intel-  
 „ lectui ex terminis . Probatio ;  
 „ tales enim terminos prius  
 „ concipimus , quæam eam cre-  
 „ damus , vel per demonstra-  
 „ tionem sciamus , & in isto  
 „ priori non est nobis evidens ;  
 „ non enim certitudinaliter eam  
 „ tenemus ex terminis , nisi per  
 „ fidem , vel demonstrationem .  
 Hoc patet ex ipsa experientia ;  
 siquidem aperte patet , quod  
 dum concipimus Deum sub ali-  
 quo prefatorum conceptuum ,  
 non statim determinatur intel-  
 lectus noster ad assentendum ,  
 quod tale ens existat ; sed ut  
 determinetur ad assentendum  
 debet urgeri , & manu duci  
 quibusdam rationibus , aut per  
 fidem : erg . ex ipsis terminis  
 hæc propositio Deus est , prout  
 à nobis concipitur ejus termi-  
 nus Deus , non est intellectui  
 nostro evidens ; ac per conseq-  
 nec per se nota .

9 „ Probat . 3. sic : Nihil  
 „ est per se notum de conceptu  
 „ simplicitè simplici , nisi sit  
 „ per se notum , partes illius  
 „ conceptus uniri : nullus au-

, tem

„ tem conceptus , quem habe-  
 „ mus de Deo proprius sibi , &  
 „ non conveniens creaturæ , est  
 „ simplicitè simplex : vel sal-  
 „ tem nullus , quòd nos dis-  
 „ tinctè percipiamus esse pro-  
 „ prium Deo , est simplicitè  
 „ simplex : erg. nihil est per se  
 „ notum de tali conceptu , nisi  
 „ per se notum sit partes illius  
 „ conceptus uniri . Sed hoc non  
 „ est per se notum ; quia unio  
 „ illarum partium demonstra-  
 „ tur . Hucusque Doct .

10 Dices Subt. nost. Doct.  
 loco citat. inquit : quòd non est  
 distinctio inter propositionem  
 per se notam , & per se noscibi-  
 l m , quia idem sunt . Nec est  
 distinctio de per se nota in se ,  
 & in nobis ; quia quæcumque  
 est in se , & per se nota , cui-  
 cumque intellectui est per se  
 nota , licet non actu cognita ;  
 tamen quantum est ex terminis  
 est evidentè nota , si termini  
 concipientur . Item propter idem  
 non valet illa distinctio , quod  
 aliquid est per se notum sapien-  
 tibus , vel insipientibus . Nunc  
 sic eformatur ratiocinium : jux-  
 ta Scot. propositio , quæ in se  
 est per se nota , seu quæ est per  
 se nota aliquibus , omnibus est  
 per se nota : Sed hæc propositio  
*Deus est* , est in se per se nota ,  
 & est per se nota Deo , & Bea-  
 tis : erg. etiam est nobis per se  
 nota ; ac per conseq. vel sibi

ipsi est contrarius Subt. Doct.  
 vel coincidit omnino cum D.  
 Thom. & Thomistis distinguen-  
 tibus inter per se notam , & per  
 se noscibilem ; inter per se no-  
 tam in se , & in nobis ; & inter  
 per se notam sapientibus , &  
 insipientibus .

11 Respond. veras esse au-  
 thoritates Scotti ab argumento  
 relatas ; sed falsum est , sibi esse  
 contrarium , & quòd in dictis  
 divisionibus concordet cum D.  
 Thoma , & Thomist . in hoc  
 enim solum hac in questione , est  
 dissidium inter utramque Scho-  
 lam . Dicimus ergo , quòd hæc  
 propositio *Deus est* , quomodo  
 Deus , & Beati vident significatum  
 per terminum Deum , quòd  
 est divina essentia sub propri-  
 sima ratione qua est in Deo ,  
 quomodo , nunc à nobis non  
 intelligitur , est per se nota ; &  
 non solum est per se nota Deo ,  
 & Beatis , sed etiam nobis ; non  
 solum sapientibus , sed etiam  
 viatoribus insipientibus ; quia  
 extrema prædictæ propositionis  
 nata sunt facere evidentiam de  
 illorum complexione cuilibet  
 apprehendenti perfectè prædic-  
 ta extrema : Unde quando nos  
 apprehendamus perfectè termi-  
 nos , seu extrema hujus propo-  
 sitionis ; *Deus est* , ex ipsis ter-  
 minis , & non per aliud distinc-  
 tum ab ipsis , habebimus evi-  
 dentiam prædictæ complexionis .

Hæc penè ad litteram sunt Scoti : & his non obstantibus , dicimus absque contradictione ; quod hæc propositio , *Deus est* , prout à nobis concipitur non est per se nota , nec nobis , nec Beatis ; quare ? quia hæc propositio prout à nobis concipiatur non est eadem propositio ac illa , quām habent Beati . Vel aliter : hæc propositio *Deus est* , est eadem verbaliter , non tamen objectivē , cum illa quām habent Beati ; nam per hanc vocem *Deus* nobis obiectur ens infinitum , vel summam bonum , &c. De quibus objectis potest demonstrari existentia per propriissimam rationem divinæ essentia , tanquam per medium propter quid inquit Scot. at verò per eandem vocem *Deus* obiectur beatis propriissima ratio divinæ essentia ; *Deus enim* (inquit Paul.) *habitat lucem inaccessibilem* , quām nullus hominum vidit , nec videre potest . Ex quo aperte constat quām diversa sit objectivē hæc propositio *Deus est* , prout in se est , & prout videtur à Deo , & Beatis , ac eadem verbalis propositio prout à nobis intelligitur , seu concipitur ; hæc enim nulli intellectui est per se nota ; illa verò omnibus , quia propositio per se nota non constituitur in esse talem per respectum ad intellectum , ut volunt Thomistæ ;

sed per suos proprios terminos , quia ex ipsis terminis , ut sunt ejus , habet veritatem evidenter , & nos propter altud , quod sit extra terminos proprios .

12 ARG. contra hanc 2. part. conclus. ex D. Damac. lib. 1. c. 1. & 3. ubi inquit : *Eius quod est Deum esse* , cognitio omnibus est naturaliter inserta : Sed illud est per se notum cujus notitia omnibus inserta est : g. &c. Deinde lib. 7. orthodoxæ fidei , c. 1. Notitia Dei omnibus à natura est insita. Tertul. lib. 1. contr. Mart. Prima animæ rationalis dos , Dei notitia est , & in apolog. c. 17. Summa est delicti polentium recognoscere , quod ignorare non possunt . Similiter loquuntur alij Sancti PP. quos referre nimis molestum esset . Et D. Paulus , ut quæstione 1. diximus , inquit : *Quod invisiūlia Dei sempiterna ejus virtus* , & *divinitas ex creatura mundi conspicuntur* : ita ut sint innexcubiles , qui hoc negant , vel ignorant . Ex quo afferunt communiter Theologi , quod de Deo , ut est author naturæ nequit dari ignorantia invincibilis , etiam apud homines in sylvis , & in montibus enutritos ; alijs essent excubiles , quod est contrarium Apostolo: g. *Deum esse* , vel dari *Deum* , est per se notum .

RESP.

13 RESP. Ex Subt. Doct. s. ad argumenta principalia, quod Damascenus (& idem est de alijs Sanctis PP.) potest exponi de potentia cognitiva naturaliter nobis data, per quam statim ex creaturis possumus cognoscere, Deum esse, saltem in rationibus generalibus. Vel de cognitione Dei sub rationibus communibus sibi, & creaturis, quæ cognita perfectius, & eminentius sunt in Deo, quam in alijs. Quod autem non loquatur de cognitione actuali, & distincta Dei, patet per hoc quod dicit ibi : *Nemo novit Deum, nisi quantum ipse revelavit.* Unde ex omnibus alijs solum concluditur, quod naturaliter cognoscitur necessario, quod datur aliquis Deus, sed quod existentia sit per se nota, seu quod sit prædicatum indemonstrabile propter quid, seu à priori de subiecto, quod nos concipimus per Deum, nec Sancti PP. dicunt, nec aliquo argumento convinci potest; nam omnino apud omnes est certum, quod intellectus noster, licet naturaliter inclinetur ad cognoscendum Deum sub propria ratione, nequit tamen ex naturalibus illum attingere sub tali ratione.

14 ARG. 2. & est etiam in litt. Doct. Veritatem esse est per notum: Deus autem est ve-

ritas: g. Deum esse est per se notum. Probat. mai.; quia sequitur ex suo opposito, si enim nulla veritas est: g. verum est nullam veritatem esse: g. veritas esset, quod non esset veritas; sicque existentia veritatis colligitur ex veritatis negatione. Respondet Doct. quod veritatem in communi esse est per se notum: ergo Deum esse: non sequitur, sed est fallacia consequentis; arguitur enim à communi ad speciale; nimirum à veritate in communi ad veritatem in particulari, sicut argueretur: Datur animal: g. datur homo; quia homo est animal; falsa est consequentia; nam potest dari animal, quod non sit homo: Sic etiam potest esse evidens, & per se notum dari veritatem; non autem quod determinatur hæc veritas determinata. Deus quidem veritas est; sed non est per se notum prædicatum veritatis de ipso Deo.

15 ARG. 3. Hæc proposicio, *Deus est collendus*, est per se nota omnibus viatoribus: g. & ista, *Deus est*; nam collendus non potest quin existat. Resp. neg. mai; aliud enim est, propositionem aliquam naturaliter cognosci, & aliud esse per se notum. Præceptum illud naturaliter cognoscitur, sed non per se; quia supponit Deitatem, & existentiam ejus, & neutra est nobis

bis per se nota pro hoc statu. Aliter potest responderi admittendo antec; ( quod aliqui concedunt ) & neg. consequent; quia licet sit per se notum , parentes esse collendos ; non ex hoc sequitur esse per se notum Parentes existere. Alia quam plurima argumenta congerunt authores ; sed facile omnia solvuntur , præoculis habendo definitionem datam , ejusque explicationem propositionis per se notæ : Nam quantumcumque , & identissima sit aliqua proposicio , ut homo est risibilis , non inde concluditur , esse per se notam ; quia potest demonstrari propter quid , seu à priori risibilitas de homine per ejus essentialiem definitionem.

16 Dubitabis an existentia sit de essentia Dei ? Resp. affirmativè. Est Subt. Doct. & communis calculo ( inquit Mastr. ) tūm Thomistarum , tūm Scotoriarum , inter prædicata Dei quidditativa connumeratur ; & quanvis nonnulli veterum Scotoriarum ipsam posuerint modum Dei intrinsecum , sicut est in creaturis : communiter tamen Scotoria melioris notæ , tam Veteres , quam RR. tenent , esse prædicatum Dei quidditativum ; & quidem hanc esse Scotti mentem , indicant quam plures clarissimæ authoritates ; nam ut supradictum est in 1. d. 2. q. 2.

asserit , quod hæc propositio *D u s e s t* , in qua existentia prædicatur de Deo , est per se nota , & in primo modo dicendi per se , & immediata , & immedia-tissima , ad quam resolvuntur omnes propositiones enunciantes aliquid de Deo qualitercumque concepto. Et quodl. 1. ait quod essentia , & existentia in creaturis se habent , sicut quiditas , & modus ; in divinis autem existentia est de conceptu essentiæ , & prædicatur in primo modo dicendi per se , sic quod propositio illa , per se est prima , & immediata , ad quam omnes alia resolvuntur : g. iuxta Scotum existentia est de essentia Dei ; & taliter ( inquit Boyv. ) quod de mente illius nulli dubitare licet.

17 Probat. etiam hæc resolutio ex Sac. Script. Exod. 3. dicit Deus Moysi. *Ego sum qui sum* : Sic dices filijs Isrrael , qui est misit me ad vos . Et Job. 14. Nonnè tu qui solus es. Quibus verbis peculiari ratione tribuitur Deo existentia , quam creaturis : atqui non foret peculiare quid , si existentia distingueretur ab essentia modaliter ; quia hoc etiam competit creaturis , ut in Metaph. diximus : ergo existentia est de essentia Dei. Confirm : Essentia divina non potest concipi absque existentia : g. non distinguitur ab illa.

Pater conseq: nam quæ aliquatenus distinguntur, possunt & alioquin qualiter concipi unum sine alio. Prob. antec: Essentia divina est actus purus; excludens omnem potentialitatem: g. non potest concipi absque existentia. Patet conseq: nam actus purus dicit essentialiter omnem actualitatem, & excludit omnem potentialitatem ad esse: atqui hæc potentialitas tollitur per existentiam: g. si essentia divina semper concipitur ut actus purus, semper concipitur cum existentia; ac per consequens existentia est idem formaliter cum Dei essentia. Rursus, quod habet ignem, & non est ignis, est ignis per participationem: g. similiter, quod habet esse, & non est ipsum esse, est ens per participationem; sed hoc repugnat divinæ essentiæ: g. Existere Dei est ipsum esse; & existentia divina: est ipsa divina essentia.

18 Arg. contra: Precognition, *an sit*, distinguitur à præcognitione *quid sit*; sed prima est existentia Dei, & secunda ejus essentia: g. Existentia Dei, distinguitur ab ejus essentia. Confirm. Per distinctas quæstiones agunt Theologi de Essentia, & existentia Dei: g. secundum omnes Theologos, qui has distinctè proponunt quæstiones, existentia, & essentia in Deo dis-

tinguntur. Præterea, existentia Dei cognoscitur naturaliter, & evidenter: Sed Dei essentia nec naturaliter nec evidenter cognoscitur: g. distinguntur. Reip. ad argum. & ejus primam confirmationem: quod dictæ præcognitiones, & quæstiones ex parte objecti non distinguntur in Deo; benè verò distinguntur ex parte intellectus nostri, qui propter sui tenuitatem, de increatibus, ac de creatis permiscue discurrere cogitur, & admodum creatorum cogitat de increatibus; Si verò intellectus noster ad visionem Dei intuitivam elevaretur, videret sane, has præcognitiones, & qq. solo nomine distingui, & existentiam non esse quid distinctum ab essentia. Ad secundam conf. Resp. quod quando naturaliter cognoscitur existentia Dei, seu quod aliquis Deus existat, etiam cognoscitur essentia Dei, licet non sub ratione propriissima clare, & distincte; sed sub conceptibus communibus, vel proprijs ex communibus, ut ratio ne entis infiniti, substantia viventis, spiritus, &c. qui quidem conceptus sunt essentia Dei. Uno verbo, nunc videmus per speculum in enigmate, quod tunc videbimus facie ad faciem: sed tunc videbimus facie ad faciem essentiam Dei: & nunc ipsam Dei essentiam videmus quan-

vis per speculum, & in ænigmate.

19 Arg. 2. Quæ sunt communia Deo, & creaturis, sunt ejusdem rationis in illis; sed existentia est communis Deo, & creaturis: g. est ejusdem rationis illis. Atqui in creaturis existentia est modus aliqualiter distinctus ab essentia: ergo, & in Deo. Resp. 1. neg. mai: quam haud facile probabunt; nam ut dixit Subt. Doct. essentia, & existentia in creaturis se habent sicut quidditas, & modus; non sic autem in divinis, ubi existentia est de Conceptu essentia. Deinde in esse Patri possunt univocari Pater æternus, & Pater creatus; at qui talis ratio communis non est ejusdem rationis in utrisque: g. falsum est, quod ratio communis debeat esse ejusdem rationis in illis. Minor patet, nam in divinis Paternitas est quid necessarium, & increatis est quid co-atingens; in divinis quid substantiale, increatis quid accidentale; in divinis constitutiva personæ, non vero in-creatis &c. Resp. 2. ut communiter respondeat Nostrates, scilicet, maiorem esse veram si convenienter in realitate; non vero quando est convenientia in conceptu imperfecto, & inadäquato, ut est qualibet convenientia reperta inter Deum, &

creaturas: quia Deus, & creatura sunt primo diversa inquit. Subt. Doct. & in nullo aparte rei convenientia. Videatur nos ter Physopl. Cursus disp. metaphys. q. 3.

### Q U A È S T I O . III.

Q U Ä N A M S I N T P R Ä D I -  
cata quidditativa, seu Essen-  
tialia Dei?

I **S**upposito iam, quod Deus sit, & quod ita essentialiter existit, ut ipsa existentia sit prædicatum ejus quidditativum, & quidem propriissimum, ut amplius infra videbimus, restat nunc examinandum quænam sint alia ejus quidditativa prædicata. Et licet aliqui SS. PP. dicant, quod qualis sit Deus, nec mente concipi, nec sensu estimari, nec animo definiri potest; tamen D. Ambros. de fide contra Arrium. c. 6. inquit: *Igitur humiliter, & pro viribus intueramur quid Deus sit, & videamus, an ei aliquid possit comparari?* Certe, hoc est Deus, quod cum dicitur, non potest dici, cum essetur, non potest esse mari; cum comparatur, non potest comparari; cum asseritur, ipsa sua definitio decrescit.

2 Notandum est igitur cum Nostr. Subt. Doct. qui in 1. d. 3. q. 1. quod intellectus viato-

ris non solum potest cognoscere Deum negativè, sed etiam affirmativè. Est contra Thomistas. Audiatur Subt. Doct. „ Non est distinguendum, quod „ Deus possit cognosci nega- „ tive, non affirmativè : quia „ negatio non cognoscitur nisi „ per affirmationem , secundo „ Periher. ia fin : & 4. Metaph. „ Patet etiam, quod nullas ne- „ gationes cognoscimus de Deo „ nisi per affirmationes , per „ quas removemus incomposi- „ bilia aliqua ab illis affirma- „ tionibus , sicut non remove- „ mus compositionem , nisi „ quia attribuimus simplicita- „ tem , vel aliquid aliud. Ne- „ gationes etiam tantum , non „ summe amamus. Similiter „ etiam , aut negatio conci- „ pitur præcisè , aut ut dicta „ de aliquo. Si præcisè conci- „ pitur negatio , ut non lapis , „ hoc aquè convenit nihilo si- „ cut Deo , quia pura negatio „ dicitur de ente , & non ente ; „ igitur in hoc non intelligi- „ tur Deus magis , quam nihil , „ vel chymera. Si intelligitur „ non lapis de aliquo , tunc „ querò , ille conceptus subsi- „ tractus , de quo intelligitur „ ista negatio esse vera , aut est „ conceptus affirmativus , aut „ negativus? Si est affirmativus , „ habetur propositum. Si ne- „ gativus , quæro , ut prius , aut

„ negatio concipitur præcisè , „ aut ut dicta de aliquo. Si „ primo modo , hoc aquè con- „ venit nihil , sicut Deo. Si ut „ dicta de aliquo , tunc sicut „ prius. Et quantumcumque „ procederetur in negationibus : „ vel non intelligeretur Deus „ magis quam nihil , vel stabitur „ in aliquo conceptu affirma- „ tivo , qui est primus.

3 „ In eadem distinct. & quæstione 5. respondeo aliter , inquit : „ Dico primo , quod „ non tantum habeti potest con- „ ceptus naturaliter , in quo quasi „ per accidens concipitur Deus , „ puta in aliquo attributo ; sed „ etiam aliquis conceptus , in „ quo per se & quidditativè con- „ cipiatur Deus. Probo , quia „ concipiendo Sapientem , con- „ cipitur proprietas ; vel quasi „ proprietas , in actu secundo „ perficiens naturam : erg. intel- „ ligendo Sapientem , oportet „ præintelligere aliquid quasi „ subjectum , cui intelligo , illud „ quasi proprietatem inhaesse ; & „ ita ante conceptus omnium „ passionum , vel quasi passio- „ num , oportet inquirere con- „ ceptum aliquem quidditati- „ vum , cui intelligantur ista at- „ tributui , & ille conceptus erit „ quidditativus de Deo. Confirmatur hoc : quia omnes feré Theologi querunt , an divina at- tributa distinguantur ab essentiæ

Quorum aliqui agnoscent distinctionem formalem ex natura rei, ut Scotistæ; alij distinctionem virtualem, ut Thomistæ; & alij distinctionem rationis: erg. habent conceptum extremorum hujus distinctionis. Atq[ue] unum ex extremis est essentia: erg. habent conceptum diuinæ essentiae, seu quidditativum Dei.

4 Notand. insuper est ex eodem Subt. Doct. loco citato. q. tertio dico; quod non cognoscitur Deus naturaliter à viatore in particulari, & propriè, hoc est sub ratione hujus essentiae, & in se. Ratio est, quia Deus, ut hæc essentia in se, non cognoscitur naturaliter à nobis; quia sub ratione talis cognoscibilis est objectum voluntarium, & non naturale, nisi respectu sui intellectus tantum; & ideo à nullo intellectu creato potest sub ratione hujus essentiae, ut hæc, naturaliter cognosci: nec aliqua essentia naturaliter cognoscibilis à nobis ostendit sufficienter hanc essentiam, ut hæc, nec per similitudinem univocationis, nec imitationis; univocatio enim non est nisi in generalibus rationibus; imitatio etiam deficit, quia imperfecta est; quia creaturae imperfecte eum imitantur. His suppositis, & quod non loquimur in nostra conclusione ex viribus naturæ tantum, sed ex viribus naturæ adjutæ, & eleva-

ta per fidem, & per habitum supernaturalem Sacrae Theologiae, sit

### CONCLUSIO NOSTRA:

5 Prædicata quidditativa, seu essentialia Dei sunt *ratio entis, substantiae completa, spiritualis, viventis, intellectualis, singularis, & existentis*. Unde interroganti, quid sit Deus? possumus respondere, quod est Ens substantiale spirituale, vivens, singulare, & existens. Probatur Conclusio, quoad omnia prædicata simul, hac Scotica ratione: Cuicunque non repugnat esse idem alicui substantiae essentialiter: illud non convenit verissime illi substantiae, nisi conveniat sibi essentialiter: sed prædicatis in conclusione enumeratis non repugnat esse idem essentialiter, cum divina essentia, seu esse prædicata quidditativa Dei: erg. non convenienter Deo verissime, nisi essentialiter, & ut prædicata quidditativa illi convenient. Maj. cum consequentia tenet: Prob. min; quia omnia enumerata prædicata ponit Deus in creaturis, ut essentialia, & quidditativa illis: sed quod Deus ponit in creaturis, ablatis imperfectionibus, sunt eminentiori, & sublimiori perfectione in ipso Deo: erg. prædicatis enumeratis non repugnat esse essentia-

taliter in Deo; ac per consequens sunt prædicata quidditativa illius.

6 Prob. 2. conclusio, & roboratur præfata ratio, examinando quodlibet ex prædicatis enumeratis: Et quidem ratiō entis ita evidens est, quod sit prædicatum quidditativum, seu essentiale Dei, sicut est, quod datur Deus; quia ens est, quo aliquid est extra nihil, seu quo est quidquid est; atqui evidens est, quod Deus est essentialiter extra nihil, seu quod ejus essentia est: ergo, & evidens est, quod ratiō entis est prædicatum quidditativum, seu essentiale Dei: Constat etiam esse ens absolutum; quia est ens à se, & primum ens, non ab alio productum.

7 Præterea, quod ratio substantiæ completa, viventis, & spiritualis sit etiam prædicatum quidditativum, seu essentiale Dei, etiam patet evidenter; Primo, quia causa non debet esse deterioris conditionis, quam effectus: atqui Deus est causa prima omnium substantiarum viventium, & spiritualium: erg. & ipsem debet esse substantia completa, vivens, & spiritualis; maxime cum sit major perfectio, esse substantiam completam, viventem, & spiritualem, quam oppositum. Secundo, ex Subtili Mag. loco citato: *Ad multos conceptus proprios de Deo possu-*

*mus pervenire: ut sunt conceptus omnium perfectionum simpliciter in summō: Atqui ratio substantiæ completa, viventis, & spiritualis est perfectio simpliciter: erg. & est prædicatum quidditativum, seu essentiale Dei. Tertio, quia hoc ipsum patet ex Sacra Scriptura; in Symb. enim Pater, & Filius, dicuntur consubstantiales. Et in Ps. 38. Substantia mea tanquam nihilum ante te. Isai. 40. Omnes in conceptu ejus quasi non sunt, ita sunt coram Deo, & quasi nihilum, & innane reputatae sunt. Daniēlis: Deum vivum adoro. Joann. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam. Apocal. 5. Adoraverunt viventem in saecula saeculorum. Joann. 4. Spiritus est Deus. Prim. ad Corinth. Dominus autem Spiritus est: Et mille alijs in locis. Unde Subtilis Doct. loco cit. *Quia enim Deus non est materialis, nec quantus, est tantum capax illorum, que convenient spiritualibus.* Et reddit ejus ratio; quia nulli istorum repugnat esse idem essentialiter cum Deo: erg. ut verissime illi conveniat, debent esse prædicta essentialia illius. Denique, quod sit substantia completa, est definitum Capite firmiter, & Capite damnamus de summa Trinitate contra asserentes, Deum esse*

esse materiam omnibus formis onustam; & contra existimantes, esse admodum animæ Mundi; & contra Manichéos, contendentes, lucem istam corpoream, Dei esse naturam.

8 PRÆTEREA. Quod ratio singularitatis sit prædicatum quidditativum, seu essentiale Dei, docet Scot. quodl. 2. §. prima ratio, & 1. d. 2. q. 2. §. ex his ad quæst. Et alibi pluriès ubi asserit, quod Deus de se est hic, & singularis. Et divina essentia de se est hæc, & singularis. Et quod quidquid est in Deo in re est singulare, ex se in existendo, ita quod nihil contrahat aliud ibi ad singularitatem. Scotum sequuntur ferè omnes sui, & est communiter receptum. Et prob: quia si Deitas, seu divina essentia non esset ex se, seu essentialiter singularis, esset ex se contrahibilis determinabilis, seu in potentia ad singularitatem; & singularitas esset contrahens, determinans, & actuans divinam essentiam: atqui ex hoc esset innegabilis in Deo compositio à parte rei, quam abhorrent fidei aures: erg. dicendum est, quod singularitas est prædicatum quidditativum, seu essentiale Dei. Præterea, ex eo naturis creatis non repugnat plurificatio in plura individua, quia ex se, seu essentialiter non sunt singulares: atqui hæc plurificatio repugnat

divinæ essentiæ; sicut repugnat dari plures Deos: erg. singularitas est prædicatum essentiale illius.

9 Rursus, hoc ipsum probatur ex eo, quod jam probavimus, existentiam esse prædicatum Dei quidditativum; nam quod est essentialiter existens, est etiam essentialiter singulare; quia existentia est tantum rei singularis, & prius convenit naturis singularitas, quam existentia; unde existentia communiter vocatur ultimus actus essentiæ, quia supponit totum esse essentiæ completum secundum omnes differentias etiam individualem: Erg. cum ad similitudinem creaturarum, sublatis imperfectionibus, debeamus discurrere in Deo, si existentia, quæ est ultimus actus, seu posterior singularitate, est prædicatum quidditativum Dei, etiam erit singularitas.

10 Ultimò probatur nostra Conclusio de Prædicato intellectualitatis, quod est à quo concipimus, emanare intellectum, & voluntatem. Prob. inquam, quod sit prædicatum quidditativum, & essentiale Dei cum Subt. Doct. quodl. 1. §. de altero numero, nam contradicatio, ubi ait: Nunc autem intellectualitas, sive vita intellectiva, vel intellectualis est idem essentialiter essentiæ divinæ, sic intel-

ligendo , quod non tantum est idem realiter ipsi essentiæ.. sicut forte quocumque attributum.. sed hoc modo est idem sibi , quo si ipsa essentia divina definiretur , vita intellectualis , sive intellectualitas , non esset extra ejus definitionem , sicut sapiens , vel bonum. Et paulo infra : Ista etiam vita perfecta , quæ soli Deo convenit , cuiusmodi est vita intellectualis , est idem essentialiter ipsi primæ essentiæ. Probatur authoritate Aug. 15. de Trinit. c. 5. vel 7. : quæ vita , inquit , dicitur in Deo , ipsa est essentia ejus , atque natura : hac autem vita non talis est , qualis in hæc arbori ; & qualis in hæc peccati. Vult ergo dicere , quod illa vita , quæ est essentia divina , est per se intellectualis. Probat. etiam illa ratione comuni. Quodcumque prædicatum quidditatum , cui non repugnat esse idem alicui substantiæ essentialiter , non verissimè illi convenit , nisi conveniat essentialiter ; sed intellectuali non repugnat esse idem essentialiter , cui convenit ; sicut patet in creaturis , ubi intellectualitas est essentialis in quacumque substantia intellectuali : ergo cum Deus verissime esset intellectualis , ejus intellectualitas erit idem essentialiter ejus essentiæ. Omnia sunt Scot.

11. ARgumenta validiora , quæ contra aliquam nostræ Con-

clusionis partem poterant obijci , facilius , & commodius obijcierunt , & solventur quæstione sequenti. Pro argumentis Gentilium est observandum , quod quando in Sacra Scriptura attribuuntur Deo , manus , oculi , brachia , & pedes : Hæc omnia sumi debent metaphorice , ut quando vocatur , lapis , vitis , agnus , Leo , &c. ita ut hæc omnia significant aliquid quod est in Deo ; per oculos enim scientia denotatur ; per brachia , & manus potentia , & presentia per pedes : Scriptura autem metaphoræ utens , humanæ mentis imbecillitatem adjuvare contendit , ducens per cognitionem corporalium , ad spiritualium intellectionem.

## QUÆSTIO IV.

Utr. PRÆDICATA QUID-DITATIVA Dei distinguuntur inter se formaliter ex natu-ra rei?

**Q**UÆSTIO hæc solùm habet locum inter Scotistas , qui inter gradus superiores , & inferiores prædicamentales , seu potius inter prædicata generica , & differentias contrahentes distinctionem formalem ex natura rei admittunt ; & sensus illius est : An , sicut prædicata generica hominis vg. dif-

distinguuntur ex natura rei, tam inter se, quam ad differentijs contrahentibus, ita ex natura rei distinguuntur predicata quiditativa Dei. Seu aliter: An, sicut individuum naturae humanae dicit, seu includit plures realitates conceptibiles ex natura rei seorsim conceptu perfecto, & adaequato, ita individuum Deitatis dicat etiam plures realitates seorsim conceptibiles conceptu perfecto, & adaequato; seu an potius praefatum Deitatis individuum sit unica tantum realitas objectiva omnino simpliciter simplex, qua Deus est ens, substantia, vivens, spiritus, intellectivus, hic, & existens?

2 Circa quam difficultatem divisi sunt Scotista, aliqui partem affirmativam tenentes; sed validiores, ut Lichet. Vulp. Smising. Mastr. Picaz. & alij pro viribus partem negativam defendunt. Propugnantes autem affirmativam dupli via gradintur; nam aliqui affirman, quod predicata quibus Deus conuenit cum creatura, ut sunt ratio entis, substantiae, viventis, &c. sunt præcisa ex natura rei a Deo, & creatura, & ex natura rei illis communia, ita Poncius, & aliqui antiquiores Scotista. Recentiores autem, ut Sendin. tract. 2. de Pred. quiddit. Dei, disp. 4. sect. 4. §. 1.

Et disp. 3. sect. 3. num. 33. Et gravissimi alij apud ipsum negant prædictam communitatem, precisionem, & indifferentiam aparte rei in prædicatis quiditatibus Dei & hoc non obstante, defendunt cum Poncio, quod talia predicata quidditativa Dei, distinguuntur inter se formaliter ex natura rei; ita quod individuum Deitatis est resolubile in tot conceptus perfectos, & adaequatos, quot sunt predicata quidditativa Dei, sicut individuum humanitas est resolubile in conceptum entis, substantiae, viventis, animalis, rationalis, & esseitatis; cum hoc tamen discrimine, quod predicata hominis, utpote indifferentia, & communia aparte rei contrahuntur ad constitutionem hominis per suas respectivas differentias, & ultimo ad constitutionem humani iudicium per esseitatem; at verò in Deo, quodlibet predicatum est ex se hoc, & singulare, & existens, ita quod existentia, & singularitas sint de formalis conceptu cuiuscumque predicati. Quomodo autem quadunentur praefata predicata ad constituentium individuum Deitatis? Ipsu videant. Sit ergo.

3 Conclusio nostra. Prædicta quidditativa Dei non distinguuntur inter se formaliter ex natura rei. Hac conclusio manet

net probata efficaciter in nos. Metaphysic. disp. 2. q. 2. contra Ponc. Et alios antiquior. Scotistas : Et meo videri fundamenta ibi relata etiam probant contra RR. Scotistas. Probatur igitur primo quam plurimis authoritatibus Mariani nos. Doct. in locis ibi citatis, in quibus aperte docet, Deum, & creaturam esse primo diversa in realitate; quia in nulla realitate convenient. Hæc est genuina Scotti mens, & pluries repetita, ut videri potest apud Mastr. disp. 2. de Natura Entis, q. 4. art. 2. Et in Theol. disp. 2. de Divinis Attrib. quæst. 8. art. 2. Quòd quidem intelligitur de realitate perfecta, scilicet, quòd Deus, & creatura non convenient actualiter, nec in ratione entis, neque in ratione substantiæ, neque in ratione viventis, spiritus, &c. sed solum convenient fundamentaliter, quatenus intellectus noster accipit propter suam imperfectionem fundamentum ad univocandum Deum, & creaturam univocatione imperfecta, & analogia in conceptu entis, substantiæ, viventis, &c.

4. Prob. 2. rationibus ibi positis. Si ratio entis, substantiæ, viventis, spiritus, &c. dicterent realitates ex natura rei inter se distinctas, & actualiter communes Deo, & creaturæ,

daretur in Deo compositio aparte rei ex actu, & potentia, sive ex contrahibili, & contrahente: atqui in Deo nequit admitti talis compositio; tum, quia est contra fidem; tum etiam, quippe opponitur summa simplicitati divinæ, quæ est purissimus actus, sine aliqua in re potentialitate: erg, &c. Major patet; nam realitates communes pluribus ex natura rei, necessariò ex natura rei sunt potentiales, & contrahibilis ad sua inferiora, & cum rationibus particularibus suorum inferiorum efficiunt compositionem.

5. Nec valet, quòd aliqui Scotistæ respondent, scilicet, argumentum benè probare, præfatas rationes entis, substantiæ, viventis, &c. non dicere realitates subjectivas; non tamen probare, non dicere realitates objectivas, quæ quidem optimè cum Dei simplicitate compatiuntur, absque aliqua ex natura rei compositione. Hoc non valet, quia numquam sufficienter explicant, quid intelligatur per realitates objectivas; nam vel intelligitur, quod sint inter se distinctæ, & communes independenter à consideratione intellectus? Et sic nihil aliud sunt quam realitates objectivæ, quas, non admittunt; neque prædictæ objectivæ realita-

tes compositionem ex natura rei  
vitant vel intelligitur, quod  
non sunt inter se distincta, &  
communes ante operationem  
intellectus? Et sic nihil contra  
nos dicunt; nam & nos asseri-  
mus, praedictas rationes esse  
fundamentaliter distinctas, &  
fundamentaliter communes an-  
te operationem intellectus; &  
per operationem nostri intellec-  
tus concipiuntur, ut actualiter  
distincta, & ut actualiter com-  
munes.

6. Nec insuper valet, quod  
respondent alij Scotis, scilicet,  
quod praedictae realitates  
non efficiunt compositionem in  
Deo, quia ad ipsum non con-  
trahuntur per differentias, sed  
per modos intrinsecos; unde  
nec sunt in potentia, quod ne-  
cessario requiritur ad composi-  
tionem; & haec est, inquit,  
expressa Scotti mens. Non in-  
quam, valet; nam contra est i.  
Quia, quod est primum con-  
tractivum alicujus realitatis  
communis, debet esse de essen-  
tia inferioris, seu essentiale  
constitutivum illius: atqui mo-  
di intrinseci non sunt de essen-  
tia Dei, & creaturae, neque  
illorum essentialia constitutiva;  
quia sunt extra essentiam, &  
non variant rem essentialem,  
sed solum illam modificant: ergo  
modi intrinseci nequeunt esse  
contractivi illarum realitatum,

qua constituent Deum quid-  
tative. Neque Scotus stat pro  
sic respondentibus; quando  
enim dicit, ens contrahit ad  
Deum, & creaturam per finita-  
tem, & infinitatem, que sunt  
modi intrinseci, non loquitur  
de contractione ex natura rei  
alicujus realitatis; semper enim  
negat, dari aliquam realitatem  
communem Deo, & creaturis,  
contrahibilem ad Deum, &  
creaturam sive per modos, sive  
per differentias; cum asserat,  
Deum, & creaturam esse in rea-  
litate primo diversa; unde so-  
lum loquitur de contractio-  
ne, quoad nostrum modum  
concipiendi. Urgetur hoc: ra-  
tiones contrahentes praedicta-  
rum realitatum communium,  
si darentur, diversificarent essen-  
tialiter praedictas realitates, si-  
c ut rationes contrahentes reali-  
tatem animalis ad hominem, &  
brutum, hoc est innegabile: at-  
qui modi intrinseci non diversi-  
ficant sic: ergo si darentur pra-  
dictae realitates communes, non  
per modos intrinsecos, sed per  
alias realitates essentiales con-  
traherentur ad Deum, & crea-  
turam; ac per conseq. compo-  
sitionem Metaphysicam effice-  
rent.

7. Contra 2. Quia admissis  
praedictis realitatibus communi-  
bus a parte rei, semper sequitur  
in Deo compositione metaphysica,  
sive

sive contraherentur per differentias, sive per modos intrinsecos : g. nullatenus admittenda sunt prædictæ realitates ex natura rei inter se distinctæ, & communæ. Prob. antec. quia tales realitates non essent de se, & essentialiter hæc, & singulares; sed indiferentes, ut pote communæ Deo, & creaturis; & alias modi intrinseci essent illis aliquid superadditum, & ex natura rei aliquomodo ab illis distinctum, & ipsas realitates contraherent ex natura rei ad esse Dei, & creaturæ: Atqui quando aliqua realitas, quæ de se non est hæc, sed communis, contrahitur ad esse alicujus inferioris à parte rei per aliquid ab ea ex natura rei distinctum, necessario ex natura rei se habet ut potentia, & contrahens ut actus, & actus, & potentia ex natura rei, efficiunt compositionem : erg. nequeunt admitti prædictæ realitates inter se ex natura rei distinctæ, communæ Deo, & creaturæ, & ad esse Dei, & creaturæ contrahibilis. Scotus autem, ut patebit litteram ejus scrutanti, non vitat compositionem in Deo, per hoc, quod realitates contrahantur per modos, & non per differentias; sed per hoc, quod nulla realitas detur ex natura rei communis, & contrahibilis ad Deum, & creaturam;

*Tam. I.*

cum quo componitur ; quod Dens, & creatura ( verba sunt Scotti ) non sint primo diversa in conceptibus, sunt tamen primo diversa in realitate ; quia in nulla realitate convenient.

8 Prob. 3. Nostr. conclusio. Si prædicata Dei quidditativa essent realitates, inter se ex natura rei formaliter distinctæ, essent ex natura rei priores, & independentiores Deo : Atqui hoc repugnat : g. &c. Patet se quælla ; quia tales realitates essent constitutivæ Dei, sicut partes divinæ essentia : Atqui constitutivum, & pars alicujus est prius, & independentius constituto; quippe constitutum ab illa; illa autem à constituto non dependet : g. Si prædicata quidditativa Dei essent realitates ex natura rei inter se distinctæ, essent ex natura rei priores, & independentiores ipso Deo. Hoc patet in realitatibus constitutivis hominis, & cuiuscumque alterius constituti, quæ semper sunt priores, & independentiores suo constituto. Deinde prædicata quidditativa Dei sunt formaliter infinita : Atqui non ita essent, si essent realitates inter se ex natura rei distinctæ: g. &c. Prob. min. Omnes realitates divinæ, quæ sunt formaliter infinitæ habent infinitatem suam radicaliter à divina essentia, quæ est fons, & ori-

N

go

go omnium perfectionum in divinis, & est omnino prima entitas in divinis, ut Doct. docet quodl. 1. Atqui, si prædicata quidditativa Dei essent realitates inter se ex natura rei distinctæ, non possent mutuare ab essentia formalem infinitatem, sed potius è contra essentia infinitatem haberet ab illis, & divina essentia non foret prima entitas, sed illæ essent priores, ut constituentes: g. dicendum est, quod talia prædicata Dei quidditativa non sunt realitates inter se ex natura rei distinctæ.

9 Prob. 4. Concl. nostra cum Mastr. qui disp. 6. Metaphys. q. 12. n. 246. & in Theolog. loc. cit. num. 105. inquit: Quod prædicata quidditativa Dei se habent sicut superius, & inferius, vel sicut magis commune, & minus commune: Ergo si essent realitates inter se ex natura rei formaliter distinctæ, planè concurrendo ad constitutionem divinæ essentiae, compositionem metaphysicam facerent; quia tunc una esset potentialis ad aliam. Et hoc etiam palam deducitur ex Subt. Doct; nam in 1. dist. 8. quast. 3. §. contra istam, & §. ad primum argum. princ. inquit: Quod cum intellectus noster concipit Deum sub conceptibus Entis, Substantie, Spiritus, &c. qui sunt sibi communes cum creaturis.

ejusmodi conceptus non abs- trahuntur à diversis realitatibus quibus innitantur; sed ab eadem omnino realitate, quatenus est imperfecte, seu inadæquate concepta; g. Prædicata quidditativa Dei non sunt realitates perfectæ, & ex natura rei inter se formaliter distinctæ; sed formaliter sunt unica, & eadem formalitas, & solum virtualiter plures, & virtualiter distinctæ. Hinc quodl. 1. vocat Doct. naturam divinam simpliciter unicam, non unitate solum reali, quia sic in divinis omnia sunt realiter unum; sed unitate formalis, quam cum ea, & inter se habent omnia prædicata, quæ nostro intelligendi modo eam quidditative constituunt; & secundum hanc unitatem formalem distinguitur ex natura rei actualiter ab attributis, & relationibus divinis: cum ergo prædicata quidditativa Dei constituant unum formaliter, vel potius sint formaliter unum, & idem cum divina essentia, quo sensu non sunt idem cum ipsa relationes, & attributi, concludendum est, prædicata quidditativa non posse fundare distinctionem illam formalem actualēm à divina essentia, aut inter se, quam fundant attributa, & relationes divinæ; sed tantum virtualem, seu fundamentalem. Hucusque Mastr.

10 Ultimo potest probari nostra concl. illis principijs, quibus Subtilis. Nost. Doct. probat simplicitatem divinam, quæ, ut bene advertit Mastr. etiam probant indistinctionem prædicatorum essentialium Dei. Subt. namque Doct. in r. d. 8. q. 1. §. secundo probat; Et quodl. 5. art. 2. §. tertio arguitur inquit, quod infinitum non est componibile alteri; nec cōpositum ex alijs: Ergo est omnino simplex. Antecedens probat; quia omne componibile alteri, caret ejus perfectione, & consequenter perfectione totius, quæ conflatur ex perfectione utriusque: Infinito autem nihil perfectionis deesse potest. Compositum vero ex alijs, vel est compositum ex partibus infinitè perfectis, & hoc est contra rationem partis; quia ut Doct. quodlib. citat. Infinitum habet rationem totius, non partis; Omne namque totum est maius sua parte; & infinito nihil est maius. Vel componitur ex partibus finitè perfectis, quod dici nequit; quia ex pluribus finitis non fit infinitum, ut per se patet. Hæc, inquam, ratio probat indistinctionem prædicatorum essentialium; Nam ex eo distinctio prædicatorum attributalium non opponitur simplicitati Dei, quia talia prædicata, ut pote-

disparata, & non se habentia tanquam superius, & inferius, habendo identitatem realem ratione infinitatis, habent summam identitatem, quam possunt habere, quin efficiant compositionem, quia non se habent tanquam actus, & potentia, seu tanquam contrahibile & contrahens: atqui si predicta essentialia solum identificatur realiter, non habent summam identitatem, quam possunt habere; nec est inde tollatur ab illis ratio potentia, & contrahibilis in supremo prædictato, & ratio actuantis, & contrahentis in predicto intermedio, & infirmo: g. efficient compositionem repugnantem divinæ simplicitati; ac per conquens; quod probat simplicitatem divinam, probat etiam indistinctionem prædicatorum essentialium Dei. Nec illis jubat infinitas; quia cum concipientur prædicta prædicata, ut priora Deitate, non concipiuntur infinita, cum Deitas sit radix, & origo omnis infinitatis; Unde nil impediret quin facerent in Deo compositionem: id autem de attributis invicem comparatis, vel comparatis cum essentia minime sequitur; quia bonitas, & sapientia, v. g. non se respiciunt ut inferius, & superius, nec unum includit alterum; sed se habent, ut per-

fectiones disparatae, & in ultima actualitate; ob quod nequeunt ad invicem identificari, nisi solum realiter absolute ratione formalis infinitatis, quam a divina essentia, cui adveniunt, trahere intelliguntur, ut à radice, & origine omnis infinitatis; atque ideo hæc distinctione formalis nullum infert præjuditium divinæ simplicitati.

11 Præterea ipse subtil. Doct. quodl. 1. ut supra retulimus, probat identitatem formalem intellectualitatis cum divina essentia hoc modo: Cuicunque non repugnat esse idem alicui substantiæ essentialiter, seu formaliter; illud non convenit verissime tali substantiæ, nisi conveniat illi essentialiter, seu formaliter: sed intellectualitati non repugnat esse idem essentialiter cum divina essentia: g. illi non convenit verissime, nisi conveniat essentialiter, seu formaliter. Nunc sic, & eadem, forma arguo pro inclusione formalis prædicatorum essentialium: Prædicato essentiali entis non repugnat esse formaliter idem cum prædicato substantiæ, nec prædicato substantiæ repugnat esse idem formaliter cum prædicato viventis, & sic de ceteris: erg. prædicatum esse entis non convenit verissime prædicato substantiæ, nec prædicato substantiæ prædicatum

viventis, nisi conveniat illi formaliter, seu nisi sit idem formaliter cum illo. Atqui, prædicatum substantiæ Dei est verissime ens, sicut & qualibet alia perfecta realitas, quia verissime extra nihil; & prædicatum viventis est verissime substantia, & sic de alijs. erg. in se ipsis ad invicem se includunt essentialiter, seu formaliter; vel ut melius loquamur omnia sunt unica formalitas.

12 Ulterius in 1. d. 8. q. 2. probat Doct. Nullam creaturam esse simpliciter simplicem; quia omnis creatura est aliquomodo composita, vel componibilis, quod sic declarat: Quia omnis creatura habet entitatem cum privatione alicujus gradus entitatis. Est dicere, quod nulla creatura potest habere plenitudinem entis; quia ens extenditur ad perfectionem infinitam, quam nulla creatura potest habere: Ergo nulla creatura est, quæ non constet, seu non sit composita ex gradu positivo entis, & privatione, seu negatione graduum aliorum entium, & negatione divinæ perfectionis. Nunc sic: Prædicatum ens includitur in qualibet realitate perfecta: erg. prædicatum entis essentialis in Deo est capax omnium perfectionum essentialium: erg. si in qualibet perfectione essentiali includitur, & qualibet

bet distinguitur essentialiter ab alia, quilibet erit composita ex ratione entis, & ex privatione alterius perfectionis, cuius quantum ens est capax; ac per consequentiam sicut propter hoc nulla creatura est simpliciter simplex; nec ipsa prædicata essentialia Dei erunt, quod est contra Subt. Magist. Dicendum ergo est de primo ad ultimum, quod prædicata quidditativa Dei non distinguuntur formaliter ex natura rei.

13. Argum. 1. contra nostr. conclusionem: Eodem modo debent distingui inter se prædicata quidditativa Dei, ac distinguuntur prædicata attributaria ipsius Dei: Sed ista prædicata distinguuntur inter se formaliter ex natura rei: ergo & illa sic etiam debent distinguiri. Prob. assumptum ponderando rationes Scoti, quibus probat distinctionem inter attributa; quia sequuntur concludunt distinctionem inter prædicata quidditativa. Prima ratio est, quia Deus non eo est sapiens, quo bonus: erg. bonitas, & sapientia distinguuntur inter se formaliter ex natura rei. Nunc sic: Deus non est eo Deus, quo ens; nec eo est ens, quo substantia; nec eo est substantia, quo vivens, &c. Ergo si hoc argumentum concludit distinctionem formalem inter attributa, etiam concludet illam

inter prædicata quidditativa. Antecedens patet, quia si Deus eo esset Deus, quo ens, & ens quo substantia, &c. sequeretur, quod omne ens esset Deus, & omne ens esset substantia, & omnis substantia esset vivens, &c. quod est falsum. Præterea Subt. Doct. in 1. d. 8. quest. 4. §. ad questionem. Ex eo probat quod sapientia infinita distinguitur formaliter a bonitate infinita, quia si non, nec sapientia in communi distingueretur a bonitate in communi; nam infinitas non destruit rationem formalem rei cui additur: Atque haec ratio eodem modo concludit de prædicatis quidditativis: erg. &c. Prob. min. formando argumentum: Si ens infinitum esset substantia infinita, & substantia infinita esset vivens infinitum, &c. sequeretur, quod ens in communi esset substantia in communi, & substantia in communi esset vivens in communi, &c. quia infinitas non destruit rationem formalem rei cui additur: erg. eodem modo concludit argumentum de prædicatis quidditativis, ac de attributis. Præterea ex eo probatur, quod attributa sunt realitates inter se formaliter ex natura rei distinctae, quia cum sint perfectiones simpliciter, unaquaque debet poni in Deo secundum propriam rationem forma-

malem , & actualem : sed etiam substantia , spiritus , & vita intellectualis sunt perfectiones simpliciter , & ponuntur in Deo secundum propriam rationem formalem , & actualem : erg. si hoc infert distinctionem inter attributa , etiam inter prædicata quidditativa illam infert. Tandem distinctio inter attributa probatur ex diversitate definitionum : sed etiam ens , substantia , spiritus , & intellectualitas diversas habent definitio- nes ; erg. &c.

14. Resp. cum Mastr. negando assumptum. Ad cuius pri- mam probationem dicimus , quod à parte rei eodem omnino Deus est ens , quo substantia , vivens , spiritus &c. , & quid quid à parte rei verificatur de ratione entis , etiam verificatur de quocumque alio prædicato quid- ditativo , quippe omnia sunt unica , & eadem realitas ; unde Deus , & Creatura non conve- niunt à parte rei in ratione en- tis , sed tantum virtualiter , & in conceptu ; ex quo solū se- quitur , quod in conceptu non est eo Deus , quo ens ; quia ut inquit Doct. sunt primò diver- sa in realitate , quanvis non in conceptu . Qua propter prædicata contradictoria , scilicet , con- venire , & non convenire non verificantur à parte rei , sed à parte rei verificantur , quod in

nulla realitate coherentia ; & so- lūm convenient in conceptu . Non sic autem est de relationib- us respectu Deitatis , & attri- butis invicem comparatis ; qua- doquidem de ipsis contradictoria verificantur actualiter a parte rei ; nam à parte rei actualiter relatio producitur , essentia non producitur ; Essentia facit uni- tatem , relatio Trinitatem , &c. Filius producitur per intellec- tum , non per voluntatem ; Spi- ritus Sanctus per voluntatem , non per intellectum ; & cum contradic̄tio semper arguat dis- tinctionem sibi proportionatam in extremis , palam sequitur in- ter relations , & essentiam , ac inter attributa ad invicem dis- tinctionem actualem à parte rei requiri , ut est à parte rei actua- lis contradic̄tio .

15. Ad 2. probationem Res- pond. ; quod non æqué conclu- dit illa ratio Scoti de prædicatis quidditativis , sicut de attributis ; quia ens , substantia , vi- vens , spiritus , &c. tam in com- muni sub esse objectivo , quam in particulari in esse subjectivo semper se habent , ut superiū , & inferiū ; quare si in Deo im- portaret diversas realitates , non possent singulæ poni in ultima actualitate , sed necessariō una esset potentialis ad aliam ; ne- que ratione infinitatis inter se identificari possent ; quia cum

concipiantur priores Deitate, non conciperentur infinitæ; cum ipsa Deitas sit radix, & origo omnis infinitatis; & aliunde nil impediret, quin facerent in Deo compositionem à parte rei. Hoc minime sequitur de attributis; quia bonitas, & sapientia v.g. sive in communi, sive in particulari non se respiciunt, ut inferius, & superius, nec unum includit alterum; sed se habent ut perfectiones disparatae, & in ultima actualitate, & inter se identificatae non formaliter, sed solum realiter absolute ratione infinitatis, quam à divina essentia, cui adveniunt, trahere intelliguntur, ut a radice, & origine omnis infinitatis; atque ideo distinctio formalis inter ipsas, & cum essentia nullum infert præjudicium divinæ simplicitati. Hanc solutionem debent, meo videri, omnes Scotiste amplectere; nam juxta omnes subsistentia in communi non est Paternitas in communi, nec relatio in communi est Paternitas in communi, sicut Sapientia in communi non est bonitas in communi; & tamen non inferatur quod subsistentia, Paternitas, & relatio, in divinis sint realitates inter se actualiter distinctæ; non ob aliam rationem, nisi quam i.m ex Mastr. assignavimus, pro prædicatis quiditatibus.

16 Ad 3. probationem, Resp. negando, quod Scotisti arguant distinctionem formalem inter attributa ex eo præcisæ, quod sunt in Deo secundum proprias suas rationes formales; sed quia simul cum hoc una non includit aliam, nec omnes simul includuntur formaliter in essentia, quod de perfectionibus primarijs, seu quidditativis minimè verificatur; quanvis enim in divina essentia sunt formaliter, & actualiter, & non virtualiter tantum, non tamen sunt actualiter distinctæ inter se, vel ab essentia, sicut sunt attributa; quia cum sunt perfectiones invicem subordinatae, & non disparatae, una includitur in alia, ut ratio entis in ratione substantiae, & ratio substantiae in ratione spiritus, &c. admodum quo ratio subsistentiae in ratione relationis & Paternitatis; & omnes insuper includuntur in essentia, ut prædicata ejus quidditativa; atque ideo coeunt in unam Naturam divinam non unitate tantum reali, quia sic etiam coeunt perfectiones attributales, & personalitates; sed unitate etiam formalis, quam cum ea, & inter se habent omnia prædicata, quæ nostro intelligendi modo illam quidditativem constituant. Cum ergo prædicata quidditativa constituant unum formaliter,

ter , vel potius sint formaliter unum , & idem cum divina essentia , quo sensu non sunt idem cum ipsa relationes , & attributa ; concludendum est , prædicata quidditativa non posse fundare distinctionem illam formalem actualem à divina essentia , aut inter se , quam fundant attributa , & personalitates ; sed ad summum distinctionem virtualem , & fundamentalarem .

17 Ad 4. probationem Respond . ex dictis in Logica , quod non quæcumque diversa definitio arguit diversum , seu distinctum definitum ; sed solum illa , quæ datur per conceptum adæquatum ; hæc enim verè rem exprimit , ut se habet a parte rei ante quocumque opus intellectus ; definitio autem quæ tradiditur per conceptus inadæquatos , seu munericos , non exprimit rem ut est in se , seu ut se habet aparte rei actualiter , sed tantum fundamentaliter , & virtualiter ; & ideo pluritas talium definitionum non arguit inter definita distinctionem formalem actualem , sed tantum virtualem , fundamentalem , seu munericam . Ad rem . perfectiones attributales Dei habent diversas definitiones primi generis , ut iam dicemus , atque distinctionem formalem actualem eis tribuemus ; at prefctiones pri-

maria , seu prædicata Dei quid-  
ditativa habent diversas defini-  
tiones secundi generis , ut sa-  
pé docet Subt. Lect. dicens ,  
quod cum intellectus Deum  
concipit sub conceptibus entis ,  
substantia , spiritus , qui sunt  
sibi communes cum creaturis ,  
& sunt de ejus quidditate ; non  
abstrahit hujusmodi conceptus  
à diversis realitatibus , quibus  
innitantur ; sed ab eadem om-  
nino realitate , quatenus est im-  
perfekte , seu inadæquate con-  
cepta ; atque ideo solam dis-  
tinctionem virtualem eis ad-  
scribimus ; quod quidem de at-  
tributis , & relationibus dici  
non potest ; quia si relationes  
essent , cum essentia una , & ea-  
dem formalissima entitas actua-  
lis aparte rei , ut dicimus de  
prædicatis quidditativis , planè  
inter ipsas relationes concipi  
non poterit realis oppositio ac-  
tualis , nec realis distinctio ac-  
tualis .

18 Arg. 2. Ex nostra con-  
clusione destruitur fundamen-  
tum Scoti ad ponendas naturas  
communes , quæ ex natura rei  
præscindant à peculiaribus ra-  
tionibus , & quibus unitas for-  
malis ex natura rei conveniat ,  
Prob. assumptum : eadem con-  
venientia reperitur inter homi-  
nem , & brutum in ratione en-  
tis , substantia , viventis , &  
animalis , ac inter Deum , &

Angelum in ratione entis, substantia viventis, & spiritus. Acqui haec convenientia salvatur, si quin praedictae rationes dicant realitates inter se ex natura rei distinctas, & ex natura rei praecisas à peculiaribus rationibus Dei, & Angeli, & quibus ex natura rei correspondentia respectiva unitas formalis. Ergo illa convenientia poterit salvare, quin praefatae rationes dicant realitates inter se ex natura rei distinctas, & ex natura rei praecisas à rationibus peculiaribus hominis, & bruti; & quibus unitas formalis ex natura rei conveniat.

19. Resp. ex dictis in Metaphysica, disp. 2. q. 2. num. 25: & sequent. negando assumptum, & mai. prob. Non enim eadem convenientia reperitur inter Deum, & Angelum in ratione entis, substantia, spiritus, &c. ac reperitur inter hominem, & brutum in memoratis rationibus entis substantiae, viventis, & animalis; hac enim est convenientia in realitatibus ex natura rei distinctis, & praecisis à peculiaribus rationibus; seu est convenientia fundata in realitatibus conceptis, conceptu perfecto, & ad aquato illarum. Vero tantum est convenientia in conceptu, seu in realitatibus conceptis conceptu imperfecto & inadquato. Ratio autem, cur naturae praedicamentales,

seu praedicatae praedicamentalia in quibus convenientia homo, & brutum, dicant realitates ex natura rei praecisas à peculiaribus rationibus inferiorum; ens, autem, & alia praedicata, quidam ita in quibus convenientia Deus, Angelus, & homo, non dicant tales realitates inter se ex natura rei in Deo distinctas, & neque in Deo, neque in Angelo, neque in homine ex natura rei praecisas à peculiaribus rationibus ipsorum, desumitur ex eo quod si ita distinctae essent inter se in Deo sicut in Angelo, & homine dicerent in Deo compositionem metaphysicam, ut in Angelo, & homine dicunt, ut manet probatum; & ex eo quod species, & individua creaturarum non sunt primo diversa, sed aliquid idem entia, id est, in aliquo reali actualiter, & formaliter convenientia; at vero Deus, & qualibet creatura sunt primo diversa, ut inquit Scot. & ex ipso passim Scotista, quæ primi diversitas nequit stare cum convenientia in aliqua realitate ex natura rei; bene tamen stare potest cum convenientia in conceptibus communibus desumptis à realitatibus Dei, & creature imperfecte conceptis. Videatur nos Philosoph. cursus loco citato ubi satis pulchre, & abunde hanc doctrinam prosequitur.

20. Arg. 3. ex Subt. Doct. in I, d. 26. q. unic. 5. ad ar-

gum. principalia ; vers. ad se-  
cundum dico ; ubi postquam  
sibi objicit , vers. similiter,  
quod ex sua sententia videtur  
sequi , quod intellectus & vo-  
luntas non distinguuntur in  
Deo ex natura rei. Conseq.  
prob ; quia illud , quod in Deo  
præcedit rationem qualitatis , &  
quantitatis , est tantum quid:  
Quid , autem , ut quid , non  
distinguitur in Deo ex natura  
rei , quia tunc non esset quid  
eius simplex. Respondet Subt.  
Doct. sic : Dico , quod simplex  
non est puntualiter simplex ,  
quasi unicam solam perfectio-  
nem in se continens : Sed hæc  
essentia est simplex , & illimita-  
ta ; quia illimitata non tantum  
intensive in una ratione , sed in  
omnibus , quæ sunt principia  
propriarum operationum Dei ,  
sicut natura creata est quodam-  
modo illimitata , quia identice  
est quodlibet principium tale  
operandi ; cum hac tamen illi-  
mitatione essentiæ divinæ stat  
simplicitas : immo ex infinita-  
te sequitur simplicitas , quia  
infinitum nulli est componibile  
ut pars parti ; sed tamen potest  
esse realiter idem , licet non  
formaliter cuilibet infinito. Hu-  
cusque Doctor. Ex quibus , nes-  
cio quomodo , inferunt RR.  
Scotistæ , quod prædicata quid-  
ditativa Dei dicunt plures rea-  
litates inter se formaliter dis-  
tinguitur. Hoc ab aliquibus vo-

catur totale fundamentum ad  
versariorum. Sed non capio,in-  
quam , quomodo hoc inferant  
ex prædictis Subtilis Doct. ver-  
bis. Amore Dei , duo inquit  
Marian. Doctor ; primo , quod  
essentia divina prout dicit in-  
tellectum , & voluntatem non  
est puntualiter simplex , hoc est ,  
non est unica realitas. Quid in-  
de? Hoc , & omnes Scotistæ fa-  
tentur ; quia intellectus , &  
voluntas Dei distinguntur for-  
maliter ex natura rei , tam in-  
ter se , quam à divina essentia.  
Secundum , quod Doct. dicit  
est , quod simplex non est pun-  
tualiter simplex ; id est , quod  
ad hoc , ut aliquid sit simplex ,  
non est necessarium , quod  
solum dicat unicam realita-  
tem. Hoc etiam fatentur  
omnes Scotistæ , quia Deus  
Trinus , & unus est quid sim-  
plicissimum ; & tamen haber-  
tot realitates quod sunt attri-  
buta , & relationes. Ex infinita-  
te sequitur simplicitas , inquit  
Doct. Hoc est opus , hic est la-  
bor. Non negamus prædictam  
realitatum pluralitatem ; sed  
pluralitatem realitatum prima-  
rum , seu prædicatorum pure  
quidditativorum ; quia ut dixi-  
mus , talia prædicata non sunt  
disparata , ut relationes , & attri-  
buta , sed subordinata , ut su-  
perius , & inferius : Unde si  
essent realitates distinctæ , se ha-  
berent ad invicem , ut contra-  
hi-

hibiles, & contrahentes, & facerent compositionem; quod simplicitati opponitur; essentque priores ipsa Deitate, & in illo priori non haberent infinitatem, ex qua sequitur simplicitas; quia Deitas est origo infinitatis: ergo de primo ad ultimum nullum est fundamentum in dictis Scoti verbis pro Scotistis adversis.

## QUÆST. V.

**Q**UOD NAM SIT PRÆdicatum quidditativum ultimo constitutivum, & distinctivum Dei?

**S**uperflua forsitan videbitur hæc quaestio, cum jam in præcedenti dixerimus, prædicata Dei quidditativa non distingui inter se formaliter est natura rei, sed omnia esse unicam simplicissimam realitatem; unde non est aliquid prædicatum, quod sit primo constitutivum, & aliud quod sit ultimo constitutivum, sed omnia æquè primò, & ultimo constituunt, ut per se patet, quod in rei veritate ita esse ultero fatemur. Verumtamen cum prædicta prædicata distinguantur virtualiter, seu fundamentaliter, nos illa concipiimus per nostrum imperfectum modum concipiendi, sicut conci-

pimus prædicata quidditativa hominis, v. g. quo sensu adhuc est locus inquirendi, quodnam sit illud prædicatum quidditativum, quod quidditatively constituit Deum ultimatè; seu quod idem est, quisnam sit, quoad nostrum modum concipiendi, ultimus actus quidditativus Dei?

2 Pro cuius clariore intelligentia notand. est ex dictis in metaphysica, quod dupliciter aliquid potest dici primum, vel ultimum, scilicet, ordine compositionis, & ordine resolutionis; quod enim est primum ordine compositionis, est ultimum ordine resolutionis; & quod est primum ordine resolutionis, est ultimum ordine compositionis, v. g. juxta Scotistarum sententiam, in viventibus primus actus ordine compositionis physicæ est forma substantialis corporeitatis constitutens corpus organicum simul cum materia prima; & ultimus actus ordine compositionis physicæ est anima, quæ simul cum corpore constituit vivens; ordine vero resolutionis physicæ anima est primus actus, & forma corporeitatis est actus ultimus. Similiter in compositione metaphysica, primus actus in homine, v. g. est realitas contrahens realitatem entis ad esse substantiam; secundus actus est

realitas contrahens substantiam ad esse viventis, & sic de ceteris usque ad rationalitatem, quae est ultimus actus quidditativa constitutens, seu componens hominem; quia quamvis posteā adveniat ecceitas, seu differentia individualis, hæc tamen non est actus quidditativus, seu essentialis, sed extra essentialis, & extra quidditatem hominis.

3 Hoc supposito circa hanc difficultatem, quæ satis prolixè exagitatur a complutensibus Sendin, Losad. Per. & Moral. citatis à sapienti. Picaz. quā plurimè sunt sententiae, quæ videri possunt apud Picazo, disp. 1. de Deo in lin. essentiali, quæst. 6. num. 8. 1. ubi satis eruditè illas refert, & impugnat. Præcipue apud Scotistas sunt duæ, 1. quod prædicatum ultimo constitutivum Dei in linea essentiali est intellectualitas radicalis, seu radix à qua intelligimus pullulare intellectum, & voluntatem Dei. Pro hac militant Sendin. Merin. Antonius Perez Lopez, Picazo, & alij. Secunda sententia non minus communis, & celeberrima inter Scotistas, pro viribus defendit, quod existentia essentialis, seu quidditativa est prædicatum ultimo constitutivum, & distinctivum Dei. Ita Felix de Scientia Dei, cap. 1. diff. 4.

Mastr. de Essent. & Attrib. Dei, disp. 2. q. 1. ubi referunt pro hac sententia quam plurimos, tam antiquos, quam RR. pro qua etiam stare videtur Dupasch. disp. 2. de Exist. & Essent. Dei, quæst. 9. quamvis hic assertus sub expressione affectus, seu esse Dei absoluto, & independenti, seu à se. Cum quibus sit.

4 Conclusio nostra: Existentia essentialis, seu quidditativa est prædicatum ultimo constitutivum, & distinctivum Dei, seu est ultimus actus in ordine constitutionis essentialis Dei. Hæc conclusio est magis conformis menti Subtilis. nost. Doct. qui docet, ut supra diximus, quod hæc propositio *Deus est*, est de per se, in primo modo, & immediata, ad quam resolvuntur omnes propositiones enuntiantes aliquid de Deo, qualitercumque concepto. Hoc probat Subt. Doct. ex illo Exod. 3. *Qui est misit me ad vos*; quod explicat Aug. 7. de Trin. c. 1. *Quod est sapientia sapere*, & *quod est potentia posse*, hoc est *essentia ipsum esse*. Et Damasc. lib. 1. c. 12. *V. detur quidem principalius omnium*, que de Deo dicuntur, *nominum esse*, qui est. Etiam probat, ex Hilario lib. 1. de Trin. *Non enim aliud magis proprium Deo*, quam *esse*, *intelligitur*. Et Dionis. de Di-

**D**ivin. Nominib. cap. 5. *Deum in una existentia omnia præbaber.* Deinde quodl. 1. inquit Doct. quod essentia, & existentia in creaturis se habent sicut quidditas, & modus; in divinis autem existentia est de conceptu essentiæ, & prædicatur in primo modo dicendi per se.

5 Ex his probatur breviter, & efficaciter nostr. concl. sic: Illud est ultimo constitutivum, & distinctivum Dei, quod per nomen sibi ab ipso sumptum significatur: Atqui hoc est existentia quidditativa: g. &c. Mai: patet; Nam qui nomina imponunt rebus, intendunt per illas significare, quantum possunt, eorum naturam secundum propriissimum suum conceptum, seu secundum suam ultimam constitutionem. Prob. min; ex loco citato Exodi, ubi constat, Deum sibi talem nomen sumpsisse: *Ego sum qui sum: sic dices eis: qui est, missit me ad vos:* Ergo Deus non aliunde sibi nomen sumpsit, quam ab existentia; non ab infinitate, aeternitate, omnipotentia, neque ab intellectivo, aut volitivo, &c. Ergo existentia est conceptus, a quo Deus nominatur propriissime ex illius electione, & est ratio, qua cognoscitur ut distinctus ab omni non Deo; ac per conseq. est prædicatum ultimo constitutivum, & distinctivum Dei.

6 Probatur 2. nostra concl. Juxta ferè omnes Scotistas, existentia est prædicatum quidditativum Dei: Atqui iuxta Subt. Doct. & communiter Authores, existentia est ultimus actus essentiæ: Ergo existentia divina est prædicatum quidditativum ultimo constitutivum, & distinctivum Dei. Minor patet ex Subt. Doct. in 2. dist. 3. quæst. 3. §. contra istud, vers. Per hoc patet; ubi ait: Concedo, quod existentia distinguit ultimate, sed distinctione, quæ est extra totam per se coordinationem prædicamentalem (loquitur in creatis) quæ distinctio est aliquomodo accidentalis, licet non sit vere accidentalis; tamen sequitur totam distinctionem secundum esse quidditativum: eo ergo modo quo est actus, distinguit, & in quo est ultimus actus, ultimate distinguit. Hucusque Doctor. Atqui per vos Existentia divina non sequitur ad esse quidditativum Dei, sicut existentia creata sequitur ad esse quidditativum creaturarum; quia in divinis pertinet ad esse quidditativum Dei; & alias est ultimus actus, & ultimate distinguit: Ergo existentia quidditativa Dei est prædicatum ultimo constitutivum, & distinctivum illius.

7 Arg. 1. ex Subt. Doct. quodl. 1. §. de altero termino. vers.

vers. Nam contradic̄tio, ubi ait: Nunc autem intellectualitas , si-  
ve vita intellectiva , vel intelec-  
tualis est idem essentialiter es-  
sentia divina , sic intelligendo,  
quod non tantum est idem rea-  
liter ipsi essentiæ , & hoc identi-  
tate simplici sicut quocumque  
attributum ponitur idem ipsi  
essentiæ : sed hoc modo est idem  
sibi , quod si ipsa essentia divi-  
na definiretur , vita intellectua-  
lis , sive intellectualitas , non  
esset extra ejus definitionem , si-  
cūt sapiens , vel bonum. Hoc  
repetit. vers. Maior patet, di-  
cens : Minor sic intelligitur,  
quod intellectualitas non habet  
rationem attributi , quasi actus  
secundi advenientis ipsi , sed ra-  
tionem perfectionis omnino in-  
timæ : ista enim vita perfecta,  
quæ soli Deo convenit , cuius-  
modi est vita intellectualis , est  
idem essentialiter ipsi primæ es-  
sentiæ . Quam plurima alia loca  
congerunt Scotistæ , præcipue  
Antonius Perez ; & Picazo , in  
quibus Marianus Doct. afferit,  
quod essentia divina , ut hæc es-  
sentiæ , præcedens omnem qua-  
si qualitatem , est intellectua-  
lis , & volitiva essentia ; ita,  
quod sicut rationalitas non est  
attributum homini , sic nec in-  
tellectualitas huic essentiæ : g.  
secundum Scot. intellectualitas ,  
vita intellectualis , seu intellec-  
tuum radicale est essentia , seu  
constitutivum Dei,

8 Respondeat. quod prædic-  
ta verba Scoti , & alia similia,  
quæ longo calamo adducunt Scot-  
istæ contra nostram conclusio-  
nem , minimè sunt contra illam;  
quia solum probant , quod in-  
tellectualitas , vita intellectua-  
lis , seu intellectivum radicale  
est prædicatum quidditativum,  
seu essentiale Dei , & ad hoc  
probandum nos iam supra ad-  
duximus ea ; non vero probant,  
quod sit prædicatum quidditati-  
vum ultimo constitutivum , &  
distinctivum , quod est præsens  
controversia. Etenim , rationa-  
litas est prædicatum quidditati-  
vum hominis , sicut etiam sunt  
ens , substantia , vivens , & ani-  
mal , cum hac tamen differen-  
tia , quod rationalitas est præ-  
dicatum quidditativum ultimo  
constitutivum , & distinctivum  
hominis , non vero reliqua. Qua-  
re ? Quia constitutio hominis  
incipit a realitate entis , & ult-  
imatur in realitate rationalita-  
tis in linea essentiali , & rationa-  
litas est ultimus actus essentialis ,  
quæ reliqua omnia prædicta  
ta ultimate actuat , & contrahit.  
Si ergo Ecceitas , & existentia  
hominis non essent extra ejus  
essentiam , sicut non sunt in divi-  
nis , non rationalitas , sed ipsa  
existentia esset ultimus actus , &  
ultimum prædicatum quiddita-  
tivum hominis.

9 Sed contra est inquit Sen-  
din:

din: Cuicunque non repugnat esse idem alicui substantiæ essentialiter, illud non convenit verissimè tali substantiæ, nisi conveniat illi essentialiter; sed intellectualitati non repugnat esse idem essentialiter cui convenit, ita ut sit ultimum constitutivum ejus in linea metaphysica, ut patet in homine: g. ita competit Deo intellectualitas, ut non solum ipsi competit, ut prædicatum essentiale, sed ut prædicatum essentiale constitutivum. Totus hic syllogismus est Scoti loco citato (inquit Sendl) nec video qualiter hæc consequentia negari posset ab Scotis; nam maior, & minor sunt Scotti; legitimus est syllogismus: g. tenet consequentia. Respondet. quod hæc replica non plus probat, quam argumentum, nempè, quod intellectualitas convenit Deo essentialiter, ad hoc intentum eformavit illam Scotus, & nos illa usi fuimus supra ad id probandum de quolibet prædicato quidditativo Dei; non vero probat, quod sit prædicatum essentiale ultimo constitutivum, & distinctivum, de quo est quæstio. Hæc instantia potest poni in quocumque alio prædicato quidditativo Dei, ut per se patet: g. vel pro omnibus concludit (quod non concedit Sendl) vel pro nullo.

10 Arguit 2. Sendl ratio ne, quæ sibi videtur validissima: Cmnis natura constitui debet per gradum ejus perfectissimum: erg. natura divina constitui debet per gradum ejus perfectissimum, ex his perfectiōnibus, quæ formaliter sunt in Deo; sed gradus perfectissimus est gradus vita intellectualis: g. natura divina constitui debet per gradum vita intellectualis. Hoc argumentum late prosequitur Sendl. Sed resp. 1. quod solum probat intellectualitatem esse prædicatum constitutivum Dei: non verò probat esse ultimo constitutivum, & distinctivum Dei. Resp. 2. cum Antonio Perez, quod si id intendit probare, antecedens est falsum; quia falsum est, quod omnis natura ultimo constituatur, & ultimate distinguatur per gradum ejus perfectissimum. Hoc patet in homine, cuius ultimo constitutivum essentiale est rationale, quod est idem ac intellectivum radicale; & tamen voluntum radicale ex genere suo, juxta Scoticam Doctrinam, est perfectius, quam intellectivum radicale, sicut voluntas est potentia nobilior, & perfectior, quam intellectus. Homo igitur, & quilibet alia res non constituitur ultimate per prædicatum perfectius, sed per ultimum, quo concepto, concipitur res

ultimate, & adequate; quia nihil amplius desideratur ad essentiam totaliter exprimendam. Nec facile poterit suaderi oppositum efficaciter, inquit Antonius Perez. Resp. 3. neg. quod existentia quidditativa Dei non sit gradus perfectissimus divinæ essentiæ; nam ut inquit Subt. Doct. *in divinis existentia est de conceptu essentiæ, & predicitur in primo modo dicendi per se; sic quod propositio illa per se est prima, & imm diata, ad quam omnes aliae resolvuntur.*

Arg. 3. Ultimò constitutivum, & distinctivum nequit multiplicari formaliter in constituto, sed debet esse unica, & simplicissima realitas: atqui in Deo non est unica existentia, sed tot sunt, quod prædicata inter se formaliter distinguita: erg. existentia nequit esse ultimò constitutivum, & distinctivum Dei. Confirm. Ultimò constitutivum debet esse ultima realitas superaddita ad alias realitates constituentes: atqui existentia non est realitas superaddita ad alias realitates, sed modus intrinsecus cuiuscumque realitatis sicut in creatis: erg. &c. Respond. ad argum. concedendo maj. & neg. min. Nam existentia quidditativa Dei est unica realitas; immò omnia prædicata quidditativa Dei sunt unica, simplicissima realitas,

ut quæst. præcedenti diximus. Verum est quòd tot sunt existentiae attributales, & relativæ, quot sunt attributa, & relationes inter se formaliter distinctæ; sed de istis existentijs non loquimur, quia sunt extra essentiales, & non quidditativæ; quid ditativa autem est unica, & simplicissima realitas cum ceteris prædicatis quidditativis aparte rei, & solam quoad nostrum imperfectum modum concipiendi distinguuntur virtualiter, seu fundamentaliter, ut sèpè diximus. Ad confirm. Respondeatur simili ter, negando, quod existentia divina sit modus intrinsecus, sicut existentia creata; nam Subt. Doct. inquit, *quod essentia, & existentia in creaturis se habent, sicut quidditas, & modus; in divinis autem existentia est de conceptu essentiæ, &c.* Omittimus, quàm plurima alia argumenta; tùm quia facile solvuntur, si dicta benè intelligantur. Tùm etiam, quia magna ex parte procedunt ex equivocatione, & confusione ultimi constitutivi. Tùm denique, quia cum sine unica realitas omnia prædicata Dei quidditativa, hoc potius est metaphysicare, quàm Theologizare.

**DISPUTATIO. II.**  
**DE PRÆDICATIS NON**  
**quidditativis, seu de modis in-**  
**trinsecis, & attri-**  
**butis Dei.**

**C**OGNITA jam aliquatenus quidditate, & natura Dei, consequens est, ut ejus modos intrinsecos, & proprietates, quos Theologi attributa vocant, & divinam essentiam quasi circumstant, contemplemur. Pro quo sit

**QUÆSTIO I.**  
**QUID, ET QUOT SINT MO-**  
**di intrinseci Dei?**

**P**RÆOCULIS habenda sunt, quæ diximus in metaphysica Disp. 2. q. 8.; quia magis propria, magisque necessaria hinc sunt, quam illic; ob quod penè ad litteram illa transcribam. Notand. est igitur. Primo, dari modos intrinsecos à modis extrinsecis distinctos; sed est dubium, in quo modi intrinseci ab extrinsecis distinguantur? Et ratio dubitandi est, quia modus, ut nomen sonat, nihil aliud est, quam *adjacens rei determinatio*, seu *modificatio*, per quod denotatur, quod quilibet modus debet esse aliquid extrinsecum respectu rei modificatae, & consequenter, quod nequeat dari aliquis mo-

dus, qui intrinsecus dicatur, & ab extrinseco distinguitur. Nam si distingueretur, necessario modus extrinsecis esset *adjacens rei determinatio extrinseca*; & modus intrinsecus, ut ab illo distinctus, esset *adjacens rei determinatio intrinseca*; sed hi termini, *adjacens*, & *intrinseca* pugnant inter se, nam ly *adjacens*, ut sonat dicit aliquid extrinsecum: erg. non bene alicui modo potest tribui nomen intrinseci, ut à modo extrinseco distinguitur.

2 Sed licet hæc ratio aliquam in terminis videatur habere apparentiam, in re tamen nihil habet difficultatis; igitur verum est quod modus est *adjacens rei determinatio*, & quod modo intrinseco additur illa particula *intrinseca*, & extrinseco illa particula *extrinseca*; falsum tamen est hos terminos *adjacens*, & *intrinseca* inter se pugnare, ut hic accipiuntur; nam per ly *adjacens* denotatur, modum esse aliquid supponens essentiam, & quidditatem rei, & per ly *intrinseca* intelligitur esse aliquid refiliter identificatum cum essentia, & quidditate; per quod patet, quod prædicti termini nullatenus inter se pugnant, immo patet, bene per hoc distinguiri modum intrinsecum ab extrinseco; hic enim non solum sup-

ponit essentiam , & quidditatem rei , quod denotatur per ly *adjacentes*, sed etiam realiter à tali essentia , & quidditate distinguitur , quod denotatur per ly *extrinsecas*. Deinde dicitur modus intrinsecus , quia aliquo modo pertinet ad primum modum dicendi per se rei , quam modificat , ut patebit ex infra dicendis ; modus verò extrinsecus nullatenus ad primum modum dicendi per se rei quam modificat , spectat ; sessio enim , quæ dicitur modus extrinsecus Petri vg. nullatenus ad primum modum dicendi per se Petri attinet , sed omnino extrinsecè se habet respectu illius. Qui aliqua de modis extrinsecis desiderat , consulat Mastr. in metaphysic. disp. 2. quæst. 6. art. 1. Pro intrinsecis autem,

3 Notand. est 2. Quod sicut ens dividitur ab Scotistis in quantum , & non quantum , quantitate scilicet virtutis , seu perfectionis : ita dividitur ab aliquibus modus intrinsecus in quantum , & non quantum. Modus intrinsecus quantus est , qui constituit rem in aliquo modo essendi perfecto. Modus intrinsecus non quantus est , qui constituit rem in aliquo modo essendi non perfecto; hoc pendet ex dicendis in materia de Trinitate loquendo de relationibus divinis , qua propter omis-

so modo intrinseco non quanto , & loquendo de modo intrinseco quanto , de quo communiter Scotistæ loquuntur.

4 Notand. est 3. Quod modus intrinsecus solet dividi in modum intrinsecum in genere , & supra genus. Modus intrinsecus in genere dicitur ille , qui rebus contentis sub genere , seu quæ sunt alicujus generis determinati , applicatur. Modus intrinsecus supra genus dicitur ille , qui rebus , quæ non sunt in genere , & prædicatis transcendentalibus applicatur ; vg. finitas , & infinitas , si comparentur ad ens transcendentaliter sumptum , dicuntur modi intrinseci supra genus : si autem comparentur ad quantitatem , & qualitatem prædicamentalem dicuntur modi intrinseci in genere. Deinde modus intrinsecus etiam solet dividi in essentialem , & individualem. Essentialis dicitur , qui essentiam rei modificat , ut finitas , infinitas , per seitas , inalietas ; & alij hujusmodi ; & potest dici essentialis transcendentalis , vel genericus , vel specificus juxta naturam rei , quam modificat. Individualis dicitur , qui non aliquam naturam secundum suam essentiam , sed , ut individuum modificat , ut intensio , & remissio respectu qualitatis ; non enim una albedo dicitur intensior , vel remissior altera quoad per

perfectionem esse<sup>ntialem</sup>, benè tamen quoad individualem perfectionem. His notatis, Sit

5 Conclusio 1. Modus intrinsecus quantus sic definitur à pluribus Scotistis: *Est determinatus gradus perfectionis cuiuscumque entitatis, quo, facta comparatione ad aliam entitatem excedit illam, vel exceditur ab illa.* Hæc definitio deducitur ex Scot. pluribus in locis; & sic ex ipso explicatur; si accipiat hæc entitas albedo, & comparetur cum alia entitate vg. cum nigredine, excedit istam in duplo; & si comparetur cum scientia, exceditur ab ista in triplo; & si cum anima rationali, ab hac exceditur in decuplo; & si cum Angelo exceditur ab isto in centuplo; & sic facta comparatione in quibuscumque entibus, semper invenitur aliqua proportio, in qua supremum excedit infimum, usque dum perverteriatur ad ens infinitum, quod infinitè excedit quodlibet finitum; unde sicut infinitudo est modus intrinsecus Dei explicans excessum perfectionis Dei respectu creaturarum, ita gradus perfectionis cuiuscumque rei, quo aliam excedit, vel ab illa exceditur, dicitur, & est modus intrinsecus cuiuscumque rei. Hac definitio sic explicata, & intellecta à ferè nullo Scotista negatur. Illam propugnat latè,

Doctiss. Sendin tract. 2. de praedic. quidditativis Dei, disp. 5. se<sup>t</sup>. 1. num. 2. Immò & Subt. Doct. illam traddit quodl. 5. §. de primo. Antonius Perez illam impugnat disp. 3. de modis intrinsecis se<sup>t</sup>. 1. num. 2. inquit enim, quod rationale, & irrational, sub conceptu formalí, & explicito differentiarum comparantur, & rationale excedit irrational: erg. datur excessus perfectionis præciso, seu non intellecto modo. Sed resp. facile ex ipso, & cum Subt. Magist. quod rationale intellecto sine modo, concipitur imperfectè, & fundamentaliter: erg. sine modo, solum fundamentaliter, & imperfectè excedit irrationale.

6 Aliter etiam modus intrinsecus definiri solet: *Modus intrinsecus est, qui additus rei, cuius est modus non variat rationem formalem illius.* Hanc definitionem, ut deductam ex Scoto pluribus in locis, in quibus de modis intrinsecis loquitur præcipue in 1. d. 8. q. 3. §. ad argumenta, à litt. Y. & q. 4. §. ad quæstionem litt. Q. tenent communiter Scotistæ. Pro cuius intelligentia notare oportet, quod modus intrinsecus potest considerari, vel comparativè ad id, quod contrahit; vel comparativè ad constitutum ex illo, & contracto, vg. infinitas, & finitas possunt considerari

rari in ordine ad rationem communem entis, quod contrahunt, vel in ordine ad Deum, & creaturam, quæ sunt constituta ex illis, & ratione entis contracti; & sic dicuntur modi intrinseci entis, & modi intrinseci Dei, & creaturæ. Hinc ortum est dubium, an quando dicitur; quod modus intrinsecus non variat rationem formalem rei cuius est modus, hoc debeat intelligi de contracto, seu modificato per illum, vel de constituto ex modo, & ex modificato?

7 Pro qua difficultate observare oportet, quòd variare, vel non variare rationem rei, non intelligitur in præsenti pro distinctione rei à sua formalis ratione, sed pro contractione rei ad constituendam inferiorem quidditatem; v. g. rationalitas, quæ est propria differentia contrahens animal, non dicitur variare rationem formalem animalis, eo quòd distrahat animal à sua ratione formalis; remanet enim animal in sua formalissima ratione viventis sensibilis; dicitur tamen variare rationem formalem animalis, eo quòd simul cum illo constituit quidditatem hominis inferiorem quidditatem ipsius animalis: in hoc ergo sensu debet intelligi Scotus, quando dicit modum intrinsecum non variare rationem rei, cuius est modus,

contraponit enim modum intrinsecum differentiæ propriæ dictæ. Unde modus intrinsecus non variat rationem formalem rei, cui ex natura rei additur, eo quòd non constituit cum illa aliquam quidditatem inferiorem quidditatem rationis cui additur, neque dicit aliquid prædicatum quidditativum ad aliquam quidditatem, quidditatè pertinens. An hoc debeat intelligi de omnibus modis intrinsecis? adhuc est controversia. Sed pro illa.

8 Videtur dicendum, hoc debere intelligi de omnibus modis intrinsecis, tam in genere, quam supra genus; tam essentialibus, quam individualibus. Hoc patet, quia infinitas est modus intrinsecus extra genus, & modificat in re quidditatem Dei, cui additur, & non constituit cum Deitate aliquam quidditatem inferiorem, quippe nullum prædicatum quidditativum dicit, sed tantum modificat quidditatem Dei, cui additur, & quam supponit quidditatè constitutam: idem est de modo intrinseco finitatis, qui quidditatem creaturæ modificat. Rursus perfectas est modus intrinsecus in genere essentialis, & modificat in re quidditatem substantiæ, cui additur, & non constituit cum substantia aliquam quidditatem inferiorem quid-

quidditate substantiæ ; quippe nullum gradum , seu prædicatum quidditativum dicit , sed tantum modificat quidditatem substantiæ , cui additur , & quam supponit. Denique gradus intensionis , ut quatuor , vel , ut quinque , v.g. est modus intrinsecus qualitatis individualis , & modificat in re qualitatem individualem , cui additur , & non constituit cum tali qualitate aliquam quidditatem individualem ( liceat sic loqui ) inferiorem individuali quidditate talis qualitatis individualis ; quippe nullum gradum , seu prædicatum individualis quidditativum dicit , sed tantum modificat prædictam qualitatem individualem , cui additur , & quam supponit. En quomodo ; non variare rationem formalem rei , convenit omnibus modis intrinsecis sumptis ut sunt modi.

9 Arg. 1. Modus , & differentia distinguuntur in eo , quod modus non variat rationem formalem , differentia autem variat rationem formalem ejus cuius est ; sed differentia , v.g. rationale , est constitutivum formale hominis , & ipsius differentia : erg. rationale variat constitutivum formale hominis , & consequenter se ipsam , quod nequit percipi. Resp. conc. maj. & min. & neg. conseq. Quia rationale non aliter est differen-

tia hominis , nisi quatenus est differentia animalis , ipsum contrahens ad principium discursus quin permaneat in sola ratione viventis , & sentientis ; & hoc sufficit , ut differentia variet , quatenus distinguitur à modo intrinseco.

10 Arg. 2. Modus intrinsecus addit supra entitatem , seu realitatem , aliquam perfectionem , vel denominationem , quam non habet realitas , ut præcisa à modo : erg. variat rationem formalem ejus , cuius est modus. Probat. antec. nam essentia divina cum infinitate , & aeternitate , est formaliter infinita , & aeterna ; atque secundum se , ut præcisa ab his modis , non est formaliter talis : erg. infinitas , & aeternitas variant rationem formalem essentiæ , cuius sunt modi : alias , neque rationale contrahens animal variaret rationem formalem illius , quia animal secundum se semper est idem formaliter , & cum differentia nihil amplius habet , quam esse rationale , sicut essentia cum infinitate est infinita.

11 Resp. conc. antec. & neg. conseq. ad probationem conc. maj. & min. & neg. conseq. Ratio est clara , quia eti infinitas , & alii modi intrinseci addant denominationem , & perfectionem supra conceptum formalem quidditatis , tamen non

non extrahunt quidditatem à suo esse formalí ad aliud esse, seu ad aliam lineam essendi; securus autem differentia, vel aliud quocumque, quod non sit modus intrinsecus, ut substantia respectu entis. Exemplum in Deo, in quo dantur istæ linea, seu rationes formales essendi: radix, potentia, actus essentia- lis, & notionalis; radix, ut essentia metaphysica; potentia, ut intellectus, & voluntas; actus essentialis, ut intellectio, & volitio; & actus notionalis, ut relationes originis: licet enim modi intrinseci tribuant novam denominationem, & perfectio- nem essentiæ, vel potentij, aut actibus essentialibus; attamen cum talibus perfectionibus essen- tia permanet in esse purissimæ radicis, potentia in ratione principij proximi, & actus in ratione determinationis actualissimæ, quin aliquid extrahabatur ad aliam lineam, seu ratio- nem formalem essendi, sed tan- tum perficitur idem esse unius- cuiusque per illas perfectiones, seu modos intrinsecos essendi. Etsi linea notionalis esset formaliter capax harum perfectio- num, adhuc cum ipsis esset pa- ternitas incomunicabilis, & omnes relationes originis habe- rent idem esse formale, quod defacto habent; solumque adde- rentur ipsis hi novi modi in-

trinseci essendi ejusdem esse, quod habent. Substantia autem non sic respectu entis; nam esse formale entis concipitur in præcisa non repugnantia ad existendum, & per se ita radicalis, quæ est essentiale, & for- male constitutivum substantiæ non relinquens ens in pura ratio- ne entis, sed illud contrahit ad novum esse, scilicet, substan- tiale; quod quidem licet expli- cetur admodum modi, nempe *per se*, eo quod aliter nequeat intelligi quidditas substantiæ, tamen substantia apud omnes non est modus, sed res.

12 Ex dictis sequitur pri- mo, quod licet modus intrin- secus conveniat in re cum diffe- rentia in eo, quod utrumque est extra quidditatem illius, cui applicatur; rationalitas, v. g. quæ est differentia, est extra quid- ditatem animalis, & intensio, quæ est modus intrinsecus albe- dinis est extra quidditatem al- bedinis; in pluribus tamen dif- ferant. Primo, quia modus intrinsecus intrinsecè realita- tem, cuius est modus, per- ficit; differentia vero solum ex- trinsecè; albedo enim quoad suam entitatem perficitur per gradus intensio- nis; animal ve- ro non intrinsecè, quoad suam entitatem, sed extrinsecè per ra- tionalitatem perficitur.

13 Secundo differunt in hoc,

hœ, quod realitas nequit perfectè concipi sine suo modo intrinseco ; realitas verò generis perfecte potest concipi sine differentia ; animal enim licet perfectissimo modo quoad suum esse quidditativum concipiatur, non adhuc habetur conceptus rationalitatis , quæ est differentia. Tertio differunt in hoc , quod ab eadem realitate desumitur conceptus objectivus modi intrinseci , & conceptus rei , cuius est modus ; at vero conceptus differentiæ desumitur à diversa realitate ab illa, a qua desumitur conceptus generis; alias ubicumque realitas à qua desumitur animal v. g. inveniatur etiam realitas , à qua desumitur rationalitas , quod falsum est. Quartó differunt in hoc, quod differentia addita generi variat rationem formalem, & quidditativam illius ; at vero modus intrinsecus non variat rationem formalem , & quidditativam rei , cuius est modus.

14 Sequitur secundò, modum intrinsecum etiam differre in multis a passione , licet convenienter in hoc ; quod utrumque est extra quidditatem ; nam primo differant in hoc , quod passio dicit realitatem perfectam distinctam ab essentia , non vero modus intrinsecus. Secundo in hoc , quod essentia per-

fectè concipi potest sine passione , non autem sine modo intrinseco. Tertio in hoc , quod passio dimanat ab essentia constituta in suo esse perfecto , at vero modus intrinsecus est gradus perfectionis ipsius essentiæ , & non quid ab essentia perfectè constituta dimanans. Quarto in hoc , quod passio habet suum modum intrinsecum tamquam gradum perfectionis ipsum modificantem ; at vero modus intrinsecus non habet alium modum intrinsecum ipsum modificantem , & perficiensem ; sed est pura modificatio rei , cuius est modus. Hæc differentiæ deducuntur ex Scot. pluribus in locis ex sup. cit. & in alijs , quibus firmiter tenet , infinitatem non esse attributum Dei , sed tantum modum intrinsecum , ubi assignat differentiam inter attributum , & modum intrinsecum ; & certum est , attributa se habere in Deo admodum quo se habent passiones in essentijs creatis. Expressè etiam , q. 5. quodl. lit. C. dicit ; modum intrinsecum non esse confundendum cum passione , sed esse magis intimum essentiæ , quam passio , hæc sunt Scotti verba : *Infinitas intensiva dicit modum intrinsecum illius ent tatis , cuius est , sic intrinsecum , quod circumscribendo quodlibet , quod est*

*est proprietas ejus , vel quasi proprietas eius adhuc infinitas eius non excluditur.*

15 Ex hoc deducunt aliqui cum Simising tract. 2. disp. 1. quod modus intrinsecus non pertinet ad secundum modum dicendi per se , sicut passio; quia modus intrinsecus intimior est essentiae , quam passio ; neque facit modus intrinsecus unum conceptum quasi per accidens cum re , cuius est modus , sicut facit passio cum subjecto , cuius est passio ; immo modus intrinsecus facit cum re cuius est modus unum per se conceptum perfectum ; qua propter potius dicendum est , quod pertinet ad primum modum dicendi per se , quam ad secundum ; sed ne ex hoc aliqua oriatur equivocatio est advertendum cum Mastr. part. 2. inst. Log. tract. 1. c. 3. quod in primo modo dicendi per se possunt assignari aliqui gradus. Primus est , quando tota definitio praedicatur de definito. Secundus , quando pars definitionis de definito praedicatur. Tertius , quando modus praedicatur de re , cuius est modus. Unde constat , quod modus intrinsecus praedicatur in tertio gradu dicendi per se primo modo , & hoc ex eo , quod aliquomodo pertinet ad quidditatem rei , cuius est modus;

quippe sine illo nequit perfecte concipi ; non autem in primo , & secundo gradu ; quippe in his gradibus solim dicuntur praedicata quidditativa , & modus intrinsecus non est quidditativum praedicatum , seu est praedicatum non pure quidditativum.

16 Conclusio 2. modi intrinseci Dei sunt esseitas , simplicitas , infinitas , immutabilitas , invisibilitas , incomprehensibilitas , ineffabilitas , immensitas , aeternitas , & aliae hujusmodi , si occurant. Esseitas est existentia a se , per quam est Deus essentialiter independens ab omni. Simplicitas est ratio actus purissimi , per quam est expers totius potentialitatis , & alienus ab omni compositione. Infinitas explicat perfectionem summam supra omnem discursum , & absque limitatione ulla. Per immutabilitatem excluditur quacumque novitas intrinseca , ita , quod aliter se habeat Deus aliquando , quam ab aeterno. Invisibilitas negat posse videri intuitivè solis naturæ viribus. Incomprehensibilitas excludit possibilitatem cognitionis creatæ adæquantem intelligibilitatem passivam Dei. Ineffabilitas ostendit Deum inexplicabilem. Per immensitatem est necessario præsens omni loco. Et per aeternitatem explicatur eius intermi-

nabilis, & indivisibilis duratio, tam aparte ante, quam aparte post.

17 Omnes istæ perfectio-  
nes, seu modi intrinseci tra-  
scendunt essentiam divinam, &  
omnes ipsius attributa: Unde  
modo quo essentia ab attribu-  
tis, & ista inter se distinguntur,  
distinguntur etiam modi intrin-  
seci essentiaz à modis intrinsecis  
attributorum, & cujuscumque  
istorum ab alio; sicut diximus  
in metaphys. de ente trascen-  
dente omnes perfectas realita-  
tes, omnesque ultimas differen-  
tias ordine compositionis. Ex-  
plicatur hoc: Si quis intuitivè  
videret intellectum divinum, v.  
g. quin videret divinam essen-  
tiā, aut aliud quocumque  
attributum, videret perfectio-  
nem simpliciter simplicem: g.vi-  
deret intellectum formaliter exis-  
tentem à se; quia nihil præscin-  
dens ab existentia ex parte ob-  
jecti potest esse perfectio simpli-  
citer simplex; nec posset intuitivè  
videri, si ab existentia præscin-  
deret: g. intellectus divinus est  
formaliter actus purissimus in  
sua linea, omnino simplex, ab-  
que ulla potentialitate, & re-  
pugnans omni compositioni, g.  
formaliter immutabilis: erg.  
infinitus simpliciter: g. incom-  
prehensibilis formaliter: g. im-  
mensus, cum implicit videri  
in loco sibi determinato: g.

Tom. I.

eternus, quia realitas à se exis-  
tens non præscindit ab eterni-  
tate: g. qui intuitivè vide-  
ret divinum intellectum, in  
unica realitate videret has om-  
nes perfectiones: g. sunt trans-  
cendentes divinam essentiam,  
& omnia attributa.

Q U A E S T I O N E  
AN MODUS INTRINSE-  
CUS distinguatur ex natura  
rei à re modificata?

I HÆC difficultas valde  
controvertitur inter  
Scotistas adducentes pro utra-  
que parte subt. Mag. & sup-  
ponit tanquam certum, modus  
intrinsecum vere, & realiter  
dari aparte rei indepen-  
denter à consideratione intel-  
lectus; verè enim, & realiter  
Deus est infinitus infinite, quæ  
est modus intrinsecus illius; &  
similiter substantia verè, & realiter  
est ens per se per se, quæ  
est illius modus intrinsecus,  
idem dicendum est de intensio-  
ne, & de quocumque alio mo-  
do intrinseco; nunc per sequeu-  
tes conclusiones, quid videat-  
tur tenendum ex mente Subtil.  
Doct. proponemus.

2 Conclusio 1. modus in-  
trinsecus non dicit perfectam  
realitatem ex natura rei distin-  
ctam à re, cuius est modus. Hæc  
concl. est fere omnium Scotita-

Q

rum

rum cum Scoto locis infra citandis. Prob. principio recepto in omni Subt. schola: perfecta realitates, seu formalitates sunt illæ, quarum qualibet potest concipi conceptu perfecto, & adæquato, distinctio ab alio conceptu perfecto, & adæquato, quo altera concipitur: sed nequit res perfecte, & adæquate concipi sine modo intrinseco: g. modus intrinsecus pertinet ad perfectum conceptum realitatis quam modificat; & consequenter non dicit modus intrinsecus perfectam realitatem ex natura rei distinctam à re, cuius est modus. Fere similia verba repetit Scot. pluribus in locis.

*Quando intelligitur aliqua realitas cum modo intrinseco suo ille conceptus non est ita simpli- citer simplex; quin possit concipi illa realitas absque modo illo: sed tunc est conceptus imperfectus illius rei, potest etiam concipi sub illo modo, & tunc est conceptus perfectus illius rei.*

g. ex mente Scoti nequit aliqua realitas perfecte concipi si ne suo modo intrinseco. Et prosequitur Scotus hoc itaque exemplificando: *si efft albedo sub decimo gradu intensionis:: posset concipi sub ratione albe-*

dinis tanta; & tunc perfectè conciperetur conceptu adæquato illi rei; vel posset concipi præcisè sub ratione a bedinis, & tunc conceptu im- perfecto, & deficiente à per- fectione rei. En quomodo ex mente Scoti conceptus albedinis cum modo intrinseco intensionis est perfectus, & sine tali modo est imperfectus: g. nullatenus modus intrinsecus dicit perfectam realitatem ex natura rei distinctam à re, cuius est modus. Fere similia verba repetit Scot. pluribus in locis.

3 Conclusio 2. modus intrinsecus aliquomodo ex natura rei distinguitur à re, cuius est modus. Hanc conclusionem tenent passim Scotistæ, sed in illa explicanda diversimode se habent: aliqui enim dicunt, hanc distinctionem non esse formalem positivam, sed tantum formalem negativam eo, quod modus intrinsecus non dicit propriam formalitatem, & realitatem perfectam. Sed licet verum sit, ut dictum est conc. antec. modum intrinsecum non dicere perfectam realitatem, seu formalitatem; tamen propter hoc, non est dicendum, prædictam distinctionem non esse positivam; quia modus intrinsecus dicit ex se aliquid positivum: g. si aliquomodo ex natura rei distinguitur à re, cu- ius

ius est modus , talis distinctio  
debet dici positiva. Qua prop-  
ter Mastr. tom. 1. met. disp.  
2. q. 6. tenet quod esto talis  
distinctio nequeat dici formalis  
ex natura rei positiva , intelli-  
gendo pro distinctione formalis  
ex natura rei positiva distinctionem  
realitatis à realitate , seu  
formalitatis à formalitate , po-  
test tamen dici positiva , qua-  
tenus est distinctio realitatis à  
suo modo intrinseco positivo;  
unde inquit , quod sicut distin-  
tio realis versatur , vel inter  
rem , & rem , & ut sic dicitur  
absolute distinctio realis ; vel  
inter rem & modum extrinsecum ;  
& ut sic dicitur distinctio  
realis modalis ; eo , quod defi-  
ciat à perfectione rei ex par-  
te unius extremi , scilicet , mo-  
di extrinseci ; ita similiter dis-  
tinctio ex natura rei formalis  
versatur , vel inter realitatem ,  
& realitatem , seu inter forma-  
litatem , & ut sic dicitur ab-  
solute distinctio ex natura rei  
formalis ; vel inter realitatem ,  
seu formalitatem , & modum  
intrinsecum ; & ut sic dicitur  
distinctio ex natura rei formalis  
modalis , eo quod deficit à  
perfectione realitatis , seu for-  
malitatis ex parte unius extre-  
mi , scilicet modi intrinseci .  
Ferè similiter intellegit hanc  
distinctionem Vulpes . tom. 1.  
part. I. d. 8. art. 3.

4 Deducitur conclusio ex  
Subt. Doct. loc. cit. num. 17.  
ubi inter alia habet hæc verba:  
*Requiritur igitur distinctio in-  
ter illud , à quo accipitur  
conceptus communis , & illud  
à quo accipitur conceptus proprius , non ut distinctio reali-  
tatis , & realitatis , sed ut dis-  
tinctio realitatis , & modi pro-  
prii , & intrinseci eiusdem .*  
Ubi bene notandum est , quod  
loquitur Scotus de distinctione  
ex natura rei ; non enim dicit ,  
quod requiritur distinctio in-  
ter communem , & conceptum  
proprium ( hæc enim est distin-  
tio per intellectum ) . sed dicit ,  
quod requiritur distinctio inter  
illud à quo accipitur concep-  
tus communis , & illud , à quo  
accipitur conceptus proprius ;  
& certum est , illa à quibus  
predicti conceptus accipiuntur ,  
dari ex natura rei ,  
& independenter ab intellectus  
consideratione ; & consequen-  
ter ex mente Scoti , distinctio  
à Scot. assignata inter modum  
intrinsecum , & rem , cuius est  
modus , est distinctio ex natu-  
ra rei .

5 Deinde potest probari  
conclusio ex eodem Doct. in I.  
d. 2. q. 2. §. ex his ad questio-  
nem . vers. dice quod nulla . Ubi  
dicit hanc propositionem *Deus:*  
*est esse per se notam , hanc vero*  
*Deus est infinitus , non esse per*

se notam , cum sit demonstrabilis à priori , & propter quid per hoc medium esse à se , quod primariò , & quidditativè naturæ divinæ covenit : sed quod est demonstrabile à priori , & propter quid de aliquo nequit esse prædicatum quidditativum illius , sed aliquid posterius quidditate , & aliquo modo extra quidditatem : erg. infinitas , quæ est modus intrinsecus Dei non est prædicatum quidditativum illius , sed aliquid posterius quidditatem Dei , & aliquo modo extra illam , & consequenter aliquomodo ab illa ex natura rei distinctum. Neque valet , quod aliqui respondent , scilicet , quod bene stat , quod aliqua proposicio sit per se nota , & altera non , quin in re detur aliqua distinctione inter extrema , solum penes conceptum explicitum , & implicitum ejusdem rei : hæc enim proposicio : *Homo est animal* , non est per se nota , hæc autem , *homo est vivens sensibile* , est per se nota , & tamen animal , & vivens sensibile non distinguntur in re , penes conceptum explicitum , & implicitum ; unde ex eo , quod hæc sit per se nota : *Deus est* , & hæc non , *Deus est infinitus* ; non consequitur infinitatem distinguiri ex natura rei à Deitate , sed tantum penes conceptum explicitum , & implicitum .

6 Sed contra est ; quia Doctor non præcisè dicit , quod hac propositio : *Deus est* , est per se nota , & hæc : *Deus est infinitus* , non est per se nota , sed etiam assignat rationem , scilicet , quod ideo hæc propositio *Deus est* , est per se nota , quia est immediata , & explicans quidditatem Dei , seu id , quod ad quidditatem Dei spectat ; hæc autem *Deus est infinitus* , non est per se nota ; quia non est hoc modo immediata , seu pertinens ad quidditatem Dei ; sed est mediata , & demonstrabilis de Deo per esse à se , quod est de ejus essentia , tanquam per medium , eo modo , quo demonstrantur de aliquo subjecto passiones , seu quasi passiones : erg. sentit Scot. infinitatem esse extra quidditatem Dei , & aliquid posterius ipsa tanquam passio , seu quasi passio ipsius Dei ; ac per consequens ex mente Scotti aliquomodo infinitas ex natura rei à Deitate distinguitur , licet non , ut realitas à realitate ; saltim ut modus à realitate ,

7 Deinde potest probari adhuc conclusio aliquibus rationibus , quibus probavimus in Logica , dari distinctionem formalem ex natura rei , quæ quidem hūc applicari posunt modo proportionato ; & certè , hac distinctione inter modum intrinsecum , & rem , cuius est modus , ad-

admissa tanquam Scotica , me-  
lius fundamenta ad distinctionem  
formalem ex natura rei in  
alijs probandam , & defenden-  
dam radicantur , & fortassis illa  
negata , ut aliqui Scotista ne-  
gant , non facile Scotica prin-  
cipia de distinctione formalis ex  
naturā rei firmantur ; nec ad op-  
posita argumenta ita satisfit , ut  
non possint contrarij facile in  
Scotistas retorquere .

8 Arguunt tamen aliqui  
Scotista : Circumscrip̄to omni-  
eo , quod non est formaliter  
Deitas , Deus est infinitus : erg.  
infinitas non dicit aliquid for-  
maliter distinctum à Deitate .  
Antecedens patet ; quia circum-  
scripto omni eo , quod non est  
formaliter Deitas , Deus à for-  
maliter perfectus : sed non per-  
fectus finitè : erg. infinitè : ac  
per consequens &c. Resp. neg.  
antec. & maj. probationis. Deus  
enim circumscrip̄to omni eo ,  
quod non est formaliter Deitas ,  
solum est perfectus fundamentaliter ,  
non verò formaliter ; Deitas enim ex suo formalissi-  
mo conceptu est necessarium  
fundamentum infinitatis , non  
verò formaliter infinita .

9 Neque ex hoc inferas Dei-  
tatem esse conceptum indiffe-  
rentem , & potentialem ; nam  
licet , quæd nostrum imperfec-  
tum modum concipiendi abstra-  
hantur à Deo aliqui conceptus

communes , & quasi potentiales  
& determinabiles per modum in-  
trinsicum ; in re tamen nihil da-  
tur in Deo potentiale , cum Dei-  
tas , & omnes realites , & for-  
malitates Dei , sint fundamen-  
tum necessarium infinitatis ; qua-  
propter intellectus divinus , &  
intellectus beatorum intuitivè  
essentiam divinam , & attributa  
Dei cognoscentes , nullam vi-  
dent realitatem Dei indifferen-  
tem , sed vident , essentiam di-  
vinam ( idem dices de attribu-  
tis ) ut necessarium fundamen-  
tum infinitatis , & esse modifica-  
tum ipsa infinitate distincta ex  
natura rei modaliter ab ipsa es-  
sentia , & cognoscunt Deum esse  
infinitum , quia habet suum esse  
quidditativum à se , & hoc in-  
tendit Scotus , quando in loco  
citat. num. 17. vers. istud po-  
test ; dicit : quod licet respectu  
intellectus perfectè concipientis  
sint duo objecta formalia reali-  
tas generis , & realitas differen-  
tiaz ; tamen res , & modus intrin-  
secus non sunt duo objecta for-  
malia , sed unum objectum for-  
male modificatum . Videatur ibi:  
quia inter loquendum distinc-  
tionem realitatis a suo modo in-  
trinsico proponit .

10 Arg. 2. Deus sua quid-  
ditate est , quo maius excogitari  
non potest ; Hæc propositio de-  
ducitur ex D. Ansel. prolog. 2.  
Erg. includit infinitatem forma-  
lem

lem in sua quidditate præcisè sumpta. Resp. 1. quod D. Anselmus non descripsit Deum per suam quidditatem præcisè sumptam, sed ut concipitur à nobis per infinitatem. Unde neg. conseq. Resp. 2. neg. etiam conseq. quia ut Deus sua quidditate dicatur id, quo majus excogitari non potest, non requiritur, quod in suo quidditativo conceptu infinitatem includat, sed sufficit, quod sit fundamentum necessarium infinitatis, & hoc etiam sufficit, ut Deus sua quidditate dicatur pelagus, radix, & origo omnium infinitarum perfectio-  
num. Videatur Scotus, q. 5. quodl.

11 Arg. 3. Essentia divina dicitur formaliter infinita, & si-  
militer perfectiones attributales  
Dei dicuntur formaliter infini-  
tae, & relationes originis in Sco-  
ti sententia non dicuntur forma-  
liter infinitæ; sed, si, infinitas  
est aliquid ex natura rei distinc-  
tum ab essentia divina, & attri-  
butis, & tantum realiter iden-  
tificatur cum illis, non est  
cur relationes originis non  
dicantur etiam formaliter infini-  
tae, cum etiam realiter iden-  
tificantur cum infinite: erg.  
&c. Resp. conc. maj. neg. min.  
Est enim maxima differentia in-  
ter essentiam (idem dices de  
attributis) & relationes: Essen-  
tia enim non dicitur formaliter

infinita eo præcisè, quod cum infinitate realiter identificatur; hoc enim non sufficeret, ut in-  
finita formaliter diceretur; sed quia ex suo formalí conceptu est necessarium fundementum infinitatis, & ita exigit intrin-  
secè infinitate modificali, ut nequeat perfectè concipi sine infinite (idem est de attribu-  
tis) at verò relationes originis ex suo formalí conceptu, non sunt ita necessarium fundamen-  
tum infinitatis, neque exigunt intrinsecè modificali infinitate,  
& possunt perfectè, sine infinite  
concipi: & sic non dicun-  
tur formaliter infinitæ, sed tan-  
tum realiter, & identicè, qua-  
tenus, scilicet, realiter identi-  
ficantur cum essentia divina,  
qua modo dicto est formaliter  
infinita.

### QUÆST. III.

#### QUID, ET QUÆ SINT attributa Divina?

I **S**ubtilis Schola distin-  
guit in divinis per-  
fectionibus attributa à modis  
intrinsecis, & modos intrinse-  
cos, ab attributis: Et quidem  
recte, nam manifestè con-  
stat diversitas inter intellec-  
tionem, v. g. comparativè ad  
essentiam, & infinite, alias  
que modos supra relatios res-

peatu ejusdem essentia. Essentia enim est quidditativè concep-  
tibilis perfectè , & adæquate  
absque eo , quòd concipiatur  
actualis divina volitio , quia  
formaliter ex natura rei distin-  
guntur adæquate : non sic au-  
tem se habet ipsa divina essen-  
tia respectu infinitatis , & alio-  
rum modorum ; quia , vel non  
distinguitur ex natura rei ab  
illis , ut volunt quam plures  
RR. Scotista ; vel solum distin-  
guitur imperfectè , inadæquate ,  
sive modaliter , ut quæst. ant. di-  
ximus. Unde non potest conci-  
pi divina essentia , conceptu  
perfecto , & adæquato , absque  
suo modo intrinseco ; bené ta-  
men potest sic concipi absque  
attributis. Sed est notand. quòd  
cum attributum juxta nominis  
ethimologiam sit illud , quòd  
alteri ab alio tribuitur , in hac  
consideratione , quidquid tri-  
busimus Deo , sive sit quid po-  
sitivum , sive negativum , sive  
reale , sive rationis potest dici  
attributum. Sed hic non sumi-  
tur attributum in tām lata ac-  
ceptione , sed in alia strictiori.  
Pro qua sit.

2 Conclusio : Attributum  
Dei est perf ectio simpliciter sim-  
plex in Deo formaliter existens ,  
& secundario adveniens divina  
essentia in suo esse essentiali  
perfectè constituta. Sic commu-  
niter Theologi , quibus verbis

aliqui addunt : *Quod sit for-  
maliter reperta in creatis per  
participationem.* Dicitur , quòd  
sit perfectio simpliciter simplex ,  
ut excludantur à ratione attri-  
butorum prædicata , quæ non  
ponunt in Deo perfectionem ,  
ut sunt relationes originis , de  
quo in materia de Trin. Dicitur  
*in Deo formaliter existens* , ut  
excludantur non solum prædi-  
cata metaphorica , quæ de Deo  
dicuntur , ut Leo , Sol , &c.  
Sed etiam omnes creature , &  
perfectiones illarum , quia non  
continentur in Deo formaliter ,  
sed eminenter , aut virtualiter.  
Dicitur , *secundario adveniens  
divine essentiae* , ut excludantur  
prædicata quidditativa , ut *sub-  
stantia , vivens , &c.* Immò &  
modi intrinseci , qui sunt ali-  
quomodo intra quidditatem  
essentiae. Illa verba , quæ ad-  
duntur ponuntur ad excluden-  
dam æternitatem , immensita-  
tem , &c. quæ non reperiuntur  
in creatis.

3 Argum. contra ultima  
verba ; omnipotentia est attri-  
butum ; sed non reperitur in  
creatura : erg. falsum est dicere ,  
quòd attributum est perfectio ,  
quæ reperitur in creaturis per  
participationem. Resp. omni-  
potentiam esse nomen confla-  
tum ex modo intrinseco , &  
attributo , qui enim dicit omni-  
potentiam , dicit potentiam  
in-

in infinitam: unde omnipotentia si sumatur præcisè, ut potentia convenit creaturæ, seu reperi-tur in illa; non verò, si sumatur, ut infinita; quia ut sic in-dicit rationem modi istrinseci, & modi istrinseci soli Deo con-veniunt.

4 Pro 2. quòd inquirit questio dicimus, quòd aliqua attributa divina sunt transcen-dentalia, quæ scilicet conveniunt illi, ut est ens, & sunt veritas, bonitas, & unitas. Alia sunt veluti categorica, quæ conveniunt Deo, ut est tale ens, & sunt intellectus, & vo-luntas, ejusque operationes in-tellectio scilicet, & volitio, & etiam perfectiores virtutes, quæ non dicunt imperfectionem, sa-pientia, sanctitas, justitia, mi-sericordia, omnipotentia, & liberalitas. Ad præfata attributa reducunt communiter Theologi numerum attributorum Dei. Li-cet enim alia soleant numerari, si recte inspiciantur, ab enu-meratis non distinguntur ut sequent. quest. pa-  
tebit.

QUÆST. IV.  
QUOMODO DIVINA  
attributa distinguantur ab  
essentia, & inter  
se?

PRO intelligentia hu-  
jus questionis re-  
collenda sunt, quæ diximus in  
Logica de distinctionibus, &  
de identitatibus. Circa hanc  
difficultatem erravit valde Gi-  
lib. Porret. Episc. Pietav. &  
quidam Gualterus, tradentes  
distinctionem realēm absolu-  
tam, inter essentiam divinam,  
& attributa. Nominales verò,  
cum Okam, ex diametro oppo-  
nuntur huic errori, afferentes,  
nullam dari distinctionem, ad-  
huc rationis; quæ sententia jam  
ferè à nullo admittitur; sed est  
inter DD. duplex sententia: 1.  
tenens distinctionem per ratio-  
nem, vel ratiocinantem, vel  
ratiocinatam, juxta sensum Tho-  
mistarum, vel Jesuitarum. 2.  
tenens distinctionem formalem  
ex natura rei, juxta sensum  
Scot. in 1. d. 8. q. 4. per to-  
tam, & alijs in locis, cum quo  
sit.

Conclusio nostra: Es-sen-  
tia divina ab omnibus attribu-  
tis, & aliqua attributa inter se  
formaliter ex natura rei distin-  
guantur. Deducitur hæc nostra  
sen-

Sententia non obscurè ex doctrina SS. PP. nam D. Dionysius lib. 9. de Divin. Nominibus dicit: *In Deo esse perfectionum varietatem, alteritatem, multiplicatatem, & unum attributum præstare aliquid, quod non præstat aliud*; talis autem alteritas, varietas, & multiplicitas non est realis absoluta; Deus enim non esset simplex: erg. est formalis. Anselm. cap. 48. in Monolog. Damasc. 11. de Fide, cap. 4. & alij idem sentiunt; immò D. Aug. 15. de Trinit. cap. 6. inquit: *Si dicam aëternus, sapiens, justus, bonus, spiritus; horum omnium novissimum, quod possui, videtur significare substantiam, cætera vero hujus substantiae qualitates*: erg. in Deo secundum quod est in se aparte rei (quo in sensu loquitur Aug. ut videri potest) datur aliquod prædicatum, quod est substantia, sive essentia, & alia, quæ sunt veluti qualitates, seu attributa: erg. ista distinguuntur aliquomodo inter se, & ab illo aparte rei; alioquin neque ista essent plura, neque essent extra rationem substantiarum, seu essentie. Unde Sancti PP. admittunt distinctionem formalē ex natura rei inter essentiam divinam, & attributa, & etiam inter se. Admittunt, inquam, saltim implicitè; & si explicitè illam non admittunt,

hoc est, quia eorum tempore non erat in uisa talis distinctio formalis secundum nomen. <sup>videtur</sup>  
 3<sup>rum</sup> Probat. 2. nostra conclusio. Quia impossibile est verificari aparte rei prædicata contradictionia de eadem ratione formalī: sed de Deo verificantur aparte rei actu, & formaliter prædicata contradictionia: g. in Deo non est unica, & eadem ratio formalis; Sed plures. Prob. min; nam Deus est Deus Deitate, & non est Deus sapientia: g. Deitas, & Sapientia distinguuntur formaliter ex natura rei. Præterea, divina productiones non sunt immediate per naturam, sed per intellectum, & voluntatem, ut dicitur in materia de Trinit. quia una est generatio; altera, q. non, iuxta fidem: g. intellectus, & voluntas distinguuntur ex natura rei, à natura divina. Prob. conseq. quia Deus vere concipit se generare Verbum, & spirare Spiritum Sanctum: g. necessario debet concipere esse in se aliquod principium, cur potius generatio sit productio Verbi, quam spiratio: g. debet concipere in se aliqua principia partialia ex natura rei distincta ab Essentia: sed talia principia sunt intellectus, & voluntas: g. distinguuntur formaliter ex natura rei ab essentia. Similiter potest probari conclusio de

intellectu, & voluntate inter se comparatis; nam Verbum procedit per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem; & ideo una productio est generatio, & altera non; quia procedit per intellectum, & non per voluntatem: g. intellectus, & voluntas, formaliter ex natura dei distinguuntur. Patet conseq. nam alias non esset maior ratio ut filius esset genitus, ac esset genitus Spiritus Sanctus, si Spiritus Sanctus procedit per eamdem formalem potentiam, per quam procedit Filius. Idem dices de intellectione, & volitione, ad quas communiter reducuntur cætera divina attributa.

4 Arg. i. ex SS. PP. nam D. Aug. in questiunculis de Trin. inquit: *Deus eo ipso, quo est, vivit; & eo, quo vivit, intelligit; & eo, quo intelligit, potest; & eo, quo potest, est; quia simplex Deitatis natura unum habet esse, vivere, & omnia posse.* D. Damascenus lib. i. de Fide, c. ii. *quod autem in ea dictum est, sola cogitatione distinguatur;* Et loquitur de natura divina, & omnibus perfectionibus quas continet. Div. Cyrilus lib. ii. Thesauri: *Substantiam Dei per se ipsam perfectam esse; sed tamen nos cognoscimus accidens etiam modo concipere.* D. Bernardus de

considerat. lib. 5. cap. 13. *Voces diversæ, semite multæ, sed unum per eas significatur.* Ipsi ipsi PP. & alij citantur pro eodem modo loquendi in alijs locis ubi similia verba proferre videntur: sed prædicta sufficiant, quia eodem modo respondetur omnibus in generali; nempe, nihil aliud velle, aut intendere, quam Deum esse realiter simpliciter unicam simplissimam entitatem realem, habentem omnes suas operaciones, non realiter distinctas, sicut habent creaturæ, sed per identitatem perfectissimam absque ulla potentialitate, aut alia nota imperfectionis: & hoc concedimus cum SS. PP. & omnibus Catholicis.

5 Ad Div. Damascenum, qui videtur insinuare solam distinctionem rationis; Respondeatur debere intelligi de natura divina comparative ad sua prædicta quidditativa; ista enim inter se, & à natura solum distinguuntur actu per cognitionem nostri intellectus, ut supra dimisimus; non vero, loquitur comparative ad attributa, & relationes Originis. Confirm. hoc ex alijs SS. PP. præcipue Augustino 6. de Trin. cap. 6. ubi appellat Deum *simplicem multiplicatatem, & multiplicem simplicitatem.* Et Epist. 102. ubi ait de Deo: *Multiplex est, quoniam*

niam multa sunt, quæ habet; simplex autem, quoniam non alia, quam quod habet, est. Deinde Richard. Vict. lib. 2. de Trin. cap. 21. *Quid mirum, si ibi concordet, & in unum concurrat identitas cum multiplicitatibus infinitis?* Ergo ex SS. PP. datur in Deo aparte rei multiplicitas cohærens cum summa, & infinita simplicitate, & unitate perfectionum, & non solum per rationem; sed hæc multiplicitas non potest esse realis absoluta, & simpliciter talis: g. formalis ex natura rei.

6 Respondet Gonet; multiplicatatem assignatam à PP. esse tantum virtualem. Sed contra; & interrogo: Unde infers non esse formalem ex natura rei, sed tantum virtualem? Dices, inferri ex eo, quod implicit multiplicitas formalis ex natura rei inter divinas perfectiones, ob rationes quibus eam improbare niteris. Benè quidem, si rationes essent efficaces: at idem dicent Scotisti, non posse intelligi de multiplicitate tantum virtuali, sed de formalis ex natura rei ob rationes adductas pro ipsis: g. in hac difficultate standum est rationibus omnimode, nam autoritates solum favent urgentiori rationi. Secundum se autem, & independenter ab argumentis à ratione formatis, negari non potest, magis favere

nobis, quam adversarijs; nam multiplicitas virtualis, magis propriæ loquendo, non est multiplicitas; immò potius est unitas: g. ne videatur SS. PP. aliquali nugacitatis nota loquutos fuisse, dicendum est, iuxta maiorem proprietatem verborum, dari in Deo ex natura rei multiplicatam formalitatum cum summa identitate, & simplicitate perfectionum.

7 Arg. 2. Ex D. Aug. 7. de Trinit. cap. 2. ubi dicit: *Non eo verbum, quo sapientia; eo vero sapientia, quo essentia.* Ex quo sic formatur argumentum: Augustinus, negat identitatem inter filiationem, & sapientiam, & illam concedit inter essentiam & sapientiam: sed identitas, quam negat non est realis, sed formalis: g. similiter identitas, quam concedit; & consequenter sapientia est idem formaliter cum essentia. Resp. ex Scoto; quod D. Aug. non negat distinctionem formalem inter sapientiam, & essentiam, quam concedit inter relationem, & sapientiam, sed solum intendit significare discrimen, inter filiationem, & sapientiam, scilicet, quod filatio cum sit relatio, & notionalis, soli filio conveniat; at vero sapientia cum sit quid absolutum, & essentiale convenit tribus personis; Unde sensus est, *non eo*

*verbum, quo sapientia;* idest, non eiusdem est rationis illud, quo filius est verbum cum illo, quo est sapiens; quia primum est *notionale*, & proprium vnius personæ; secundum autem est *essentialis*, & comune tribus: *eo tamen sapientia, quo essentia*, idest, illud, quo est Deus, est eiusdem rationis cum illo, quo est sapiens, nam utrumque est commune tribus, & *essentialis*. Videatur Subt. D. in r.d.8.q.4.s.contra istam solutionem vers. secundum dubium.

8 Arg. 3: *Essentia divina formaliter secundum se considerata, vel est sapiens, vel est non sapiens:* hoc secundum nequit dici: g. primum, scilicet, quod est sapiens formaliter: g. includit formaliter sapientiam; ac per consequens attributum hoc ab ipsa formaliter non distinguitur. Resp. quod essentia divina præcisè formaliter à sapientia, nec est sapiens, nec non sapiens; quia nullum istorum includit in sua ratione formaliter: sicut æquinitas tantum est quinitas secundum Avicenam. Neque obstat, quod sapiens, & non sapiens sint contradictoria; nam licet inter contradictoria complexa non sit absolute medium, benè tamen inter incomplexa, præcipue si sumantur termini cum aliqua reduplicatione, & fin-

cathegoreticè, ut inquit Scot. in r. d. 2. q. 7. sub litt. T. unde homo, in quantum homo nec est albus, nec non albus. Sic in proposito, essentia divina in suo esse quidditativo considerata formaliter, nec est sapiens, nec non sapiens. Si autem illa contradictionia incomplexa faciamus complexa hoc modo: *essentia per se primo modo est sapiens, essentia per se primo modo non est sapiens;* Prima est falsa, secunda vera; quia sapientia est prædicatum secundi modi, & non primi.

9 Replicabis: Sapientia divina est formaliter infinita: g. includitur in *essentia formaliter*. Prob. conseq. si sapientia non includeretur formaliter in essentia, limitaretur formaliter in sua perfectione; quia infinitum debet includere omnem perfectionem possibilem. Præterea, essentia divina non esset infinita in omni genere; quia non includeret formaliter sapientiam. Conf. Essentia divina non esset realiter infinita, nisi esset realiter idem cum attributis: g. neque erit formaliter infinita, nisi sit idem formaliter cum illis. Resp. neg. conseq. & sequellam prob. nam infinitum, & illimitatum non debet includere omnes perfectiones quomodolibet, sed eomo do, quo potest iuxta exiguum,

tiam , & capacitatem rerum , nempè , vel per inclusionem formalem , vel per identificationem realē , vel per continentiam eminentialem , aut virtualem ; ac proinde essentia continet sua prædicata essentia lia per inclusionem formalem ; attributalia vero , & relativa per identificationem realē ; perfectiones vero creatæ eminenter , vel virtualiter tantum continentur in divina essentia ; quia aliter non sunt compositiles in Deo : & in hoc consistit infinitas essentia in omni genere , & non in hoc , quod omnia includantur in ipsa formaliter . Ad confirm. respond. neg. consequiam ; quia bené stat , quod essentia non esset infinita realiter , nisi esset idem realiter cum attributis ; & quod de facto sit formaliter infinita , sicut non sit idem formaliter cum illis . Idem dicendum est de attributis inter se comparatis .

10 Ut autem hoc magis percipiatur advertend. est cum N. Subt. Doct. in 1. d. 33. §. ad aliquid vers. & si queras lit. M. & alibi sœpè , quod essentia divina secundum suam propriam , & essentialem rationem , ut distinguitur ab attributis , & relationibus , habet infinitatem formalem , & radicalem primariam ; formalem , inquam , in linea essentia , & radicalem

comparativè ad attributa , & relations ; quia est sœcundissima radix , à qua cetera omnia , quæ sunt in Deo emanant ; & ob hoc dicitur infinita in omni genere , & simpliciter ; cetera vero attributa habent quidem infinitatem formalem , sed non radicalem , & primariam ; quia licet in suo genere sint formaliter infinita ex se , sed non à se , sed emanativè ab essentia ; & ideo dicuntur habere infinitatem tantum in suo determinato genere . Essentia autem est in omni genere perfecta , & in omni genere infinita ; non quia formaliter includat omnia attributa ; sed quia fundamentaliter , seu radicaliter est Sapiens , Omnipotens , &c. id est , est talis entitas , ad quam perfectiones attributales necessariò sequi debent , non ex indigentia ipsius essentia , sed potius ex plenitudine suæ perfectionis infinitæ ; quia est pelagus , & origo omnium perfectionum , quod non habent attributa . Hoc bené notato , facile respondetur ad aliquas replicas .

11 Arg. 4. Quæ sunt dispersa in inferioribus , sunt unita in superiori , ut patet in ductione ; nam vis calefactiva , & exicativa in elementis dispersa , in Sole coincidunt in eandem rationem formalem ; virtus perceptiva coloris , odoris &c. in sensibus externis realiter multipli-

plicata , in sensu communi , & in intellectu addunantur in unam eandemque formalitatem ; & denique vegetativum , & sensitivum realiter distincta in brutis , & plantis , in homine sunt unum ; cuius ratio à priori est , quia quo magis aliqua elevantur ad naturam superiorem , eo magis evadunt perfectiora , & illimitatoria : g. quæ elebantur ad naturam iuinite perfectam , manent unum , non solum realiter , sed formaliter . Prob. conseq. quia unitas est perfectio : g. quo res est perfectior , eo est magis una . Hoc arg. fuit Aquiles Cayetani . de Ente & essentia contra distinctionem formalem attributorum . Resp. distinguendo antec. quæ sunt dispersa in inferioribus , in superiori sunt unita , iuxta exigentiam rerum , conc. contra exigentiam , neg . Etenim , iuxta exigentiam prædicatorum essentialium Dei est , quod unum includatur formaliter in alio , & omnia sint idem formaliter , tam inter se , quam cum divina essentia : quia se habent subordinate tanquam superius , & inferius , ut supra diximus ; at vero hæc inclusio formalis , seu formalis coadunatio non est juxta , sed contra exigentiam prædicatorum attributum , & relationum ; quia omnia ista sunt prædicata dis-

parata , tam inter se , quam cum essentia ; & cum dicit unitatem importare perfectionem , hoc est verum quando est juxta exigentiam ; non vero quando est contra , quia tunc potius dicit imperfectionem . Hoc patet in Trinitate personarum ; nam si poneretur unitas , & multiplicabilitas personalis , esset imperfectio , quia contra exigentiam divinæ facunditatis ; unde ex eadem perfectione à qua habet Deus esse unum in essentia , habet esse trinum in personis . Sic similiter de distinctione formalis , & formalis non unitate attributorum est discurrendum .

12 Hæc responsio confirmatur ex Subt. nost. Doct. in 2. dist. 39. q. 9. num. 7. vers. secunda declaratio , ubi limitat illud axioma philosophicum , dicens : *Quæ sunt dispersa in inferioribus , quandoque sunt unita in superioribus :* erg. non semper , neque eodem modo , quæ sunt in inferioribus dispersa , debent esse unita in superioribus . Deinde retorqueo argumentum : erg. omnes personæ , quæ sunt dispersæ in creaturis , in Deo reducentur ad unicam personam ; & omnes productiones , quæ sunt in creaturis , reducentur etiam ad unicam productionem in divinis ; quia quæ sunt dispersa in inferioribus

rioribus, sunt unita insuperioribus, & multo magis in Deo. Eodem modo possunt retorqueri alia argumenta, quæ nobis obijcent contra simplicitatem, & unissimam unitatem Dei, ut possunt videri in nostr. Philosophic. Curs. tom. 1. d. 2. de Univers. quæst. 3. num. 45. & sequentibus, ubi optimè sunt soluta. Retorquantur, inquam, sic: erg. neque distinctionem virtualem possumus admittere in Deo, cum absque tali distinctione excogitaretur Deus simplior? Ulterius: Deus magis unus esset, si, nec distinctionem virtualem, nec per rationem admitteret inter sua prædicta. Immò, ex prædicto argumendo posset hæreticus asseverare, Deum non esse trinum, quia hoc opponitur illius summae simplicitati, & unitati, quæ juxta argum. debet esse, ita summa, ut major excogitari non possit.

13 Si dicas, trinitatem non derogare simplicitati, & unitati Dei, quia personæ non ordinantur ad constituendum unum, sicut attributa inter se, & cum essentia. Bené; sed infaret hæreticus: omnis distinctio opponitur simplicitati, & unitati: erg. magis unus, & simplex esset Deus, si non esset trinus. Deinde si non ordinantur ad constituendum unum per

se, ordinarentur ad constituendum unum per accidens, seu per aggregationem; sed hoc etiam derogaret summa simplicitati, & unitati Dei: erg. vel non debet ponи distinctione personarum in Deo ad intra, quòd esset execrabilis hæresis, vel contra distinctionem nostram non urget ratio deducta ex summa simplicitate, sive unitate divina. Quapropter Deo non est attribuenda alia excogitabilis simplicitas, aut unitas, quam illa, quæ infertur à recta ratione, ut excludatur omnimoda imperfectio, & compositio & componatur contradic̄tio, quam absque ulla repugnantia componit recta ratio cum pluralitate formalitatum.

## QUÆST. V.

*QUI MODI INTRINSECI,  
& quæ attributa distinguan-  
tur int. r. se?*

1 PRO quæstionis intel-  
ligentia notandum  
est, quòd in divinis datur in-  
dividuum Deitatis. Ita Subtil.  
Doct. in 1. dist. 4. quæst. 1. &  
2. quem omnes Scotistæ sequun-  
tur, & est communior inter  
Thomistas; quia de fide est in  
divinis esse unam essentiam in  
tribus personis: sed hac unitas  
essentia non est universalis: erg.  
fin-

singularis , ac per consequens essentia divina prout est prior, & præscindit formaliter ex natura rei à personis , habet unitatem singularem , & est singularis , & individua : alias esset multiplicabilis , & indifferens ad plura individua , sicut quælibet natura creata , quia ex se non est hæc , & singularis. Hoc ipsum probat Subt. Doct. quia unicuique *quòd* , id est , cuilibet rationi formali , & cuilibet abstracto correspondet suum *quòd* , suum materiale , suum concretum , sicut animalitati animal: sed Deitas est unum *quòd* singulare : erg. debet ei correspondere unum *quòd* singulare. Atqui hoc non est persona , sed Deus; nam persona non correspondet huic abstracto *Deitati* , sed huic *personalitati* : ergo præscindendo à personis , datur unum individuum , & concretum *Deitatis*.

2 Notand. est 2. *Quòd* unitas singularis , non est idem formaliter cum ipsa singularitate , sed potius distinguitur formaliter ex natura rei ab illa. Hoc etiam est certum apud omnes Scotistas ; quia sicut unitas , ut sic , est passio entis ut sic , unitas singularis est passio entis singularis : Atqui secundum Scot. in 1. d. 3. q. 3. §. *Quantum ad primum.* vers. Secundum ; scilicet : Unitas , ut sic distinguitur

ex natura rei ab ente ut sic: erg. pariformiter unitas singularis debet ex natura rei distingui ab ente singulari. Et sicut unitas generica supponit naturam genericam , & specifica unitas supponit specificam naturam , sic similiter unitas numerica , seu singularis debet supponere tanquam principium à quo emanat , ipsam naturam singularem , seu individuam , & hæc natura divina essentialiter hæc , & singularis , ut supra diximus , est hæc *Deus* , & individuum Deitatis , & est prius omnibus attributis , & perfectionibus secundarijs ; quia fons , & origo omnium.

3 Notand. est 3. quod in tali individuo Deitatis datur subsistens absoluta , communis etiam , & communicabilis tribus personis , sicut ipsum Deitatis individuum est. Ita Subt. Doct. in 3. d. 1. q. 2. §. Si vero intelligatur ; & cum eo omnes Scotistæ , & ferè omnes Thomistæ. Hos patet ex ipso Subt. Doct. dicente loco cit. Est enim natura divina de se hæc , & per se subsistens , & non incommunicabiliter. Patet etiam ex D. Thoma , in 1. d. 2. q. 1. ubi dicit : Natura divina est in se habens esse subsistens nulla intellectu personarum distinctione. Et 4. contr. Gent. cap. 14. in Deo sunt plures res subsistentes , si

relationes consideremus, & una res subsistens, si consideretur essentia. Et in 3. d. 6. q. 2. art. 1. ad 2. in Deo ipsa essentia subsistens est, unde si secundum se dicitur, esse, immò ipsa est suum esse subsistens. Eadem claritate loquitur Aug. 2. de Trinit. c. 4. dicens: Omnis substantia ad se ipsam subsistit, quanto magis Deus? Erg. juxta mentem SS. PP. natura divina, seu individuum Deitatis habet subsistentiam absolutam.

4. Præterea Subt. Doct. loco cit. ex instituto probat quod natura divina vi absolutæ substantiæ potest terminare natu ram creatam, & ait, quod ipsa natura divina per se existens posset esse terminus proximus illius unionis; quia ipsa nullum esse habet à persona, sed prius est naturaliter, quād quod sit in persona; est enim natura de se hæc, & per se subsistens, licet non incommunicabiliter. Ratio est, quia subsistentia absoluta nil aliud est, quād existentia per se completere ultimata, & omnino independens ab alio posteriori, quod sit terminus substantans eam: atqui ita existit divina essentia pro priori à personis, & attributis, seu ut est individuum Deitatis: erg. &c. Prob. min. Essentia, ut est individuum Deitatis est simpliciter infinita in omni genere perfectionis: sed si, ut est individuum

Deitatis non existeret existentia completa, & ultimata, aliquid perfectionis ei deficeret, scilicet, persitas existendi: g. ut est individuum Deitatis existit ultimè, & completere; ac per consequens subsistit. Ulterius licet essentia divina, seu individuum Deitatis ultimo terminetur per relationes, non tamen dependet ab illis tanquam à substantiis, sicut natura humana Christi dependet à Verbo: sed propter hanc dependentiam natura humana Christi caret propria subsistentia: erg. propter independentiam illa gaudet individuum Deitatis. Denique, licet essentia, & relationes constituant personas, neutra tamen habet rationem actus, & potentia respectu alterius; relationes enim non sunt actus essentiæ, licet sint actus personarum, quia illas constituunt, ut afferit Damasc. inquiens: Relationes non sunt actus naturæ, sed hypostasis: erg. natura divina existit per se, prout existere excludit esse in alio, tanquam in sustentante, & tanquam pars, potentia, & forma: ac per consequens, quomodo cumque subsistentia accipiantur, convenient individuo Deitatis. Nunc est difficultas inter Scotistas; an, prædicta subsistentia sit realitas, perfecta ex natura, rei formaliter distincta ab individuo Deitatis? Pro quo, & pro nostra quæstionis resolutione sit

5 Conclusio 1. Subsistentia absoluta, aeternitas, immensitas, simplicitas, & immutabilitas non sunt realitates ex natura rei distinctae ab individuo Deitatis, sed solum sunt modi intrinseci ab illo ex natura rei modaliter distincti. Sic communiter Scotistæ, & quidem quod subsistentia sit modus intrinsecus transcendens omnia prædicata absolute Dei. Probatur ex descriptionibus modi intrinseci, qua supra de mente Scotti dedimus. Natura enim divina, ut distincta ex natura rei ab attributis, est in suo esse metaphysico completa, & quodlibet attributum similiter in sua linea; atqui per hanc completionem intelligitur subsistentia absoluta, nisi fiat contentio de nomine: erg. &c. Deinde, neque essentia, nec aliquod ex attributis sunt perfectæ, & adæquate conceptibilia absque ultimo complemento suæ linea formalis: erg. hoc complementum, quod est subsistentia absoluta, est modus intrinsecus individui Deitatis, & cuiuscumque attributi. Præterea, ista subsistentia non variat essentiam, neque attributa: erg. haec subsistentia absoluta est modus intrinsecus divinæ essentiae, & cuiuscumque attributi. Ex quo sequitur, quod tot sunt subsistentiae absolutæ, quot sunt realitates absolutæ in Deo.

6 Quoad aeternitatem cer-

tum est explicare triplicem negationem, scilicet, inceptionis, successionis, & desitionis, ultiusque addere respectum aptitudinem coexistendi cum omnibus temporum differentijs, qui respectus absque dubio est rationis, quia implicat in Deo relatio realis ad creaturam. Hoc certum est apud omnes, docet que Subt. Doct. quodl. 6. §. restat nunc videre. Etiam est certum apud Scot. & Scotistas, talem triplicem negationem supponere aliquid positivum; quia aeternitas est modus intrinsecus, & perfectio simpliciter: g. est positiva. Deinde, aeternitas est duratio divini esse; duratio vero est permanentia existentia, & permanentia existentia tum in Deo, tum in creaturis est quid positivum. Sed est dubium, an hoc positivum sit distinctum à modo intrinseco, seu positivo, quod dicit immutabilitas? Subt. Doct. loco præcit. problematicus videtur; attenuat magis se inclinat ad hoc, quod aeternitas pro formali, & positivo non sit modus distinctus à formali, & positivo immutabilitatis; ideoque cum illo idem sentimus, & sentiunt ferè omnes RR. Scotistæ.

7 Prob. hoc ex Tert. qui cap. 37. adversus Hermog. dicit: *Leges aeternitatis sunt, ut mutationem pati nequeat.* D. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 18. inquit: *Vera immortalitas, ve-*

*ra incorruptibilitas, vera in-commutabilitas ipsa est æternitas.* Richard. Vict. lib. 2. de Trin. cap. 4. sic loquitur: *Quid aliud est æternitas, quam diu-turitas, sine initio, & fine, omni immutabilitate carens?* Idem habet cap. 23. *Sicut per loca non extenditur, qui summè simplex est, & incompositus; sic nec per tempora variatur, qui æternus, & incommutabilis est.* Prob. etiam ratione, cum N. Smising, disp. 4. q. 1. n. 14. *Æternum est illud ens, cuius vi-ta, seu potius existentia intermi-nabilis, tota simul, & perfecta habetur; immutabile vero in-telligitur illud ens, quod ex se negat omnem potentiam ad esse & non esse, quod simplissi-mum, & actualissimum ad esse necessariò determinatum: atqui quod dicit ens perfectissimum, summè necessarium, & actualissimum, dicit ens quod caret terminabilitate, successione, & inceptione: erg. æternum idem est, ac immutabile, & æterni-tas idem importat, ac immuta-bilitas.* Minor cum conseq. te-net; & mai. est definitio æternitatis, quæ est talis: *æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.*

8 Arg. Ex Subt. Doct. di-cente, æternitatem nihil addere positivum existentiæ Dei: at-qui existentia Dei non est modus

eius intrinsecus, sed prædicatum quidditativum, & quidem ultimo constitutivum, ut supra diximus: g. neque æternitas. Respond. dist. & explicando Doct. æternitas nihil positivum addit existentiæ duranti, conc. Nihil positivum addit existen-tiæ simpliciter, neg. Etenim, æternitas addit aliquid positi-vum existentiæ Dei, nempe, per-manentiam; & aliquid negati-vum, nempe, interminabilita-tem, seu durationem intermi-nabilem. Dices: Duratio nihil est, quam existentia Dei: g. si æternitas nihil addit existentiæ duranti, nihil addit existentiæ ut sic. Resp. neg. antec. quia duratio, non est ipsa existentia rei, sed est mora, & continua-tio existentiæ.

9 Arg. 2. Omnes Theolo-gi probant æternitatem Dei per eius immutabilitatem: erg. dis-tinguuntur; alias nugatariè pro-barent idem per idem. Resp. quod talis probatio est tantummodo expositoria, in quantum fit per maiorem expli cationem, per cognitionem scilicet nega-tionum, quas importat æterni-tas, & quas immutabilitas non involvit. Ut alia præcludantur: præoculis habendum est, quod existentia Dei dupliciter potest considerari, 1. simpliciter, ut est prædicatum quidditativum ejus, & ultimo constitutivum, &

in hoc sensu, sicut infinitas est modus intrinsecus additus essentiae Dei, sic aeternitas est modus intrinsecus additus existentiae Dei. 2. potest considerari, ut est existentia durans; seu immutabilis; & tunc aeternitas non est modus superadditus existentiae duranti, seu immutabili; quia ipsa pro formaliter sumpta non distinguitur ab immutabilitate, & modus intrinsecus distinguitur a re, cuius est modus.

10 Ex hoc infertur, cum nostro Sendin, quod sicut aeternitas pro positivo, seu ut est modulus, non distinguitur ab immutabilitate; etiam immutabilitas non distinguitur a simplicitate; nam sicut ex eo, quod Deus sit immutabilis, sequitur, seu explicatur, negatio inceptionis, successionis, & desitionis; similiter ex eo, quod sit simplex sequitur, & explicatur, quod sit negatus omnimoda mutatione; quia si est simplex non est mutabilis de potentia objectiva ad actum subjectivum, nec est mutabilis de potentia formalis ad actum formalem; nam istae mutationes dicunt compositionem; & compositioni opponitur simplicitas: g. si ad negationes aeternitatis non addunt Scotista aliquid positum distinctum ab immutabilitate, neque ad negationes mu-

tabilitatis, seu ad immutabilitatem debent addere quid positum distinctum a simplicitate. Immò idem debemus dicere de simplicitate comparata ad infinitatem; nam, ut inquit Subr. Doct. in 1. d. 3. q. 3. vers. quilibet: quidquid est componibile alteri, caret ejus perfectione, & perfectione totius, quod ex utroque conflatur: g. negatio compositionis non minus sequitur ad infinitatem, nec minus per infinitatem explicatur, quam negatio inceptionis, successionis, & desitionis ad immutabilitatem, & per immutabilitatem. In super. Ex necessitate essendi componit Scot. negationem compositionis; quia si ens necessé esse, esset componibile alteri, non esset in ultima actualitate, quod est contra rationem entis necesse esse: g. ex necessitate essendi, & ex infinite sequitur negatio cuiuslibet compositionis, quin opus sit ad hoc multiplicare entitates positivas modales absque necessitate.

11 Quantum attinet ad imminutatem, quæ est quædam perfectio, qua Deus est aptus in omni loco ad esse præsens; & ex qua sequitur ubiquitas, tanquam actus secundus ex actu primo; ita ut, ubiquitas sit præsentia actualis, qua Deus dicitur esse in rebus actualiter; quo alio

alio nomine vocatur inexistentia: immensitas, inquam, est perfectio Dei, qua natus est inexistere in rebus, quando existunt ipsæ res; unde immensitas est quid absolutum convenientis Deo ab æterno; ubiquitas vero est quid relativum adveniens Deo in tempore: Deus enim per ubiquitatem habet respectum rationis ad loca, in quibus est præfens. De immensitate igitur dicunt aliqui, quod est speciale quoddam attributum explicans præsentiam aptitudinalem cum omni re, & cui sequitur negatio indistinctæ, seu negatio limitationis in præsentia. Nost. verò Smising tract. 2. disp. 5. q. 1. n. 4. asserit immensitatem pro positivo esse indistinctam ab immutabilitate, & infinite. Utrumque est probabile. Pro primo stat etiam N. Frasen; sed ejus probatio non videtur mihi tam necessaria, ac convincens, ut compellat ad multiplicandas entitates positivas; nam certum est apud omnes Scotistas, quod ab eadem formalitate possunt provenire plures, & diversi effectus, & ab unico, & eodem modo plures, & diversæ denominations.

12 Conclusio 2. Unitas, veritas, bonitas, intellectus, voluntas, intellectio, & volitio sunt attributa divina, quæ inter se, & à divina essentia dif-

tinguuntur formaliter ex natura rei adæquate; Cætera verè attributa, quæ pertinent ad intellectiōnem non distinguuntur ab illa, & similiter, quæ pertinent ad volitionem, à volitione non distinguuntur. Hæc conclusio est quam plurimum Scotistarum, & quidem quoad primam partem prob. facile ex dictis quæst. antec. Nam illæ probationes pro enumeratis attributis convincunt, ut intuenti patet; nam de omnibus illis verè à parte rei, & apud intellectum perfectè concipientem verificantur prædicata contradictionia quæ inferunt distinctionem formalem ex natura rei adæquaram.

13 Quoad 2. vero partem inquit eruditissim. Sendin tract. 2. de Prædicat. quidditativ. Dei, disp. 6. seet. 4. Quod plures intromittere volunt ubicumque distinctionem formalem, & suum imperfectum modum cognoscendi in objecto refundere, multiplicando formalitates, sicut augent conceptus inadæquatos, quod omnino dissonat Scoto; & quod pejas est, se solos conclamat Scotistas. Ante probationem hujus partis, notandum est cum ipso, quod nost. intellectus cognoscit Deum manu ductus à cognitione creaturarum: *Quæ cognoscuntur de Deo* (inquit Subt. Doct. in 1. d. 3. q. 2. §. quinto dico) *cognoscit*

*noscuntur per species creatura-  
rum . . . intellectus noster pro-  
pria virtute potest uti . . . specie  
boni , specie summi , specie ac-  
tus , ad coniipiendum summum  
bonum , & actualissimum . Ex  
quo sit , quod illas perfectiones  
Deo tribuit , quas reperit in  
creatura , dummodo ex suo con-  
ceptu non involvat imperfectio-  
nem ; propter hoc relegat à  
Deo virtutem religionis , & vir-  
tutem obedientiae , nam hæ vir-  
tutes , licet sint perfectiones in  
creatura , tamen ex suo concep-  
tu dicunt imperfectionem , quia  
ordinantur ad aliquam , tan-  
quam de superiore , & Deo repug-  
nat habere superiorem . Sic si-  
militer discurrendum est de alijs  
virtutibus moralibus , quæ non  
possunt denudari ab imperfec-  
tionibus , & sunt perfectiones  
tantum secundum quid , & non  
simpliciter simplices .*

14 Notandum est 2. quod ex  
his perfectionibus , quædam  
pertinent ad intellectum , &  
quædam ad voluntatem v. g. ad  
intellectum pertinent Prudentia ,  
Sapientia , seu Scientia , &c. ad  
voluntatem autem pertinet  
sanctitas , Misericordia , Jus-  
titia , Liberalitas , Fidelitas , &  
magnificentia . His suppositis ,  
dicimus , quod omnes perfec-  
tiones , quas tribuimus Deo  
pertinentes ad intellectum , non  
distinguntur formaliter inter se ,

nec ab ipsa divina intellecione ,  
& similiter , quas tribuimus  
pertinentes ad voluntatem , non  
distinguuntur inter se , nec ab  
ipsa volitione divina ; sed solum  
distinguntur , penes conceptus  
inadæquatos , iuxta nostrum  
imperfectum modum concipiendi .  
Prob. iam hæc conclusionis  
pars , ex subt. Doct. in 1. d.  
39. q. unic. §. juxta predicta ,  
ubi inquit ; quod volitio , &  
nolitio non distinguuntur for-  
maliter in Deo , sed tantum sunt  
unica , & simplicissima forma-  
litas , g. nec distinguntur for-  
maliter ex natura rei Justitia ,  
& misericordia , v. g. et sic de  
alijs . Prob. conseq. non ma-  
gis opponuntur Justitia , & mi-  
sericordia , quam volitio , & noli-  
tio , ut patet in creatis : sed in Deo ,  
iuxta Scotum , eadem formalita-  
tes , est volitio , & nolitio , &  
solum distinguntur per diver-  
sas connotationes : g. similiter  
Justicia , & Misericordia non  
sunt diversæ formalitates , sed  
eadem simplicissima formalitas ,  
quæ in quantum respicit sub-  
leveationem miseriae vocatur  
misericordia ; & in quantum  
respicit collationem penæ iuxta  
proportionem demeritorum vo-  
catur Justitia .

15 Hoc potest etiam con-  
firm. plurimis alijs exemplis ;  
nam actus liber , & actus ne-  
cessarius in Deo non sunt di-

versæ formalitates , sed unica , & eadem simplicissima formalitas : similiter decretum efficax , & inefficax non sunt distincte formalitates , sed unica , quæ iuxta diversas connotationes , & tendentias circa objecta , diversas accipit denominationes : Si ergo eadem simplicissima volitio , in quantum tendit circa Deum , est actus necessarius , & in quantum tendit circa creaturas est actus liber : Cur similiter eadem formalitas , in quantum tendit circa sublevationem miseriae , non erit misericordia , & in quantum decernit penam , non erit Justitia ? Ad quid ergo hæc innanis formalitatum multiplicatio ? Si ergo in volitione , & nolitione , in consensu , & dissensu , in actu libero , & necessario hanc multiplicitatem negant Scotistæ ; & negare debent consequenter inter misericordiam , & justitiam , inter fidelitatem , & liberalitatem , &c. Confirm. misericordia est volitio Dei , justitia , est volitio Dei , & similiter aliae perfectiones ad voluntatem pertinentes : sed in Deo unica est tantum volitio simplicissima iuxta omnes : g. prædictæ perfectiones sunt tantum unica formalitas ; ac per consequens non distinguuntur inter se ; nec à volitione divina .

16 Ratio à priori est ; quia

licet justitiæ , & misericordiæ competant diversa prædicata contradictione opposita , possint que definiri diversis definitionibus ; tamen hæc diversa prædicata , & diversæ definitiones dantur tantum penes diversos conceptus inadæquatos , quia dantur per deversa connotata omnino extrinseca , sicut volitio , & nolitio : & cum per diversos conceptus inadæquatos , & per diversa connotata non debeant multiplicari formalitates , hinc est , quod justitia , & misericordia , ceteræque perfectiones ad voluntatem pertinentes non debent distinguiri inter se , nec ab ipsa volitione . Similiter est discendum de perfectionibus ad intellectum pertinentibus .

17 Dubitabis , an prædictæ perfectiones dentur in Deo per modum habitus ? Resp. negative ; quia ratio habitus imperfectionem includit : ergo repugnat Deo , sicut & illæ virtutes , quæ in suo conceptu includunt imperfectionem . Prob. antec. nam habitus , vel ponitur ad facilitandam potentiam in efficientia actus , vel ad substantiam ipsius actus , qui ratione sui objecti formalis est altioris naturæ , quam ipsa potentia : g. habitus secundum rationem habitus imperfectionem supponit in potentia , nempe , vel ad

ad vincendam difficultatem actus, vel improportionem cum objecto: g. ratio habitus imperfectionem supponit Deo repugnantem; ac per consequens à Deo releganda. Hęc ratio desumitur ex Subt. Doct. in 4. d. 46. q. 4. §. ad istam quast. ubi ait: *non est certum, quod in voluntate divina possit esse ratio alicujus virtutis, non tantum non distincta re, sed nee formaliter distincta; quia voluntas ex hoc, quod infinita, magis sufficit ad omnem rectitudinem actus, quam aliqua virtus qualitercumque, re vel ratione distincta superad-dita.* Verum tamen est, quod Subt. D. est problematicus in hoc, an ratio habitus involvat imperfectionem, vel non; unde quilibet eligat, quod voluerit.

18 Dubitabis 2. an ratio speciei sit ponenda in Deo? Respond. negative; quia species non tantum dicit mouere intentionaliter intellectum, sed etiam uniri illi objectum; unde quando objectum est unitum intentionaliter potentiae neutiquam est ponenda species. Ob hec Subtilis Doct. in 2. d. 8. quast. 3. per totam; excludit ab intellectu Angeli speciem, qua suam substantiam cognoscat: atqui non minus unita est divina essentia intellectui divino; quam substantia Angeli-

ca intellectui Angelico: g. si propter unionem inter essentiam Angeli, & ejus intellectum reper tam, non ponitur in illo species, nec poni debet in intellectu divino, qui solum movetur à divina essentia. Confir. ex illo communī axiomate; Quando objectum est præsens, ad quid est species? Deinde ad cognitionem facialem, & intuitivam ex communiori plausu non admittitur species: atqui cognitio Dei est intuitiva, & essentia divina, quæ est objectum divini intellectus, est illi intime præsens: g. ad quid est species?

19 Dubitabis ultimo: quid sit dicendum de Sanctitate divina? Respond. quod sanctitas divina in actu 1. considerata est formaliter indistincta à voluntate divina; & sanctitas divina in actu 2. considerata, est formaliter indistincta à volitione divina. Hoc patet, nam ex D. Dionysio. cap. 12. de divinis nominibus: Sanctitas est conjunctio, & adhæsio cum ultimo fine per rectitudinem affectus: erg. volitio divina, in quantum tendit circad iuinam essentiam, ipsam amando, ipsique adhærendo, est sanctitas Dei in actu secundo; & voluntas divina in quantum est principium volitionis unientis potentiam, cum essentia est sanc-

sitas Dei in actu primo. Ex quibus constat, quod Deitas, seu divina essentia non est sanctitas formaliter, sed objectivæ, in quantum scilicet est objectum circa quod tendens voluntas, tanquam circa ultimum finem, in esse sanctæ constituitur. Etiam potest dici sanctitas radicaliter; quia essentia divina est radix sanctitatis, sicut, & aliorum attributorum. Denique dici potest sanctitas eminentialis; quia est principium omnis sanctitatis, & bonitatis creatæ. Et hæc de quæstione, & disputatione.

## DISPUTAT. III.

DE INTELLECTU, ET  
Scientia Dei.

**D**iscussis jam circa prædicta quidditativa, modos intrinsecos, & attributa Dei, præcipuis difficultatibus in communi; nunc per specialem disputationem ad divinum intellectum, ejusque scientiam aggredimur. Circa quam horrore quodam percussus D. Paul. exclamare cœpit Rom. 11. O altitudo divitiarum sapientæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus. Et Reginus Psaltæ Ps. 138. dixit: Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam. Et sanè

Tom.I.

quisquis ejus divitias perpetrat, caput suum humiliiter inclinabit sub potenti manu Dei, qui justus est, & cuius judicium rectum. Pro imbecillitate tamen nostra sit.

## QUÆST. I.

Vtr. *IN DEO DETUR potentia intellectiva, & an distinguatur ab intellectione actuali, & à divina essentia?*

**C**ertum est apud omnes, quod in Deo datur potentia intellectiva, sumpta potentia intellectiva logice, seu prout non repugnativa ad intelligendum; quia de actu, ad potentiam tenet conseq. Unde cum Deus actu intelligat bené infertur, quod possit intelligere, seu quod idem est, quod habeat potentiam intelligendi. Difficultas ergo est, an in Deo detur potentia intellectiva, quæ sit actus primus respectu intellectus, & potentia vitalis a qua emanet intellectus, & ipsa intellectio sit actus secundus illius pro qua controversia sit.

**2 Conclusio:** Datur in Deo potentia intellectiva, quæ est actus primus respectu intellectus, distincta formaliter ex natura rei ab ipsa intellectione,

T

&amp;

& utraque à divina essentia. Hæc conclusio est omnium Scotiflorum, & aliorum cum Subt. Magist. in 1. d. 2. q. 7. & alibi sæpè; & potest probari eidem rationibus quibus supra probabimus distinctionem formalem inter attributa, & divinam essentiam. Et rursus sic, quod de suo conceptu formalis includit esse ab alio, necessariò supponit illud, à quo est, aliqua prioritate; sed intellectio in se formaliter dicit habitudinem ad intellectum, ut ad principium à quo est; alioquin non implicaret esse intellectionem sine intellectu: erg. veré, reperitur in Deo potentia intellectiva, quæ sit actus primus respectu intellectionis. Ex hoc etiam probatur distinctio; quia, quod ex se petit esse ab intellectu, distinguitur ab illo, quod ex se non petit esse ab intellectu: sed intellectio petit esse ab intellectu, & intellectus non petit esse à se ipso: erg. distinguuntur ex natura rei, quia ex natura rei est contradic̄tio.

3 Præterea: sicut se habet in Deo actus productivus ad suum principium productivum; sic se habet actus operativus, ad suum principium operativum: sed actus productivus comparatur ad suum principium, sicut actus secundus ad actum primum; erg. similiter actus ope-

ratus ad suum principivm operativum. Ulterius, in creatis potentia intelligendi, & actus intelligendi realiter distinguuntur: at in Deo ex formalis infinitate utriusque realiter dumtaxat possunt identificari: erg. saltim formaliter distinguuntur; ita ut formalitas actus intelligendi non sit formalitas intellectus, sicut nec formalitas operationis est formalitas potentiarum, seu principij. Deinde, formalitas intellectionis Deum denominat intelligentem; formalitas vero intellectus non denominat nisi intellectivum: erg. non sunt idem; infinitas enim non destruit formalitates rerum, sed potius perficit: Unde si una perfectio non includit aliam formaliter ex se, nec prout est infinita illam includet: erg. cum intellectus, & intellectio ex se formaliter non se includant, alias in creatis se includerent, etiam prout infinita sunt in Deo non se includunt; ac per se consequens distinguuntur ex natura rei, & ex natura rei suum ordinem actus primi, & secundi observant.

4 Confirm. nam prius est esse, quam operari, seu operari sequitur esse: erg. prius est Deum esse intellectivum, & habere intellectum, quam intelligere. Dico tamen prioritate rationis, & ordinis; unde in Deo concipi-  
mus

mus 1. essentiam , ut substantiam intellectivam, tanquam radicem intelligendi , & est actus 1. remotus , seu radicalis. Secundo concipi mus potentiam intellectivam , quæ est actus primus proximus : & 3. concipi mus actualē intellectiōnem , quæ est actus 2. semper , & necessariō conjunctus , & identificatus cum primō. Hoc ipsum explicat optime Subtil. Doct. loco cit. dicens: Quod intellectus habens objectum actu intelligibile sibi præsens, habet rationem memorię perfectę in actu 1. quæ est immediatum principium actus secundi , & notitiae genitæ. In hoc autem principio , quòd est memoria , concurrunt duo , quæ constituunt unum principiū totale , videlicet essentia in ratione objecti , & intellectus , ut potentia ; quarum utrumque est partiale respectu productionis æquatæ huic totali principio: erg. ex Scoto est in Deo intellectus , qui se habet ut potentia , & actus primus , & distinguitur ab essentia , quæ se habet ut objectum ejus , & principium intellectiōnis ; ac per consequens distinguitur ab ipsa intellectione , quæ ab ipso manat , non ut notitia genita , ut est Verbum Divinum , sed , ut ingenita , & ut actus

secundus à primo. Et in primo dist. 8. quæst. 4. inquit : Distinctio attributorum fundamentum est respectu distinctionis emanationum personalium ; quia Filius procedit naturaliter nascendo tanquam Verbum conceptum in intellectu. Spiritus procedit libere spirando tanquam amor conceptus in voluntate , & non ut Verbum ; quod esse non potest , nisi esset aliqua distinctio intellectus , & voluntatis ad intra.

5 Quod autem tām intellectus , quām intellectio Dei distinguuntur formaliter à divina essentia: probatur etiam ex Subt. Doct. Nam prædictis verbis asserit , quòd intellectus concurrit cum divina essentia ad productionem Verbi ; & propter hoc productio Verbi est generatio , & non productio Spiritus Sancti: Si ergo intellectus est idem formalissimè cum divina essentia , non esset talis diversificatio productionum. Prob. insuper sic: Quotiescumque aliqua sic se habent , quod si essent in genere , ad diversa genera , seu prædicamenta spectarent , unum nequit esse de conceptu formaliter alterius; cum prædicamenta sint omnino impermixta ; sed si Deus esset in prædicamento , Deitas verè spectaret ad prædicamentum substantiæ , intellectio verò ad præ-

Dicamentum qualitatis : ergo nunc de facto intellectio nequit esse de conceptu formalis Deitatis. Confirm. ex D. Aug. 15. de Trinit. c. 5. Si dicam aeternus, immortalis, incorruptibilis, sapiens, bonus, potens, beatus; spiritus; horum omnium, quæ posui novissimum tantum quasi videtur significare substantiam (nempè spiritus) cætera vero hujus substantiæ qualitates: erg. sapientia seu quod idem est intellectio divina censetur ab Aug. inter qualitates, & attributa. Idem docet Damasc. lib. 1. c. 4. Si iustum, si bonum, si sapientem, si quid tale dixeris, non naturam Dei dices, sed quæ circumstant ipsam Dei naturam: erg. Sapientia Dei, seu divina intellectio non est de essentia Dei formaliter.

6 Arg. 1. Actus primus, seu potentia dicit imperfectiōnem: erg. in Deo non datur potentia intellectiva, ut actus primus. Resp. Non omnem potentiam dicere imperfectionem; aliás, non esset potentia generandi in Deo: sed tantum illa est imperfecta, quæ est defitita suo actu. Unde cum potentia intelligendi in Deo sit semper coniuncta cum intellectione, & numquam careat intellectione actuali, ideo non est imperfecta. Replicab. Actus primus habet rationem causæ, & actus

secundus rationem effectus: sed nec causa, neque effectus in Deo suat: erg. nec intellectus, ut actus primus; nec intellectio, ut actus secundus. Resp. intellectum in Deo non habere rationem veræ causæ, sicut habet intellectus in creaturis, qui producit intellectiōnem, quæ est accidens à se realiter distinctum, & in se physice receptum; non sic autem in divinis, ubi potentia intellectiva est infinita, & habet intellectiōnem sibi consonantiam, & identificatam, ex illius fecunditate pullulante per simplicem emanationem, sicut cætera attributa fluunt, & diminant ab essentia divina; non vero productur, ut in nobis, & ob hoc dicunt Theologi, quod divina intellectio essentialis est ingenita, & improducta.

7 Arg. 2. Intellectus divinus non est attributum Dei: erg. est prædicatum quidditativum: ac per consequens est de ejus essentia, & non distinguitur ab illa. Prob. antec. ex Subt. Doct. qui in 1. d. 26. & alibi inquit: Concedo, quod propriè vocando attributa, illa sola sunt, quæ quasi qualitates perficiunt in esse secundo rem præsupositam in perfecto. *esse primo: hoc modo intellectus, voluntas non sunt attributa, in modo sunt perfections quadam intrinsecæ in essentia:* erg. cum intellectus

tus sit quædam vita, & voluntas quædam vita: non erunt propriè attributa; & sicut rationalitas non est attributum homini, sic nec intellectualitas huic essentia. Et quodl. 1. dicit: quod intellectualitas est idem essentia liter essentiæ divinæ: & quod si essentia divina definiretur, vita intellectualis, seu ipsa intellectualitas non esset extra ejus definitionem. Idem docet in Report. in 1. d. 35. q. 1. n. 29. erg. ex Scot. intellectus divinus, & divina intellectio sunt de essentia Dei, & non attributa.

8. Resp. 1. quod Subt. Doct. in 1. loco cit. loquitur de attributis nimis stricte, scilicet, ut sunt perfectiones pertinentes ad lineam actus secundi; in quo sensu intellectio, & volitio sunt attributa; non vero intellectus, & voluntas, ut potè potentia pertinentes ad lineam actus primi. Resp. 2. neg. antec., ad cuius probationem dicimus, quod Subt. Doct. quando ait, quod intellectualitas est prædicatum quidditativum Dei, loquitur de illa formalitate quidditativa, à qua emanant intellectus, & voluntas, sicut in homine vocatur intellectualitas ipsa rationalitas; quia est radix à qua emanant intellectus, & voluntas in homine. Uno verbo, loquitur de intellectualitate radicali, quo in sensu jam supra

diximus esse prædicatum quidditativum Dei. Non vero loquitur Doct. de ipsis potentijs intellectus, & voluntatis formaliter sumptis, quæ emanant à divina essentia; nec loquitur de intellectione, & volitione, quæ emanant à prædictis potentijis, ut actus secundi à primis. Hoc patet evidenter; nam Mar. Doct. probat distinctionem attributorum ab essentia per hoc, quod intellectus, & essentia concurrunt essentialiter ad generationem Verbi, in qua intellectus se habet, ut principium productivum *quod*, essentia vero, ut objectum *quo*, fecundatur intellectus. Idem afferit de productione Spiritus Sancti ad quam concurrunt voluntas, & essentia; & ex distinctione intellectus, & voluntatis, tám inter se quam ab essentia, concludit diversitatem divinarum productionum.

9. Arg. 3. Non minus constituitur divina essentia, intellectus, & intellectione actuali, quam essentia Angeli intellectu, & intellectione radicali; sed intellectus, & intellectio radicalis sunt de essentia Angeli: g. intellectus, & intellectio actualis sunt de essentia Dei. Probat. mai. nam quod convenit creaturæ in actu primo ob ejus limitationem, convenit Creatori in actu 2. ob ejus infinitatem.

tem. Resp. neg. mai. quæ haud facile probabitur ; siquidem, quod potentia, & earum actus distinguantur à natura, seu ab essentia ; non provenit ex limitatione, sed ex proprijs rationibus formalibus naturæ, & potentiarum. Instabis : intellectualis natura habet intrinsecam habitudinem ad intelligere, vel est formaliter ipsum intelligere: sed priori modo natura creata dicitur intellectualis : g. secundo modo natura divina. Resp. naturam intellectualē tam in divinis, quam in creatis dicere habitudinem ad intelligere, & nullibi est intelligere de ratione formalē naturæ ; hoc tamen discrimine, quod in creatis dicit habitudinem principij strictè productivi, & receptivi intellectionis ; in divinis vero solum reperitur intellectualitas, ut importat rationem principij operativi præcisè, & quasi productivi inreceptionis per solam simplicem emanationem.

10 Replicabis sicut se habet prima ratio essendi ad suum esse in genere entis ita prima ratio intelligendi in genere qualitatis : sed essentia divina cum sit prima ratio essendi includit formaliter suum esse : g. cum sit prima ratio intelligendi, debet formaliter includere suum intelligere. Resp. essentiam divinam non eodem mo-

do esse rationem essendi, & rationem intelligendi ; nam ratio essendi est formaliter ; ratio vero intelligendi principiatively, seu radicaliter ; unde potius infertur, quod sicut implicat distingui formaliter à suo esse, ita implicat non distingui formaliter à suo intelligere ; nam non minus ratio radicalis, seu principiatively præfert distinctionem ab actu formalī, ac ratio formalis præfert identitatem cum eo cuius est ratio formalis. Advertendum tamen est, quod intellectivum radicale est in ultima actualitate, & perfectio ne in esse naturæ ; neque ex eo, quod sit radix actualis intellectionis sequitur esse in potentia, & non esse in actualitate ultima ; nam essentia divina est radix attributorum, & est in ultima actualitate essentiali, & non dicetur potentialis.

11 Dubitabis : an intellectus divinus sit talis, qualis est intellectus humanus ? Ratio dubitandi est, quia intellectus in homine duo habet officia, secundum quæ modo vocatur intellectus agens, modo possibilis, ut diximus in libris de Anima. Deinde est productivus, producit enim verbum mentis. Tertio est discursibus, quoniam unum ex alio ducit, conclusionem scilicet ex præmissis. Quarto tandem est practicus, qui

quia regulat actiones voluntatis , cui dictat , hoc esse faciendum , & illud fugiendum. Nunc dubitatur , an omnia ista reperiantur in divino intellectu? Resp. negativè ; quia intellectus divinus , nec est agens , nec passibilis ; nec est productivus , nec discursivus , nec denique practicus. Ratio est , quia ideo noster intellectus dicitur agens , in quantum agit super phantasmata corporea , seu species materiales deribatas ab objectis , quas spiritualizat , & de sensibili bus facit intelligibiles , ut posteà eas infundat intellectui possibili : sed hæc omnia non facit intellectus Dei ; quia omnia objecta intelligit per suam propriam essentiam , & non per species ab objectis acceptas: ergo non est in eo , nec intellectus , possibilis , aut passibilis.

12 Deinde , intellectus noster nunquam intelligit objectum , quin producat intellectionem ab intelligente , & ab intellectu realiter distinctam , ob quam rationem dicitur productivus: Atqui intellectio , qua intellectus divinus cognoscit divinam essentiam , & omnia alia , non est producta ; alias distinguuntur realiter ab intelligente : ergo &c. Notitia igitur , quæm habet Deus , & qua se cognoscit , est improducta , & radicatur sine productione ab intellectu , sicut

intellectus ab essentia : unde intellectus Dei , ut Deus est , est operativus ; licet intellectus Patris sit productivus Verbi Divini realiter distincti à Patre.

13 Insuper : ad discursum requiritur pluralitas cognitiorum , nempé , cognitio antecedentis , & consequentiae ; discursus enim est progressus ab una cognitione ad aliam ; & posterior cognitio oritur à priori ; nam cognitio conclusionis oritur à cognitione præmissarum : prima cognitio est notior posteriori ; nam discursus est progressus à notioribus ad ignotiora : Atqui hæc omnia Deo repugnant ; nam omnia unico actu intelligit , & unica est in eo cognitio , qua omnia clare , & distinctè cognoscit , ac proinde non transit de notiori ad ignotius juxta illud Jacob i. *Apud quem non est transmutation , nec vicissitudinis obrumbatio : ergo &c.*

14 Denique : Intellectus practicus est ille , qui dirigit praxim , seu , qui regulat actiones voluntatis , quæ possunt bene , vel male fieri : Atqui voluntas divina in suis operacionibus non est regulabilis ; est enim regula omnium , & actiones ejus nequeunt male fieri: ergo intellectus divinus non est practicus. Nec dicas , intellectum divinum ostendere voluntati-

tati , quæ ex se cœca est , quid faciendum sit , aut quid fugiendum ; hoc enim tantum probat esse ostensivum praxis , non tamen regulativum. Etenim est magna differentia inter ostendere praxim , & regulare praxim: ostendere praxim , est manifestare simpliciter quid faciendum , aut fugiendum sit : dirigere vero addit insuper persuadere , & rationes allegare , quæ inducant voluntatem ad faciendum bonum , & malum vitandum : voluntati autem divinæ sufficit ostensio boni , & mali , & non indiget persuasione , ut ad bonum se vertat ; quia non potest aliter agere : unde intellectus divinus non est practicus , nec est practica scientia Dei. Videatur Subt. Doctor. quæst. 4. Prolog. qui quamvis videatur problematicus in hac parte magis tamen propendit ad nostram.

15 Obijcies : Si intellectus Dei , ut Deus est , non est productivus , & intellectus Patris est productivus Verbi Divini ; erg. intellectus Dei est simul productivus , & non productivus , quod implicat. Respond. nullam esse implicantiam ; quia aliud est considerare Deum , ut Deum ; pro tunc enim illius intellectus est operatus : & aliud est considerare Deum , ut Patrem ; tunc enim est producti-

vus Verbi Divini , quod notitia genita , seu producta appellatur.

16 Pro discursu autem obijcies ; Deus scit omnia per suam essentiam tanquam per causam ; sed scire effectum per causam est verè discurrere : erg. divinus intellectus est discursivus. Resp. majorem solum esse veram , prout dicit ordinem inter objecta ; sicut enim Deus scit se omnium esse causam , ita scit omnia esse ejus effectus ; hoc tamen unico , & simplicissimo intuitu absque ordine , & sine dependentia unius cognitionis ab altera ; unde talis cognitione non est formaliter discursus , sed simplicissima intuitio. Instabis : Deus cognoscit res , sicut cognoscibiles sunt : sed sunt cognoscibiles per discursum : g. &c. Resp. disting. maj. Sicut sunt cognoscibiles sine imperfectione cognitionis , conc. cum imperfectione , quam habet cognitione discursiva , neg. Igitur de ratione infiniti intellectus est omnia scibilia intuere unico simplicissimo actu , qui sit infinitus , & virtualiter , atque eminenter æquivaler omnibus enuntiationibus , & discursibus creaturarum.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*

## QUÆST. II.

*AN, ET QUALITER DEUS  
creaturas cognoscat?*

**P**RO intelligentia quæst. præmittend. est, tanquam certum in Fide, in Deo esse formaliter scientiam, quæ non est accidens, seu qualitas, sicut est scientia nostra, sed actus substantialis, & operatio Dei, seclusis omnibus imperfectionibus, quæ in nostra reperiuntur. Patet hoc; nam Ps. 36. dicitur: *Tu cognovisti omnia novissima, & antiqua.* Et Job cap. 9. inquit de Deo: *Sapiens corde, & fortis robore.* Et ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientie Dei,* quod idem plura alia testimonia sacræ paginæ passim proclamant. Nec valet si dicas, præfata testimonia posse explicari in sensu metaphorico, non quidem valet; nam juxta regulam D. Aug. intelligenda sunt propriè, & rigorosè, dum non appareat inconveniens; sed non appetat in hoc, quia scientia in suo formalissimo conceptu importat perfectionem sine imperfectione: erg. &c. Hanc veritatem etiam suadet ratio sumpta ex N. Subt. Doct. in 1. diff. 2. q. 2. Nam nobilissimo agenti nobilissimus agendi mo-

dus concedi debet; sed talis est agere per intellectum, & voluntatem, oportetique propter finem: Ergo debet concedi Deo qui est nobilissimus agens consequenterque in Deo datur vere, & rigurose scientia. Quod autem hæc non sit accidentia seu qualitas, sed actus substantialis ab ipso Deo realiter indistinctus, est naturali lumine notum: nam ob hoc docet à Deo esse amovendas omnes imperfectiones, quæ in nostra scientia creata inveniuntur.

**2. Præmittendum est.** Quod scientia divina varie dividitur. (Intellige non ex parte actus, nam cum sit infinita, & infinite perfecta, non pluribus, sed unico simplicissimoque actu omnia scibilia, tam ad intra, quam ad extra cognoscit, & sic divisibilis non est, nisi solum ex parte objectorum scibilium) dividitur ergo scientia divina primo, & adæquatè in naturalem, & liberam. Naturalis est, quæ terminatur ad objecta naturalia, quæ omnino indipenderter ab omni decreto libero habent esse. Huiusmodi sunt omnia prædicata intrinseca Deo, & omnis creatura in statu possibilitatis: hæc scientia respectu possibilium appellari solet scientia simplicis intelligentiæ. Scientia libera est, quæ terminatur

ad objecta futura, quæ habent tale esse à decreto libero divinae voluntatis; unde ista, quæ communiter scientia visionis appellatur, non est ex se formaliter libera; nam implicat, quod actus potentiae naturalis, qualis est intellectus, sit formaliter liber; sed solum dicitur libera objective, seu respectu objectorum, quatenus hæc habent esse futurum à libero Dei decreto. Quod ista sit divisio adæquata, patet; quia sub istis duobus modis omnia scibilia comprehenduntur; siquidem ad scientiam naturalem omnia objecta necessaria spectant, & ad scientiam liberam omnia contingentia: g. &c. Deinde, Scientia naturalis potest dividi in eam, quæ est ad intra, & in illam, quæ est ad extra, ut dictum est. Scientia libera, etiam dividitur in absolutam, & conditionatam. Absoluta est, quæ terminatur ad objecta absolute futura; conditionata, verò, quæ terminatur ad futura sub aliqua conditione. Præterea, tam absoluta, quam conditionata potest dividi in necessariam, & contingentem. Necessaria est, quæ terminatur ad objecta necessaria, id est, quæ naturaliter procedunt à causa naturali: Contingens verò, quæ terminatur ad objecta, quæ procedunt à causa libera, ut actus boni, & mali.

Quæ omnia magis patebunt infr. Præter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis, aliam in Deo omnes Jesuitæ adstruunt, quam medium, seu conditionatam, appellant; respectu, scilicet, futuorum contingentium sub conditione, quoru[m] notitiam ad neutram ex prædictis duabus spectare posse existimant: quam scientiam postea impugnabimus.

3. Præmittend. est 3. ut melius percipiatur quomodo Deus in se ipso creaturas cognoscat, quod dupliciter potest intelligi unum cognosci ab alio. Primo, quia non cognoscitur per propriam speciem, sed per speciem alterius: in quo sensu D. Aug. cognitionem matutinam ( quæ est, qua beati vident creaturas propria, & distincta cognitione, non per proprias ipsarum species, sed per divinam essentiam supplementem vices proprietatum specierum ) appellat cognitionem creaturarum in Verbo, seu in divina essentia. 2. quia cognoscendo aliquod objectum ex vi cognitionis illius, tanquam in objecto prius cognito, cognosco aliud, quod in ipso continetur; ut cum cognoscendo aliquid totum actuale per cognitionem distinctam, ex vi hujus cognitionis cognoscuntur partes ex quibus actualiter conflatur. Dubitamus ergo in præ-

senti quoniam ex duobus prædictis modis Deus dicitur cognoscere creaturas in se ipso, propria, distinctaque cognitione. His notatis sit

4. Conclusio 1. Primæ parti questionis respondens : Deus omnes creaturas cognoscit propria, & distincta cognitione, nimirum nedum secundum rationes communes, verum, & secundum partes, propriasque ipsarum, tam specificas, quam numericas. Hanc conclusionem tanquam de fide, naturalique lumine notam omnes Theologi amplectuntur. Probatur ex Sacra Script. nam Ecclesiast. 29. dicitur : *Non est quid absconditum ab oculis eius.* Ex cap. 14. *Domine, qui habes omnium scientiam.* Et ad Hebr. 4. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.* Prob. ratione ; nam Deo convenit perfectissimus modus operandi ; sed iste est operari ex prævia cognitione producibilium : g. cum Deus posset sua omnipotentia efficere omnia, necessario debet cuncta cognoscere distincte. Urgetur ; nam sicut Deus in genere causæ efficiens sua formalis, & radicali infinitate sibi vendicat omnipotentiam, ita sibi vendicat in genere intelligentis omnem scientiam : erg. sicut per infinita-

tem suæ potentiae potest omnia factibilia efficere, ita per infinitatem suæ scientiae omnia cognoscibilia cognoscere potest : sed facultas cognoscitiva est necessaria in cognoscendo: potentia autem effectiva est libera in efficiendo : g. & si actu non efficiat omnia factibilia, omnia tamen necessariò actualiter cognoscit. Urgetur 2. Scientia Dei est simpliciter infinita in genere scientiae : g. necessariò cognoscit quidquid scibile est : sed creature sunt cognoscibiles secundum suum proprium esse ; cognoscibilitas enim est passio entis : g. &c.

5. Circa 2. partem quæstionis varij sunt in AA. dicendi modi, quos proponemus, & impugnabimus, antequam nostram statuamus conclusionem, Cayetanus, alijque Expositori Angelici Mag. affirmant, Deum dici, cognoscere creaturas propria, & distincta cognitione in seipso secundo modo ex numeratis in notabili. 3. nempe, quia cognoscendo Deus, suam divinam essentiam, ex vi cognitionis illius cognoscit in illa tanquam in objecto prius cognito omnes creaturas, saltim possibles, propria, & distincta cognitione. Pro qua sententia hanc inter alias reddunt rationem ; nam qui cognoscit comprehendit aliquod totum ac-

uale per talēm cognitionem comprehensivam , non tantum cognoscit totum actuale , sed etiam in ipso , tanquam in objecto prius cognito cognoscit illius partes secundum esse formale illarum : erg. pariformiter in præsenti. Sed contra hanc sententiam sic insurgo : Creaturæ non sunt in Deo , seu in divina essentia secundum suum esse formale , sed solum secundum suum esse virtuale , quod non est distinctum ab ipsa divina essentia. Ad rationem adductam paritate totius actualis : dicimus , quod potius est pro nobis; si enim ex vi cognitionis comprehensivæ totius actualis cognoscuntur partes ipsius secundum suum esse formale , ideo est , quia prædictæ partes secundum suum esse formale continentur in toto actuali ; nam si solum continentur virtualiter , solum possent per cognitionem totius secundum suum esse virtuale cognosci. Pater exemplo caloris , qui cum solum continetur in sole virtualiter , nemo poterit cognoscere illam in sole secundum suum esse formale , etiam si ipsum Solem comprehendat: erg. &c.

6. Alij dicunt , quod ad hoc ut Deus dicatur cognoscere creaturas secundum suum esse formale in se ipso , tanquam in objecto prius cognito , non est ne-

cessarium quod in ipso sint creaturæ secundum suum esse formale , sed sufficit , quod Deus ratione suæ omnipotentia ita connectatur cum esse formale creaturarum possibilium , ut si esse formale ipsarum per possibile , vel impossibile deficeret , deficeret etiam ipsa Dei omnipotentia ; proindeque si deficeret in Deo cognitione creaturarum possibilium secundum suum esse formale , deficeret etiam in Deo cognitione sua omnipotentia; nam sicut res se habent ad esse , ita ad cognosci. Hic tamen dicens modus feré ab omnibus rejicitur , supponit enim quodnam falsum , nempè , omnipotentiam Dei , quæ est quid absolute , & independens ab omni creatura , ita connecti cum esse formalis creaturarum possibilium , ut si per possibile , vel impossibile aliqua creatura defineret esse possibilis secundum suum esse formale , deficeret consequenter in Deo omnipotentia , quod nefas est dicere ; nam est ponere Deum dependentem à creaturis.

7. Pater Vazquez 1. pape. disp. 60. cap. 3. aliam aggreditur viam , ut ostendat , Deum cognoscere creaturas secundum suum esse formale , & proprium in se ipso , tanquam in objecto prius cognito ; inquit enim , quod cognoscendo , si-  
cut

dur cognoscit , absque ulla reflexione , cognitionem , quam habet de creaturis , in ipsa cognitione , tanquam in specie expressa , seu Verbo , cognoscit creature. Hic tamen modus explicandi prædictam Dei cognitionem non placet . 1. quia cognitionis , seu species expressa , & si sit ratio formalis cognoscendi objectum , non tamen est ratio objectiva : erg. etiam si Deus per ipsam cognoscat creature secundum suas proprias , & formales rationes tanquam per formam , sed non tanquam in objecto prius cognito . 2. quia si hæc cognitionis , seu species expressa potest hoc modo esse medium cognoscendi creature , quas repræsentat , ideo est ; quia cognita ipsa , erit necessarium , quod cognoscatur ejus terminatio ad creature : sed hæc repræsentatio , seu terminatio cum sit relatio nequit cognosci , nisi prius cognoscatur ejus terminus , nempé , creature : erg. antequam cognoscantur creature in tali specie expressa , jam erant cognitiones in se ipsis terminativæ , quod hic Author non concedit . 3. quia ex ista sententia sequitur , Deum tantum cognoscere creature abstractivæ . Patet hoc : nam ideo cognoscit Deus creature in specie expressa , quia species expressa est imago creaturearum : sed constat

ex se , & ex Scot. quodl. 14. prototypum in imagine solum abstractivæ cognosci : erg. &c. His ergo rejectis sententijs pro nostra sit

8 Conclusio 2. Deus dicitur cognoscere in se ipso creature secundum suum proprium & formale esse , non secundo modo ex numeratis notabili 3 , sed primo modo , nimurum , quia etiam si divina cognitionis terminetur ad esse proprium , & formale creaturearum ad hanc tamen cognitionem non movetur Deus per proprias earum species impressas , sed per essentiam suam , quæ cum eminenter continet omnes similitudines , seu virtutes movendi intellectum ad intellectionem , quæ sunt in objectis creatis , poterit ipsa se sola præstare quidquid alias objecta creata per suas proprias similitudines præstarent . Sic deducitur ex Scot. in 1. d. 35. q. 1. §. ad istas. Prob. à priori hæc nostra sententia : quia creature secundum suum esse formale , & proprium , sunt intelligibiles : g. ut dicantur à Deo cognosci secundum suum esse formale , & proprium , debent secundum tale esse divinam intellectionem terminare : sed creature non existent in Deo secundum suum esse formale , & proprium , sed solum secundum suum esse virtuale : erg. cognitionis ,

tio , per quam cognoscit suam essentiam , immo , & omnia , quæ formaliter sunt in Deo , & si ex vi sua terminetur ad esse virtuale creaturarum , secus verò ad esse formale , & proprium earum; consequenterque &c. Hęc ratio urgeri potest ex refutacione fundamentorum , quibus oppositæ sententia nituntur.

9 Adverté hic : quod esse formale , & proprium creaturarum , quod ab æterno terminat divinam cognitionem esse non potest esse reale creaturarum , alioquin creaturæ secundum suum esse reale , essent ab æterno: erg. solum est , quodnam esse intentionale , nempè esse cognitum , in quo Deus , ut docet Scotus , in secundo instanti sua cognitione , producit creaturas. Hoc enim esse cognitum nihil aliud est , quam quoddam esse intentionale objectivè repræsentans creaturas secundum esse proprium , & formale ipsarum.

10 Rogabis 1. An scientia Dei sit repræsentatio formalis creaturarum ; an virtualis , seu eminentialis tantum? Resp. Esse formalem representationem eorum. Sic nosf. Felix ; est tamen contra alios Scotistas afferentes esse virtuale tantum , seu eminientiale representationem possibilium ; fierique formalem per extrinsecam terminationem , seu connotationem ad possibilia.

Prob. igitur nostra sententia: nam scientia Dei in se est species expressa simpliciter infinita , & est actu , & formaliter in Deo: erg. est formalis repræsentatio cuiuscumque repræsentabilis; sed omnes creaturæ sunt repræsentabiles per scientiam Dei , ut ex se patet : erg. scientia Dei ex se est formalis repræsentatio illarum. Dices : Creaturæ in divina essentia tantum virtualiter , seu eminenter , & non formaliter continentur : erg. scientia Dei nequit esse formalis repræsentatio creaturarum. Resp. Quod & si creaturæ secundum suum esse formale entitativum sint tantum virtualiter , seu eminenter in Deo , sunt tamen in scientia Dei secundum suum esse formale ; non entitativè , sed repræsentativè ; & sic talis scientia est repræsentatio formalis illarum , admodum , quo cognitio , qua cognoscitur Angelus : v. g. est species expressa , & repræsentatio formalis Angeli , quin ad hoc requiratur , quod cognitio sit formaliter entitativè substantia Angeli , sed sufficit , quod sit formaliter talis repræsentativè.

11 Rogabis 2. An cognitio possibilium , prout formaliter est cognitio possibilium , sic aliqua intrinseca Dei perfectio? Resp. cum communi Theologorum consensu , contra aliquos per

per pāucos ; divinam cognitionem circa possibilia , ut talem, non esse in Deo perfectionem, nec aliquam formalitatem intrinsecam , sed solum addere meram connotationem extrinsecam , qua ad possibilia terminatur. Ratio nostræ resolutionis est , quia ex opposito sequetur , quod aliqua perfectio , sive intrinseca formalitas Dei dependeret à creaturis possibilibus , siquidem his non subsistentibus , non subsisteret in Deo talis cognitio , ut est , & denominatur formaliter scientia possibilium : sed nulla perfectio , sive intrinsecum Dei prædicatum potest dependere à creaturis, adhuc possibilibus ; dicere enim hoc est plusquam absurdum: erg. &c.

12 Dices : Prædicta cognitio est formaliter vitalis operatio, & formalis expressio: sed vitalis operatio in Deo est intrinseca illius perfectio : erg. &c. Resp. quod divina cognitio possibilium non est vitalis operatio, prout formaliter ad possibilia terminatur, ita, quod formalitas, vitalitatis , & expressionis ab illis emendicetur : sed tota vitalitas cognitionis, etiam ut est expressiva creaturarum, ab intellectu divino, ut potentia; & à divina essentia , ut objecto intelligibili experitur , & emendicatur. Itaque intellectus cum essentia divina in ratione objecti intelligi-

gibilis , sibi præsenti habet cognitionem comprehensivam sui, & omnino perfectam quoad omnem formalitatem sibi intrinsecam , quæ cognitio est ex se formaliter , & intrinsecè sufficiens cognitio possibilium ; pro illo tamen primo signo non denominatur formaliter talis, non quidem ex defectu alicujus formalitatis in cognitione , sed defectu creaturarum , quæ pro illo signo non intelliguntur habere esse possibile ; pro sequenti verò instanti habent creaturæ à divina cognitione esse objectivum, sive possibile , terminantque illam ; & tunc divina cognitio sortitur denominationem cognitionis formalis possibilium, ita, quod prout talis non addit sibi ipsi aliquid perfectionis ; sed meram connotationem extrinsecam ; ac proinde possibilibus per possibile , vel impossibile sublatis , deficeret quidem in Deo extrinseca terminatio , sive connotatio ad possibilia ; quæ solum ad formalem denominationem cognitionis illarum exigitur ; nihil tamen vitalitatis, vel alterius formalitatis intrinsecè ejusdem cognitionis deficeret : consequenterque divina cognitio nullo modo pender à possibilibus , quod non facile in opposita sententia salvatur.

13 Ex his inferes , ut aliis argumentis occurritur , quid licet creature ab aeterno sint necessaria-

cessariò à Deo cognitæ: con sequenterque divina essentia ne queat esse sine illis cognitis; hoc non provenit ex indigentia, sed ex plenitudine perfectionis essentia, intellectus, scientiæ que divinæ; ratione cuius ne quid Deus non habere omnia; secundum esse possibile, sibi præsentia in quodam esse objec tivo, & secundum omnem modum suæ cognoscibilitatis. Unde ex hypothesi impossibili, quod creaturæ nullum esse ha berent, nihil intrinsecum Dei deficeret, sed solum extrinseca terminatio, à qua provenit for malis denominatio scientiæ crea turarum, ut dicebamus; quam doctrinam tradit Scot. in 1. d. 39. quæst. 1. §. Ad argumenta quartæ quæst. his verbis: *Ad tertium dico, quod nulla per fectione simpliciter in Deo dependet à creatura, neque etiam ne cessariò simpliciter coexigit crea turam in quounque esse; & idcirco Deum scire B, prout in telligitur non solum scire absolute, sed prout transit supra ipsum B, non est perfectio sim pliciter, sed perfectio simpliciter cum addito, quod necessariò concomitatur perfectionem sim pliciter.* Hæc Scotus. Ex quo aperte constat, quod secluso scire absolute, transitus in ob jectum, hoc est, terminatio illius, non est perfectio, sed additum

necessariò concomitans perfec tionem.

### QUÆSTIO III.

*QUID SIT PRIMARIUM  
divini intellectus ob  
jectum?*

I P R O decisione quæstio nis præmittendum est: Quod tripliciter aliquod objec tum potest dici primarium. 1. primitate dignitatis, & perfec tionis: in quo sensu omne præ dicatum obsolutum, & sim pliciter perfectum in Deo est prius, non solum quam crea turæ, sed etiam quam relationes divinæ, quæ formaliter consi deratæ non dicunt perfectio nem; immo, & ipsa Dei essen tia potest dici prior attributis, quatenus attributa formaliter solum dicunt infinitatem for malem, & in proprio genere; essentia vero non solum dicit infinitatem formalem, sed etiam radicalem, & in omni genere. Secundo modo potest dici pri marium primitate naturalis præ suppositionis; in quo sensu cer tum omnino est, quod Deus sua scientia primo cognoscit di vinam essentiam; secundo attri buta, & omnia essentialia ad intra; tertio relationes, & personas divinas; quarto crea turas in esse possibile; quinto de-

Denique ipsas creaturæ in esse futuro, ut monet Scotus in 1. d. 35. q. 1. §. potest dici. Tertio dicitur objectum primarium primitate virtutis, & est illud, quod in se primo continet omnes veritates, ita, ut in se habeat virtutem terminandi, & movendi divinum intellectum ad cognitionem cujuscumque cognoscibilis ab ipso. De objecto ergo primario hac ultima primitate procedit quæst. Quo notato sit.

2. Conclusio: Essentia divina præcisa ab attributis, & relationibus est objectum primarium tam motivum, quam terminativum intellectus, & scientiæ Dei; attributa vero, & relationes solum habent rationem objecti terminativi secundarij. Sie Scot. in 1. d. 3. q. 3. & collatione 20.: queni scè omnes Scotiste sequuntur contra Thomistas, qui communiter tenent, omnia, quæ formaliter sunt in Deo, tam absoluta, quam relativa pertinent ad objectum primarium divinæ scientiæ; & contra aliquos Scotistas presertim nostr. Merlin. tract. de Scient. Dei disp. 2. quæst. 1. asserentes, divinam essentiam simul cum attributis esse objectum primarium scientiæ Dei. Prob. nost. conclusio: quia illud est objectum motivum potentiarum, quod est ratio, ut ipsa

sum actum habeat: sed hujusmodi est divina essentia, ut præcisa ab attributis, & relationibus respectu divini intellectus: g. ipsa sola est objectum motivum illius. Prob. min. nam illud est ratio formalis, & motiva, ut potentia suum eliciat actum, quod in virtute sua continet omnia, quæ talis potentia percipere potest; sed hoc solum convenit divinæ essentiæ, utpote radici, & infinito pelago omnium cognoscibilium à Deo: g. &c.

3. Probat. 2. nam divina essentia propter infinitam virtutem in repræsentando potest, non solum creaturas, sed etiam ipsius proprietates, tam absolutas, quam relativas repræsentare: g. omnia illa necessario repræsentat divino intellectui; g. attributa, & relationes non immediate, & virtute sua, sed virtute divinæ essentiæ cadunt sub intellectu divino: g. sola essentia divina erit objectum motivum, & primarium; cætera autem secundarium tantum, & terminativum. Hæ ultime consequentiæ patent, & i. probatur; nam si divina essentia potest suas proprietates intellectui divino representare, necessario representabit illas, cum habeant summam, & necessariam veritatem. Et essentia divina non libere, sed natura-

liter moveat divinum intellectum ad cognitionem illarum. Urgetur, nam habere virtutem representandi se, & omnia alia est quædam perfectio simpliciter conveniens infinitæ perfectioni Dei, sicut est esse principium radicale eminentiale, seu virtuale, sed esse tale principium convenit divinæ essentiæ præcise ab attributis, & relationibus, ut paret: g. & ipsi soli convenit habere virtutem representandi; tam creaturas, quæ sunt formaliter in Deo: consequenterque, &c.

4 Secunda par. conclus. Prob. nam illud est obiectum terminativum primarium aliquius scientiæ, à quo, & non ab alio desumit suam specificacionem, & perfectionem; sed divina scientia à sola Dei essentia accipit specificationem, & perfectionem: g. hæc est obiectum primarium terminativum. Prob. min. nam divina essentia; ut formaliter ex natura rei distincta, ab attributis, & relationibus, est infinita simpliciter in omni genere, & aliquomodo continet omnes perfectiones, tam ad intra, quam ad extra, ut pote omnium prima radix, & origo: g. ipsa sola adæquat totam perfectionem actus intellectus divini, ac proinde ab illa sola suam desumit perfectionem.

5 Arg. 1. si sola divina essentia esset obiectum primarium & formale, divini intellectus, virtute ipsius cognoscerentur divinæ relationes; sed hoc est falsum; tum, quia essentia divina non est formaliter relativa: proindeque nequit esse ratio cognoscendi relationes. Tum, quia alioquin relationes, & personæ divinæ spectarent ad obiectum secundarium, sicut creaturæ; ex quo sequeretur non esse magis, nec prius cognoscibiles, quam ipsæ creaturæ, quod est absurdum: g. &c. Resp. neg. min. ad cuius primam probat. dicimus nullatenus requiri, quod essentia sit formaliter relativa, ad hoc, ut sit ratio cognoscendi relationes, sed sufficit quod sit infinita in representando, & quod relationes in ipsa, ut in radici contineantur.; sicut ad hoc, ut sit ratio cognoscendi creaturas, minime requiritur, quod essentia sit formaliter creatura. Ad 2, probationem dicimus cum Scot. quodl. 5. quod, & si relationes pertineant ad obiectum secundarium, diverso tamen modo, ac creaturæ; nam relationes sunt obiectum realiter identificatum cum divina essentia, quod non habent creaturæ. Ex quo sequitur, relationes esse prius, & magis cognoscibiles, habereque magis necef-

cessariam veritatem , quam  
creaturæ; consequenterque , &c.

6 Arg. 2. objectum integrum  
quidditative , ac intuitivæ cogni-  
tionis Dei est hoc complexum;  
*Deus sicuti est*: sed pars huius  
complexi est Trinitas persona-  
rum : g. relationes non perti-  
nent ad secundarium, sed ad pri-  
marium objectum divinæ cog-  
nitionis , quæ non potest non  
esse intuitiva , & comprehen-  
siva. Probatur minor ; nam qui  
non videt naturam substancial-  
iem in supposito , non  
videt illam sicuti est : g. &c.  
Resp. quod videre Deum sicuti  
est , dupliciter potest intelligi;  
Dens enim , & supponit pro in-  
dividuo Deitatis , seu pro ra-  
tione formalis , & intrinseca  
illius , & supponit etiam pro  
persona ; dicimus ergo ad mi-  
norem , quod Trinitas persona-  
rum , est pars illius complexi,  
si ly *Deus* supponat pro perso-  
na, sive supposito , non tamen , si  
supponat pro individuo , seu ra-  
tione formalis Deitatis ; per-  
sonalitas enim non est de intrinse-  
ca ratione formalis Dei , sive  
Deitatis , sed solum personæ.  
Ad prob. resp. quod , qui videt  
naturam substancialem sine sup-  
posito , non videt illam , sicuti  
est integrè , & complete , scili-  
cet , secundum omnes rationes  
extrinsecas , sive conditiones,  
quas habet , quarum prima est

personalitas; videt tamen illam ,  
sicuti est secundum suam for-  
malē , & intrinsecam ratio-  
nem ; quare dicimus , quod ob-  
jectum specificativum intuitivæ  
cognitionis Dei est Deus sicuti  
est , supponendo ly *Deus* , non  
pro persona ; sed pro indivi-  
duo , sive ratione formalis , & in-  
trinsicā Deitatis.

7 Arg. 3. illud est objec-  
tum primarium , quod gaudet  
propria virtute ad movendam  
potentiam , & terminandum ac-  
tum illius : Sed divina attributa  
formaliter considerata , & ut  
præcisa ab essentia gaudent pro-  
pria virtute ad movendum di-  
vinum intellectum , & termi-  
nandum illius actum : g. attri-  
buta non pertinent ad secun-  
darium , sed ad primarium ob-  
jectum divini intellectus. Prob.  
min ; quia virtus sufficiens , quæ  
requiritur ad movendum , est  
virtus infinita ; sed hanc ha-  
bent attributa formaliter consi-  
derata , quia sunt formaliter in-  
finita , ut nullus ignorat : erg.  
&c. Resp. neg. min ; ad cuius prob.  
dicimus quod ad moven-  
dum divinum intellectum , non  
sufficit quævis virtus , seu per-  
fæctio infinita , sed requiritur ,  
quod sit ex se primaria , radi-  
calis , & in omni genere , &  
hanc habet sola divina essentia ,  
& non attributa , quæ tantum  
habent perfectionem secunda-

riam , seu infinitudinem formalem , & in proprio genere , neque illam habent ex se , sed participatam ab essentia , à qua pullulant .

8 Instabis ideo , iuxta Scotum , creature , & divinæ relationes pertinent ab objectum secundarium ; quia cum creature dicant perfectionem finitam , & relationes formaliter nullam dicant perfectionem , visceret divinus intellectus , si ab illis aliquomodo dependeret , aut actus eius specificaretur : sed attributa dicunt perfectionem infinitam ; g. non ad secundarium , sed ad primarium objectum , secundum Scotum , pernitere debent .  
 Resp. neg. conseq. quando enim Doct. ibi exclusit . tām relationes , quām creature à ratione objecti primarij divini intellectus : eo , quod non dicunt perfectionem infinitam , tunc non assignavit rationem adequatam exclusionis ; hanc etim benē assignavit , collatione 20. his verbis : objectum primarium intellectus debet esse principale intelligibile simpliciter sub ratione simpliciter primario . Sic primus intellectus simpliciter est intellectus divinus , & primum intelligibile simpliciter est divina essentia ; attributa vero non dicunt primariam perfectionem , sed secun-

dariam , neque sunt infinita in omni genere , sed unumquodque in suo ordine , nempe , sapientia , v. g. in linea sapientiæ , & non in linea misericordiæ , &c.

#### Q U A E S T I O I V.

*AN , ET QUALITER FUTURA contingentia absoluta  
Deus cognoscat?*

**P**RO decisione questionis præmittendum est , quod hunc spectant ea , quæ circa scientiam Christi Domini de futuris contingentibus in materia de Incarn. dicendum .

1 **S**ensus questionis est , utrum futurum liberum absolutum v. g. consensum Joannis Deus cognoscat in voluntate Joannis indifferente , an in auxilio efficaci , cum quo voluntas elicit consensum ? an denique in divino decreto de concurrendo cum voluntate Joannis ad ponendum consensum ? Pro qua difficultate , quæ inter omnes Theologicas gravissima est , sit .

2 Conclusio 1. Deus ab aeterno cognoscit scientia certa , & evidenti quælibet futura contingentia absoluta in particula- ri secundum omnes conditio- nes

nés existentiae illorum. Hanc conclusionem, tanquam de fide, & etiam naturali lumine notam, amplexantur omnes. Prob. ex Sac. Scrip. nam Isai. cap. 41. dicitur: *Anuntiate, que ventura sunt in futuro, & sciemus, quia Dij estis vos.* Et cap. 45. *Hæc dicit Dominus: ventura interrogate me.* Et cap. 3. Danielis dicitur: *Deus aeternæ, qui nosti omnia, antequam fiant.* Probat. etiam ex illis locis, in quibus continentur prædictiones futurorum, quorum maiorem partem videmus iam impletam; unde Joann. 4. dicit Christus Dominus: *Hæc dixi vobis antequam fiant, ut cum factum fuerit, credatis.* Tertul. lib. 20. contra Martionem. cap. 5. ait: *Quod Deus fecit Prophetas tot habet testes prescientiæ suæ; non enim absque futurorum prænotione illorum eventuum potuit Prophetis reuelari.*

3. Prob. ratione; nam Deus est causa universalis, & omnium rerum prævisor: Ergo necessario debet scire quoslibet eventus futuros, alioquin, non consequeretur fines intentos, ut naturali lumine patet: g. &c. Urgetur; nam intellectus divinus est infinitus, & ejus scientia etiam simpliciter infinita; sed ad intellectum, & scientiam infinitam pertinet scire omne

verum, & scibile; cum hoc nullam involvat imperfectionem: Ergo necesse est diuinum intellectum scire omne verum, & scibile: atqui futura contingentia sunt vera, scibiliaque: g. &c. Prob. hæc min. subsumpta; nam in propositionibus contradictorijs una ex illis necessario est determinata vera, vel determinata falsa, nam esse simul veras, aut simul falsas repugnat: sed istæ propositions: *Petrus peccabit cras, Petrus non peccabit cras;* sunt immediate contradictoriae: g. necessario altera illarum est determinata vera, aut determinata falsa. Patet amplius hoc ex Arist. docente; quod si nunc aliquid est album, vere quispiam affluerisset, si fore illud dixisset: ex quo sic; verum, & falsum immediatè contradictione opponuntur; ac proinde ex duabus contradictorijs alterum debet esse determinata verum, & alterum determinata falsum: sed si Petrus nunc peccat, qui antea dixisset, ipsum non esse peccatum, falsum dixisset: g. qui dixisset, ipsum esse peccatum, dixisset verum; consequenterque futura contingentia absoluta habent determinatam veritatem, suntque à Deo cognoscibilia.

4. Conclusio 2. Deus non prædicta futura cognoscit in sola

voluntate creata , etiam super comprehensa. Prob. conclusio: Scientia Dei est infalibilis : g. non potest determinari ab aliquo medio essentialiter fallibili , & indifferenti : sed voluntas creata in actu 1. ad operandum est indifferens ad consensum , & carentiam consensus , ut patet; erg. voluntas creata non est medium certo , & infallibiliter determinans scientiam Dei ad cognitionem consensus , potius , quam dissensus , vel carentia consensus : erg. in voluntate creata , etiam super comprehensa , non cognoscit Deus futura contingentia. Supercomprehensio nihil enim addere potest ad comprehensionem , nisi quod objectum comprehensionis sit infinitum ; objectum autem supercomprehensionis sit finitum : sed hoc nihil aliud est , quam querere nova nomina , ut illis difficultatibus , veritas obnubilatur ; nam Deus non magis comprehendit creaturam , quam se ipsum : g. si cognitio , qua Deus se cognoscit , vocatur comprehensio ; quare cognitio , , qua creaturam cognoscit , vocanda erit super comprehensio ; consequenterque &c. Urgetur: Deus per super comprehensionem nequit cognoscere , quod cognoscibile non est: sed futurum liberum , prout in voluntate libera , est indifferens ad essen-

dum , & non essendum : erg. in voluntate libera non est certo , & determinatè cognoscibile , neque per comprehensionem , neque per super comprehensionem.

5 Arg. 1. Cognita arbore vg. cognoscit Deus effectum illius futurum , etiam si hic possit ab aliquo impediri : erg. similiter cognita voluntate , cognoscit consensum , vel dissensum futurum absolutè. Urgetur ; nam ex voluntate ultimò disposita , prædicatur consensus Tyriorum futurus , ut dicitur Math. 11. Erg. &c. Resp. ad arg. negand. paritatem , nam causæ necessariae sunt in actu 1. determinatae , & ita effectus illarum sunt infallibiliter subsequendi , si aliunde non impedianter ; at vero causæ liberæ , etiam ultimò dispositæ , sunt indifferentes ; ac proinde effectus earum non infallibiliter determinatè sequuntur. Ad confirm. resp. Deum cognoscere illa futura non in voluntate creata , sed vel in auxilio efficaci moraliter conexo cum consensu , vel in decreto efficaci ipsius etiam cum consensu conexo , ut dicemus infra.

6 Arg. 2. Angelus , vel anima separata possunt conjecturare naturaliter , seu cognoscere , cognita creata voluntate , futurum ejus consensum : g. Deus evidenter potest illud cognoscere in eadem voluntate. Urgetur: nam

nam Deus per super comprehensionem magis cognoscere potest, quam per comprehensionem: g. & si per comprehensionem non cognoscat futura contingentia in voluntate creata; per super comprehensionem tamen illa sic cognoscere poterit. Resp. ad argum. neg. conseq. datur enim medium, per quod infallibiliter, & certo Deus cognoscat futurum, quod quidem non est voluntas creata; nam ista non connectitur necessariò cum consensu futuro, cum sit indifferens ad illum, & ad carentiam illius, ut manet dictum. Ad confirm. neg. antec. non enim datur super comprehensione distincta à comprehensione; & si daretur, perfectior esset utique comprehensio, quam super comprehensio; ista quippe haberet objectum finitum, nimirum, creaturas; illa verò habet objectum infinitum, nempe ipsum Deum.

7 Conclusio 3. Deus ex comprehensione auxilij efficacis cognoscit futura contingentia. Sic maior pars Scotistarum, cum nostr. Merinero Eruditiss. Prob. nostra conclusio: nam juxta nostra principia, cogitatio congrua ita moraliter determinat, seu aliquid efficaciter voluntatem nostram ad prosequendum bonum honestum sibi per talem cogitationem propositum, ut licet

liberè, infallibiliter tamen illud sit prosecutura, dummodo Deus non deneget illi suum concursum: sed hæc infallibilitas sufficiens est ad hoc, ut Deus comprehendendo auxilium efficax certè, & infallibiliter cognoscat nostrum futurum consensum, siquidem iste infallibiliter connectitur cum illo: erg. &c. Hic tamen adverte, quod, & si posita in executione prædicta congrua cogitatione, Deus per comprehensionem illius certò, & infallibiliter cognoscat nostrum consensum in executione futurum; nihilominus tamen, cum ista cogitatio congrua, seu auxilium efficax sit quid pendens ex libero decreto Dei, ac proinde futurum liberum, & contingens; ideo necessariò requiritur ad hoc, ut illam Deus certe, & determinatè in executione futuram cognoscat, quod habeat actuale decretum ponendi illam in executione; consequenterque, si assignare volumus primam, & radicalem rationem, ob quam Deus certè, & determinatè cognoscit futura contingentia libera, hæc solum est decretum Dei actuale, quo ab aeterno cuncta disposita, ut sequenti conclusione dicemus.

8 Arg. contr. hanc concl. Scientia Dei est omnino certa, & infallibilis; sed Scientia Dei de futuris contingentibus habita ex

auxilio efficaci non est infallibilis: erg. Deus ex comprehensione auxilij efficacis non cognoscit certè, & infallibiliter futurum. Prob. min. Nam voluntas excitata per auxilium efficax manet cum potentia libera physica ad consensum, & ad carentiam consensus: erg. potest reddere falsam divinam scientiam: ac proinde Deus non cognoscit futurum consensum ex comprehensione auxilij efficacis. Prima conseq. est bona; quia tunc aliqua scientia falsificatur, quando objectum per illam affirmatum, non ita se habet, sicut illa affirmat: g. si scientia Dei affirmat futuritionem consensus, & potest poni carentia consensus; poterit talis scientia falsificari. Resp. conc. mai. neg. min. cuius probationis distinguitur antec.: Voluntas manet libera ad dissensum, posito auxilio efficaci; potentia, seu libertate antecedenti, conc. potentia, seu libertate consequenti, neg. antec. & conseq. Voluntas enim efficaciter excitatur; & si in sensu diviso, seu libertate antecedenti possit ponere carentiam consensus, non tamen in sensu composito, seu potentia consequenti: Unde nunquam voluntas creata falsificare poterit Dei scientiam. Quod, ut melius intelligatur, advertere oportet, quod monet Scot. quodl. 16.

litt. N. nempe, necessitatē antecedentem tollere libertatem, non verō necessitatem consequentem, seu concomitantem; unde inquit; quod cum dicimus voluntatem aliquid velle necessariō necessitate consequentis, vel suppositionis, hoc potest intelligi dupliciter; uno modo, ut sit necessitas prævia ad libertatem, & voluntas intelligatur cadere sub necessitate, tanquam impellente in actum, & hoc modo voluntas ageretur, & non ageret, nec staret in tali actu libertas; alio modo potest intelligi necessitas concomitans, ita, quod ipsa intelligatur cadere sub voluntate, & hæc libertatem non tolit. Quod principium sumitur ex D. Anselm. lib. de Concord. cap. 1. & 2. & Clarius lib. Cur Deus homo, cap. 18. Ubi duplicitem distinguit necessitatē; unam antecedentem, quæ facit rem; alteram consequentem, quā res facit, & primam, inquit, pugnare cum arbitrij libertate: secunda verò cum libertate bene consistere. Ex quo manet manifesta solutio argumenti, & omnia, quæ contra conclusionem præfatam formari possunt, nam libertas opponitur necessitati; ideoque, quod de necessitate antecedenti, & consequenti diximus, de libertate etiam suo modo dicendum est.

est. Sic communiter respondent  
Scotistæ.

9 Aliter tamen responderetur, ex infra dicendis, concedendo etiam maj. & neg. min. ad cuius probat. concessio antecedenti, negatur consequentia; nam licet positio auxilio efficaci in voluntate creata remaneat in illa potestas physica, & metaphysica, non tamen remanet potestas moralis; quia impossibile est moraliter, quod non consentiat auxilio efficaci. Unde, quanvis per potentiam physicam, & metaphysicam posneretur dissensus, nunquam falsificaretur scientia Dei; quia scientia Dei affirmat positionem moralem, & liberam consensus, quæ positio libera necessariò requirit potestatem physicam, & metaphysicam ad dissensum. Sicut concedit Subt. Doct. quod in sensu composito prædestinationis, prædestinatus potest damnari, & tamen non sequitur, quod potest frustrare prædestinationem; quia prædestination dicit positionem moralē, & liberam gloriæ, quæ positio libera imbibit, & affirmat potestatem physicam, & metaphysicam ad damnationem.

10 Conclusio 4. Deus cognoscit futurum contingens in suo decreto: unde cognita infallibili determinatione suæ voluntatis circa aliquod futurum,

*Tom. I.*

cognoscit certo, & infallibiliter ipsum futurum. Sic feré omnes Scotistæ cum nostro Subt. Doct. Prob. conclusio: Illud est medium sufficiens ad cognoscendum aliquod objectum, quod est infallibiliter connexum cum ipso objecto: sed divinum decretum circa positionem alijcujus consensus est infallibiliter connexum cum ipso consensu; nam implicat dato, & positio decreto, dari carentiam consensus: ergo in tali decreto cognito, cognoscitur id, quod est omnino incompossibile cum carentia consensus: sed id solum est incompossibile cum carentia consensus, quod est identificatum cum ipso consensu: erg. divinum decretum est infallibiliter connexum cum consensu; consequenterque, cognito decreto, quod cognoscatur certo futurus consensus, necessè est.

11 Confirmat; nam omnia, quæ sunt in mundo habent suum esse, qualecumque illud sit, certum, & determinatum ex libera Dei voluntate, vel volente, vel permittente; alias, quæ sunt in mundo haberent esse à se, quod est proprium Dei, & repugnans creaturæ: ergo esse certum, & determinatum, quod habent futura contingentia libera qualecumque illud sit, habent à decreto voluntatis divinae, vel volentis,

*X*

*yel*

vel permittentis , tanquam à causa primaria , & radicali ; ac proinde ex cognitione divini decreti efficacis circa futuritatem alicujus effectus , necessariò cognoscitur ipse effectus futurus.

12 Ut hæc conclusio ejusque probatio planè , & sine aequivocatione intelligatur , est advertendum , quod quando dicitur , quod Deus cognoscit futura contingentia in determinatione sua voluntatis , seu quod idem est , in suo divino decreto infallibiliter connexo cum nostro consensu ; hoc non debet intelligi , ita , quod decretum sit motivum divini intellectus ; sed ita , ut tale decretum , sit medium necessariò requisitum , ut Deus cognoscat futurum consensum in sua divina essentia , tanquam in ejus unico motivo objecto . Sic intellecta conclusione , nihil difficultatis continet ; nam ablativo decreto , non datur futurum , & posito decreto , adest futurum ; ergo decretum est tota ratio intelligendi futurum . Confirmatur : cognosci sequitur ad esse : ergo qui ponit esse , ponit posse cognosci . Atqui decretum ponit esse futuri : ergo ex decreto provenit , futurum posse cognosci . Attamen actu infallibiliter cognosci provenit à divina essentia inquit Subt . Doct . in 1 . d . 39 . q . 5 . § . Viso de contingentia his verbis : *Quia ista via*

( scilicet quod Deus cognoscat futurum in determinatione sua voluntatis , seu in decreto ) videtur ponere quandam discursum in intellectu divino , quasi ex intuitione determinationis voluntatis , & immutabilitatis ejus concludat hoc fore ; potest ponit aliter , quod intellectus divinus , aut offert similitia , quorum unio est contingens in re , aut si offert complexionem ; offert eam sicut neutram , & voluntas eligens unam partem , scilicet conjunctionem istorum pro aliquo nunc in re , facit illud determinatè esse verum : hoc erit pro A . hoc autem existente determinatè vero , essentia est ratio intellectui divino intelligendi istud verum . Quid clarius , & ad quid aliam rationem querimus ?

13 Hoc eodem modo intelligitur conclusio 3 . de auxilio efficaci , quod fluit à Deo , & præstatur creaturæ ex intentione , præfinitione , seu decreto intentivo efficaci consensu ; nam ut prosequitur Subt . Doct . loco cit . Sicut divinus intellectus naturaliter intelligit omnia principia necessaria , quasi ante actum voluntatis divinæ , quia eorum veritas non dependet ab illo actu , & essent cognita ab intellectu divino , licet per impossibile non esset volens ; ita essentia divina est ratio cognoscendi ea in illo priori instanti

naturæ, quia tunc sunt vera; non quidem (notate bene) quòd illa vera moveant intellectum divinum, nec etiam termini eorum ad apprehendendam talem veritatem; quia tunc intellectus divinus vilesceret, quia patetur ab alio ab essentia sua; sed sicut essentia divina est ratio cognoscendi simplicia, ita & compléxa talia... posita autem determinatione voluntatis divinae, jam sunt vera (id est posito decreto circa aliqua, jam talia sunt vera futura) & hoc idem erit ratio intellectui divino, quod erat in primo, intelligendi ista, que sunt jam vera. Hucusque Doct. Ex quibus patet, quod idem est objectum motivum divini intellectus ad cognoscenda futura, quod est objectum motivum ad cognoscenda possibilia: Atqui ad cognoscenda possibilia est objectum motivum sola divina essentia: erg. & sola divina essentia (præsupposito tamen decreto) est objectum motivum ad cognoscenda futura. His Scotti verbis roborantur omnes conclusiones hujus questionis, & tota quæstio deciditur.

14 Expenditur amplius, & brevius sic: Essentia divina est unicum, & totale motivum primitate adæquationis respectu intellectus divini: g. debet movere unice intellectum divinum

ad cognitionem cuiuscunq[ue] intelligibilis: Sed posito decreto efficaci Dei, iam futura sunt determinate cognoscibilia: g. posito tali decreto, essentia divina sola debet movere ad cognitionem futurorum. Patet enthymema; quia essentia divina est infinita in ratione primi objecti divini intellectus, sicut intellectus divinus est infinitus ratione potentia cognoscitiva: g. sicut intellectus, quia potentia infinita cognoscitiva debet cognoscere omnia cognoscibilia; ita divina essentia, quia infinite motiva debet movere ad omnia cognoscibilia. Quod, & quale sit decretum præstans determinatam veritatem futuris, constabit disputatione sequenti.

15 Conclusio 5. Deus non cognoscit futura contingentia in Ideis. Sic Scotus in r. d. 39. §. contra, ante lit. B. & alijs in locis. Pro maiori autem claritate conclus. Nota cum ipso Scot. in r. d. 35. §. ad ista, quod *idea est ratio eterna, & immutabilis in mente dicina, se undum quam aliquid est formabile ad extra ut secundum propriam rationem ejus*. Ex qua definitione infertur, quod divina essentia non est idea creaturarum, sed talis idea est conceptus objectivus rei producibilis, seu ipsa creatura cogniti-

ta ; quod tenet ipse Doct. dicens : *Igitur videtur dici, quod lapis intellectus possit dici idea, ipse enim habet omnes conditiones in definitione idea positas.* Ratio est, nam sicut in mente Artificis sunt ideae artefactorum , sic in mente divina sunt ideae creaturarum : sed idea in mente Artificis nihil aliud est, nisi res artificialis praecognita: g. similiter idea creature in mente divina est ipsa creature, ut praecognita. Prob. min: nam ut inquit Aristot. 1. metaph. Domus ad extra fit à domo in mente , ita quod eadem Domus ut in mente est idea sui ipsius , ut in opere executa. Quo notato.

16. Prob. nostr. conclusio validissimis rationibus Mariani Doct. Primo , quia ideae non possunt esse rationes cognoscendi futura ; nam illae solum repräsentant terminos simplices , seu simplices rerum quiditates , seu complexiones necessarias , quæ ex ipsis terminis habent evidentiam : g. non possunt representare futura contingentia , quorum veritas ex se est indeferens ad complexionem , & non complexionem. Prob. conseq ; nam quod potest cognosci ex terminis simplicibus non est contingens , sed necessarium. Atqui esse futurum rerum , est quid contingens

dependens à libera voluntate Dei : g. Idea nequeunt esse rationes cognoscendi futura respectu divini intellectus. Secundo; quia Idea representant idæata naturaliter , & necessario, quia præcedunt omnem actum liberum voluntatis divinæ : sed scientia futurorum est scientia visionis , & post determinacionem voluntatis divinæ : g. &c. Tertio ; quia in Deo dantur ideae omnium possibilium , sive futurorum , sive non futurorum : g. nequit Deus per ideas discernere futura à non futuris. Quarto ; quia ideae non repräsentant existentiam creaturarum , ut exercitam , vel exercendam ; sed ut exercibilem, hoc est , ut possibilem exerceri ; neque repräsentant illam, ut ponendam in aliquo determinato nunc , quod omne requiritur ad futuritionem determinatam : g. ex vi illarum nequeunt cognosci futura ut talia.

17 Dices. Quod ideae præcisè sumpta non sunt rationes cognoscendi futura , sed prout subjacent decretis divinis. Sed contra est; quia tunc iam non idea , sed decretum divinum erit determinativum cognitionis futurorum ; quia ab illo recipiunt determinatam veritatem , & hac supposita , divina essentia movet ad cognitionem illo-

illorum. Advertendum tamen est, quod divina essentia potest aliquo sensu appellare idea creaturarum, scilicet, virtualliter, & remote, quatenus ipsa, ut objectum motivum divini intellectus, illum movet, ut producat creatureas in esse cognito, seu diminuto, ut vocatur ab Scoto; verum illa ratio objective repræsentata, & cognita creature est proxima idea illius; quia sic creaturem ad extra producit Deus, sicut in mente cognitam habet. Et hæc de quæst.

## QUÆSTIO V.

Utr. CREATURÆ SINT  
præsentes realiter Deo in aeternitate,  
& qualiter tunc cognoscerentur?

**D**UO in præsenti controversia inter Thomistas, & Scotistas examinari solent. Primum est, utrum omnia temporalia, ac proinde futura contingentia ita coexistant aeternitati Dei, ut ei semper, & ab aeterno sint realiter præsentia? Secundum est, Utr. Supposita, & admissa ista coexistentia futurorum in reali præsencia cum aeternitate, talis præsencia, seu coexistentia sit ratio sufficiens, ut ipsa futura certo, & determinatè à Deo

cognoscantur. Pro quorum intelligentia.

2. Præmittend. est 1. quod bifariam potest aliqua res dici præsens in aeternitate, realiter, nempè, & objective. Tunc dicitur realiter præsens, quando est talis per suam propriam existentiam, & durationem. Tunc verò dicitur præsens objective, quando obijicitur divina cognitioni, licet actualiter non existat; unde præsentia realis fundatur in existentia reali propria, & actuali; objective verò præsentia in actuali cognitione. Et in primis certum est omnes res temporales esse Deo præsentes objective ab aeterno, alioquin non posset dici Deum illas ab aeterno cognoscere. Deinde, etiam est certum omnes res creatas, quando actualiter existunt propria existentia, aeternitati Dei coexistere; & consequenter esse præsentes ratione sua aeternitatis. Ratio hujus est; quia aeternitas Dei etiam si sit indivisibilis, ac proinde non habens partes, quarum una sit præsens, alia præterita, & alia futura, sicut habet tempus, quod est mensura, qua omnia sublunaria mensurantur, nihilominus est mensura infinita ambiens, & comprehendens omnes partes nostri temporis; nam ut docet Boet. 5. de Consolat. Ater-

*Aeternitas est interminabilis vi-  
ta tota simul, & perfecta pos-  
sessio.* Quod ergo vertitur in  
dubium est; An aeternitas sit  
tantæ perfectionis, ut etiam res  
futuras, & præteritas faciat sibi  
realiter præsentes?

3 Præmittendum est 2. Quod  
nulla creatura fuit de facto pro-  
ducta ab aeterno, ita, ut in pro-  
pria, & actuali extiterit existen-  
tia. Hæc suppositio admittitur  
ab omnibus tanquam dogma fi-  
dei. Et colligitur ex illo Ge-  
nes. i. *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram;* Et ex illo  
Psalm. 89. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis a seculo, & in seculum tu est Deus.* Idem docet D. Aug.  
ii. de Civit. Dei cap. 23. di-  
cens: *Si potentiam suam fabri-  
catoriam (ut ita dicam) Deus rebus substrahat, ita non erunt, sciat antequam fierent, non fuerunt:*

4 Præmittend. est 3. Quod  
realis coexistentia duorum ex-  
tremorum necessariò supponit in  
ipsis extremis proprias eorum  
existencias, & durationes. Ratio  
hujus est; quia coexistentia est  
communis, simultaneaque duo-  
rum existentia: sed rebus, quo-  
rum altera non existit, nequit  
competere existentia communis,  
& simultanea, ut naturali lumi-  
ne patet: g. realis coexisten-

tia necessariò supponit in extre-  
mis proprias, & actuales eorum  
existentias. Unde N. Scot. in i.  
d. 29. §. contra istud, docet;  
quod coexistentia importat rela-  
tivis, vel rationis relationem,  
prout extrema, seu res existe-  
tes fuerint capaces: quare coexis-  
tuntia Dei, & creature solum  
dicit ex parte Dei relationem  
rationis, ex parte vero creaturæ  
relationem realem, qualis  
etiam est relatio creationis pas-  
siva. Quo supposito, celebris est  
in hac difficultate sententia Tho-  
mistarum asserens omnes res tem-  
porales esse Deo realiter pre-  
fentes in aeternitate, Deumque  
in tali reali præsencia certò, &  
determinatè ab aeterno cognos-  
cere futura contingentia. Pro  
hac sententia citant Angelicum  
Magistr. i. part. quæst. 14. Pro  
nostr. autem sententia fit

5 Conclus. i. Nulla res tem-  
poralis potest esse ab aeterno rea-  
liter præseus, sive coexistens aet-  
ernitati Dei; ac proinde futura  
contingentia non coexistunt Deo  
in aeternitate, antequam existant  
cum propria duratione: sed so-  
lum pro illo tempore, quo exis-  
tunt propria, & actuali exis-  
tentia. Sic Subt. Doct. in i. d. 39.  
§. aliter; & §. contra istud,  
quem sequuntur omnes sui dis-  
cipuli, & alij quos citat Nost.  
Felix cap. 5. diff. 5. Prob. con-

clu-

clusio rationibus ipsius Scoti: Si-  
cūt Deus est æternus , ita est  
immensus , & sicut per immen-  
sitatem se habet ad locum , sic  
per æternitatem ad durationem  
cujuscumque rei ; sed implicat,  
quod per immensitatem sit præ-  
fens loco præterito , vel futuro,  
seu actualiter non existente in  
se : g. etiam implicat , quod  
per æternitatem coexistat rei  
præterita , vel futura , sive ac-  
tualiter non existente in se : sed  
repugnat , quod futurum actu,  
& realiter existat ante suam rea-  
lem productionem , ut patet : g.  
etiam repugnat , quod ab æter-  
no coexistat æternitati Dei. Ur-  
getur ; quia coexistentia impor-  
tat simultaneam duorum exis-  
tentiam in se ; hæc enim est funda-  
mentum mutua relationis coe-  
xistentia: sed creaturæ non exis-  
tunt ab æterno in se : g. impli-  
cat , quod ab æterno coexistant  
æternitati Dei.

6 Probat. 2. Si semper crea-  
turæ essent æternitati præsentes  
secundam esse reale suæ præsen-  
tia ; sequeretur quod minimè  
possent in tempore produci. Se-  
quella est contra fidem : erg. &  
antec. ex quo sequitur. Probat.  
sequella ; nam produci est acci-  
pere esse ; sed id quod semper,  
& ab æterno est , implicat quod  
in tempore accipiat esse : erg.  
& implicat , quod in tempore  
producatur. Urgetur , & decla-

ratur ; quia hæc conseq. Creatu-  
ra semper realiter coexistit Deo:  
Ergo semper in se existit : non  
est argutio à secundum quid ad  
simpliciter : Existere enim in  
æternitate , non est additum di-  
minuens existere in se sicut est  
existere objectivè in cognoscen-  
te : g. si creatura semper Deo ve-  
rè , & realiter coexistit , verè , &  
realiter simpliciter existit : sed,  
quod simpliciter semper existit,  
implicat produci : g. si creatu-  
ra semper coexistit coæternita-  
ti , implicat omnino in tempore  
produci. Urgetur 2. Quia juxta  
Thomistas , ideo Deus cognoscit  
futura contingentia , quia men-  
suratur æternitate , quæ est men-  
sura , sicut duratio indivisibilis,  
& tota simul , facitque omnia  
futura sibi præsentia : sed ævum,  
quo mensuratur Angelus est du-  
ratio indivisibilis , & infinita à  
parte post : g. omnia futura sunt  
illi prætentia ; consequenterque  
Angelus naturaliter cognoscit fu-  
tura contingentia ; sed hoc non  
concedent contrarij : erg. &c.  
Ad has rationes varie respon-  
dunt Thomistæ , ut earum disolvant  
efficaciam , sed frustra qui-  
dem , eorum enim solutiones ra-  
tiones nostras enervare non pos-  
sunt , ut videri potest apud  
RR. nostros.

7 Arg. 1. ex Div. Aug. lib.  
de Trin. cap. 17. ubi ait : Apud  
Deum præterita , & futura stant.  
Et

Et lib. de cognit. rerum vita, inquit : *Quidquid est, vel fuit, vel erit, totum sibi præsens adest.* Idem habent Ambros. lib. 5. de Fide, c. 7. Isidor. Ansel. & plures alij : g. &c. Resp. Has, aliasque Authorit. hujusmodi, non esse ad rem ; in eis enim PP. non loquuntur de præsentia reali, ut aliqui ex adversarijs censem, sed de præsentia objectiva, ut etiam alij ex ipsis adversarijs fatentur. Hoc satis constabit legentibus contextum, ubi semper addunt aliquid de cognitione. Immò D. Aug. serm. 11. de verbis Ap. ita affirmat; Deum in sua præsentia objectiva habere res futuras, ut simul neget habere illas præsentes in suo esse reali. Accipe aurea D. Aug. verba : *Deus habet electos suos apud semetipsum, non in natura sua, sed in præsencia sua.*

8 Instant : Si mens SS. PP. solum fuit asserere futura rei præsentia in aeternitate tantum objectivè, cur negant in Deo veram, & propriam præscientiam? Objectiva enim præsentia rei futuræ non excludit, sed potius includit veram, & propriam futuri præscientiam; Astrologus enim quando futuram Eclipsim habet objectivè præsentem verè, & proprie dicitur illam præscire. Resp. quod quando PP. negant esse in Deo præscientiam futuro-

rum, seu affirmant esse impropriam, solum loquuntur de præscientia futurorum, quæ habetur humano modo ; hæc enim est obscura, & solum conjecturalis ; atque eo ipso implicat illam convenire præscientiam, quam habet Deus ab aeterno de futuris contingentibus ; cum ita sit ita clara, & certa, sicut est scientia, est enim eadem metu, quam habet de ipsis futuris quando actualiter existunt in rerum natura.

9 Arg. 2. ratione : aeternitas est duratio infinita indivisibilis sine sui successione omnia tempora ambiens : g. quemcumque existunt tempore, verè, & realiter aeternitati coexistunt. Resp. disting. consequens, coexistunt aeternitati tempore, quo existunt in se, conc. tempore quo non existunt in se, neg. consequens. Sicut enim baculus defixus in flumine, cui succedunt diverse partes aquæ, totum simul est præsens partibus ipsius aquæ, non autem sic omnes partes aquæ baculo ; sic similiter aeternitas est præsens tota simul cuilibet creaturæ tempore, quo existit, non tamen sic creaturæ aeternitati, cum non existat tota duratione aeterna. Instabis retor, quando exemplum : si præsentia baculi esset infinita, simul esset baculus præsens omnibus partibus aquæ : g. cum aeternitas sit du-

ratio infinita , simul attingit , & ambiit omnia tempora. Resp. quod etiam si præsentia baculi esset infinita , non posset fieri præsens partibus , quæ actu non sunt , nam infinitum in virtute præsentandi solum est præsens omni præsentibili. Unde cum non ens non sit presentabile , neque ab infinito in ratione præsentandi potest haberi præsens , ut patet in immensitate respectu loci , ut dicebamus supra.

10 Arg. 3. Deus ratione immensitatis est præsens omnibus loci differentijs , ut sursum , deorsum , ante , & retro : g. ratione æternitatis est simul præsens omnibus temporis differentijs , ut sunt prateritum præsens , & futurum. Resp. neg. conseq. nam locus secundum omnes illas partes dividitur etiam per differentias temporis , quæ transcendunt per omnia temporalia. Unde Deus ratione immensitatis non replet aliquam partem loci , nisi determinatam differentiam temporis præsentis ; alioquin esset Deus in spatio imaginario , quod ipsi contrarij non admittunt , neque admittere possunt. Deinde , facile retorquetur argumentum contra ipsos : sicut immensitas , & si sit capax replendi omnem locum , non tamen replet , nisi locum præsentem , & exisen-

tem ; sic æternitas , & si sit sufficiens existere quibuscumque rebus , actu tamen non coexistit , nisi rebus actualiter existentibus : g. &c. Instabis: Adam , & Antichristus , vel simul realiter coexistunt æternitati , vel sic non coexistunt ? si simul coexistunt , habetur intentum ; si non coexistunt : g. in æternitate datur præteritum , & futurum , quod est contra rationem ipsius æternitatis. Resp. quod non simul coexistunt. Deinde disting. consequens: Ergo datur in æternitate præteritum , & futurum intrinsece. neg. Estrinsecè , conc. Igitur , & si æternitas sit simultanea secundum suam absolutam existentiam ; est tamen successiva secundum coexistentiam cum rebus successivis ; quemadmodum etiam immensitas , & si sit indivisibilis ex parte sui ipsius ; est tamen divisibilis extrinsece ex parte spacijs , quod de connotato importat.

11 Arg. 4. aliquibus exemplis desumptis ex Angel. Doct. & i. est : æternitas se habet ad durationes omnes sicut se habet punctum centri ad omnia puncta circumferentia : sed omnia puncta circumferentia simul realiter coexistunt puncto indivisiibili centri : g. etiam simul coexistunt æternitati omnes differentiae durationes. 2. est ; qui

vadit per viam, non videt eos qui post se veniunt; qui autem à specula, vel turri intuetur, vident omnes transeuntes per viam, quanvis transeant successive: g. sic similiter, Deo ratione aeternitatis omnia sunt realiter praesentia, & si in se sint successiva. 3. est anima rationalis simul coexistit pluribus partibus corporis, quia indivisibilis est: g. similiter aeternitas omnibus durationis differentijs. Resp. quod preicta exempla potius sunt pro nobis, quam contra nos. Circumferentia enim non coexistit secundum omnia sua puncta, & partes puncto centri, nisi actualiter maneat cum ipsis partibus, & punctis. Unde, si à puncto immobili centri efficiatur circumferentia, & punctum circumferentiae sicut non consummata circumferentia, non tota simul coexisteret centro, cum non tota in se existat: Sic ergo tempus, cum non sit circumferentia stans, sed fluens, implicat totum simul coexistere aeternitati. Patet etiam de 2. nam ei, qui est in specula, & turri non sunt praesentia, quae iam transierunt, vel in futuro sunt transitura, sed solum, quae actu transeunt: sic similiter aeternitati non coexistunt, nisi quae actualiter existunt. Terrium etiam est pro nobis; quia

anima rationalis non informat partes corporis, quae actualiter non sunt, sed quae actu manent. Sic similiter in nostro casu.

12 Conclusio 2. Adhuc gratis admissa, quod daretur realis praesentia, & coexistentia futurorum in aeternitate: minimè hoc deserviret, ut inde Deus, certo, & determinate cognosceret futura contingentia libera. Hanc conclusionem defendunt, qui antecedentem tenent contra Thomistas. Prob. conclusio: nam tunc futura contingentia libera essent certo, & determinate futura, quanvis non ex se, saltem ex decreto libero divinæ voluntatis, quod est tota ratio ex parte futurorum, ut Deus certo, & determinate illa cognoscat: sed prius, est rem esse certo, & determinate futuram in se ipsa, quam praesentem realiter in aeternitate: ergo hæc praesentia realis in aeternitate impertinens est, & inutilis ad hoc, ut Deus certo, & determinate cognoscat futura contingentia libera; quandoquidem priusquam sint praesentia (nistro modo cognoscendi cum fundamento in re) iam sunt à Deo certo, & determinate cognita. Urgetur; nam scientia, quæ ex se postulat realem praesentiam objecti in se, dicit dependentiam ab illo: Sed hæc repugnat infinitæ per-

fec-

fectioni scientiæ divinæ , cum à nulla creatura dependere posset: g. implicat , quod ad attingendum quocumque objectum creatum postulet divina scientia realem illius præsentiam : g. licet creature existerent , & essent realiter præsentes aeternitati , cognitio tamen divina nullatenus exigeret ex se talem præsentiam ad cognoscendam earum futuritionem ; ac proinde solum concomitanter se haberet talis præsentia aeterna creaturarum ; non tamen ut ratio , vel quid necessarium requisitum ad hoc ut Deus illas cognoscat futuras.

13 Arg. contra hoc : Divina cognitio circa futura non est abstractiva , sed intuitiva : Sed cognitio intuitiva exigit realem præsentiam , & existentiam sui objecti : g. ut futura intuitive à Deo cognosci possint , quod realiter coexistant aeternitati necesse est. Resp. disting. min: Cognitio intuitiva , quæ est immediatè causata ab objecto exigit realem præsentiam , & existentiam illius , conc ; quæ ab illo non causatur immediatè sed solum terminatur ad illud , neg. min. & conseq. Cum igitur divinus intellectus ad cognitionem creaturarum non moveatur ab ipsis , non est necesse , quod ipsam cognitionem præcedant realiter præsentes , sed sufficit , ut intuitive cognoscantur.

tur , quod in aliquo eminentiori , illas continent , repræsententur , nimis in divina essentia , quæ est ratio motiva intelligendi omnia , ut sàpè dicebamus.

## QUÆSTIO VI.

Utr. DIVINUM DBCRETUM cognoscatur à Deo , ut futurum in aliquo signo anteriori ad sui actualē positio-

nem?

i PRO intelligentia quæstionis præmittendum est , quod hæc difficultas non procedit de prioritate durationis ; hanc enim certissimum est non dari inter Deum , & sua decreta , sed de prioritate rationis , seu naturalis præsuppositionis , in qua nos intelligimus Deum esse , antequam aliquid decernat. Unde inquirimus : An in illo priori in quo decretum nondum intelligitur determinatè & actu positum , cognoscatur à Deo , ut futurum , sive ut determinate ponendum ? Deinde nota ; quod objectum divini decreti est creatura , non quomodocunque considerata , sed præcisè secundum esse futurum existentiæ , decretum enim Dei juxta communem sententiam , est actus divinæ voluntatis , quo Deus deponit altram partem complexionis determinatè foré , aut

*non fore* : Unde sicut divinum decretum , ut sic determinatum nequit intelligi , non intellecto termino , vel ipso esse actuale creaturæ , ita non potest intelligi hoc esse creaturæ , non intellecto decreto , tanquam causa suæ futuritionis , sive suæ futuræ existentia ; consequenterque nequit intelligi absque dependentia à divino decreto . Hoc igitur præmisso . Sit

2 Conclusio nostra : Divinum decretum in nullo signo anteriori ad sui actualem , & exercitam positionem potest sci-ri à Deo , ut futurum , sive ut determinatè ponendum . Sic omnes Scotistæ contra Pat. Suarez in Opusc. de Scient. Dei , lib. 2. cap. 6. & 8. & contra alios ab ipso citatos . Prob. nostr. concl. Nam quamvis decretum intelligatur pro aliquo signo ponibile ; antequam intelligatur positum , hæc tamen prioritas non est præteriti ad fututum , sed omnino præscindens ab omni determinatione : erg. implicat , quod intelligatur , ut determinatè ponendum in sequenti signo . Prob. antec. quia , ut intelligatur , ut determinatè ponendum , debet præintelligi determinatio causæ ; sed pro illo priori non adest determinatio causa : erg. neque determinatè positio decreti pro signo sequenti . Prob. min. nam possibile ,

sive ponibile , ut tale est indifferens ad poni , vel non poni , sicut ad actu esse , vel non esse , siquidem id , quod ponitur pro sequenti signo est possibile , seu ponibile in anteriori signo : sed cum indifferentia ad esse , & non esse , non stat determinatio ad esse , ut patet : erg. implicat , quod decretum pro signo , quo concipitur ut ponibile præcisè , concipiatur , ut determinatè ponendum . Urgetur hoc , & amplius declaratur exemplis admissis ab adversarijs : & si enim ignis prius sit calefactivus , quam calefaciens , hæc tamen prioritas non est præsentis ad futurum ; quia calefactivum , ut tale , non importat determinatè esse , vel non esse calefactionis , sed præcisè posse esse illius . Deinde , in illa prioritate qua Verbum divinum procedit à Patre , & Spiritus Sanct. ab utroque , non intelligitur , futura esse determinatè futura , sed potius iudicativa ad posse esse , vel non esse : erg. prioritas præcedens determinationem effendi , vel non effendi , non est prioritas , qua aliquid posset intelligi ut futurum determinatè , sed tantum ut possibile indifferens ad esse futurum , vel non futurum .

3 Prob. 2. ab inconvenienti : Ex opposita enim sententia sequeretur 1. non prius ratione esse

esse Deum , quām decretata futura ; ac per consequens quām futuritionem rei futuræ . Probat . hęc sequella ; nam in eodem signo , in quo intelligitur Deum esse , debet intelligi decretum futurum , cum in posteriori ; signo intelligatur decretum existens : sed decretum futurum habet necessariam connexionem cum re futura , secundām ipsum Suarez : ergo in eodem signo intelligerentur futura , vel futuratio illorum : hoc est absurdum , ut patet : erg . &c . 2. sequeretur , scientiam Dei circa futura absoluta esse omnino necessariam ; si quidem antecederet decretum , & simul esset cum scientia Dei de se ipso : sed hoc à nullo sanæ mentis admitti potest : g . &c .

4 Arg. 1. in illo signo ante positionem decreti , est verum dicere , quod divina voluntas se determinabit ad hanc partem : erg . præscit Deus , illam determinationem fore ; consequenterque cognoscit suum decretum , ut futurum . Patet conseq . quia Deus cognoscit omne verum . Prob . antec . nam in contradictorijs altera pars est necessariò determinatè vera , & altera determinatè falsa : erg . in illo 1. signo altera pars hujus propositionis : *Deus decernet , vel non decernet pro sequenti signo Petrum salvare* ; est determinatè vera , & altera determi-

nate falsa : sed negativa est falsa , nam supponimus actum Dei liberum poni pro sequenti signo : ergo affirmativa est vera , nimirum , quod Deus pro sequenti signo decernet Petrum salvum fieri , consequenterque , &c . Urgetur , quod in aliquo signo est verum de præsenti , pro omni anteriori signo est verum de futuro : sed pro 2. signo est verum , Deum velle Petrum salvum fieri : erg . in antecedenti signo est determinatè verum , id volitum pro signo sequenti ; ac per consequens , &c . Resp . neg . antec . & ad probat . dicimus , quod pro illo priori neutra ex contradictorijs est determinatè vera , aut falsa , cum neutra habeat ex terminis determinationem ad esse , vel non esse , sed potius indifferentiam . Lex igitur contradictoriarum nihil aliud exposcit , nisi quod una sit determinatè vera , & altera determinatè falsa ; cumque pro illo signo nulla sit determinatio , nulla est inter propositiones affirmativam , & negativam contradic̄tio , sed omnimoda neutralitas , & indifferentia divisivè , tam in affirmativa , quam in negativa . Unde contradic̄tio non verificatur in signis præcisionum in illo enim priori naturæ , in quo homo consideratur secundum suam essentiam , nec verificatur , quod sit

fit risibilis , nec quod non ; sed præcisè consideratur essentia hominis . Sic similiter in illo 1. signo rationis altera pars hujus propositionis : Deus pro sequenti signo decernet , vel non decernet Petrum salvare ; nec erit determinatè vera , nec determinatè falsa . Ad confirm. disting. maj. quod in aliquo signo est verum de præsenti , est in anteriori verum de futuro , si sint signa positiva de futuro , conc. Si sint signa præcisia , neg. maj. Sicut in illo signo in quo producitur divinum Verbum , non dicitur , quod sit futurus Spiritus Sanctus ; præciso enim sive abstractio præcisia , non sufficit ad futuritionem .

5 Dices : Deus ante determinationem sive voluntatis cognoscit per scientiam conditionatam , quod creata voluntas sit volitura in his , aut illis circumstantijs : Ergo & per eandem scientiam cognoscit , quod volitura est sua voluntas in his , aut illis circumstantijs constituta . Resp. 1. neg. talem scientiam conditionatam . Attamen gratis admissa , resp. 2. neg. conseq. disparitas est , quod scientia conditionata respectu voluntatis creata supponit objectum suum , scilicet determinationem voluntatis creata independenter à divina voluntate , & sic habet tale objectum ( si datur ) verè esse

futuri ; at vero talis scientia respectu voluntatis divina non supponit objectum suum , scilicet determinationem divina voluntatis dependenter ab ipsa voluntate divina , à qua non potest intelligi pro futuro , sed solum de præsenti ; & ita per talem scientiam , si detur , potest Deus scire , quod voluntas creata sit volitura sub conditione ; non tamen potest cognoscere , quod voluntas divina sit volitura sub conditione , sed tantum quod sub conditione vult . Et hæc de quæstione .

## QUÆSTIO VII.

*AN SCIENTIA DE I TOL-  
LAT À REBUS CONTINGEN-  
TIAM?*

I **C**onclusio : De fide est , quod scientia , quam habet Deus de futuris contingentibus non tollit libertatem ad illa efficienda , & sic contingenter fiunt . Sic omnes Theologi contra aliquos Hæreticos . Prob ; nam de fide est , Deum certo , & infallibiliter præscire ab æterno futura contingentia , ut supra dicebamus : Et etiam de fide est , definitum in Trid. sess. 6. can. 4. & 6 : Hæc futura liberè , & contingenter à nobis fieri : g. de fide est , quod hæc duo , nempè , præscientia Dei ,

& contingentia rerum benè inter se compatiuntur, consequenterque, &c. Urgetur ratione, qua utitur D. Aug. 4. de Civit. Dei, c. 4. & lib. 3. de Libero, arbit. c. 4. & 5. Scientia Dei non potest se ipsam destruere, aut falsam reddere: Sed si divina scientia tolleret contingentiam rerum, se ipsam destrueret: g. &c. Prob. min; nam Deus sua scientia non solum scit hæc esse futura, sed etiam libere, & contingenter esse futura: g. se ipsam destrueret, aut falsificaret, si contingentiam rerum auferret.

2 Probat. 2. ratione à priori: quia necessitas consequentis non lædit libertatem, ut docuit D. Anselm. alibi citatus: Sed necessitas, quæ sequitur in futuris contingentibus ex infallibilitate præscientiæ Dei, solum est necessitas consequentis: g. necessitas, quæ sequitur ex præscientia Dei, non tollit libertatem, & contingentiam in rebus. Mai. est certa, & min. patet; tam ex superius dictis, quam ex infra dicendis: nam scientia visionis, qua Deus futura cognoscit, non est causa futuritionis rerum: immò potius futuritio rerum est ratio ex parte objecti, propterquam Deus futura cognoscit: ac proinde, res prius natura est futura, quam cognoscatur à Deo

scientia visionis, qua Deus futura cognoscit: g. necessitas, qua infertur ex divina præscientia futurorum est necessitas consequentis, & supponens contingentem rerum futuritionem. Urgetur; nam si propter præscientiam Dei tolleretur libertas à causis secundis, etiam tolleretur libertas à voluntate Dei: hoc nequit admitti: g. &c. Sez quella patet: quia sicut Deus cognoscit ab æterno, quæ à causis secundis efficienda sunt, ita, & quæ ipse in tempore operaturus est: g. si illa præscientia tollit libertatem, etiam ista.

3 Arg. 1. in bona consequentia, si antecedens est necessarium, etiam est necessarium consequens: sed in hac consequentia: *Deus fecit Joannem peccatum*: g. peccabit; antec. est necessarium: g. & consequens, nempè: *Joannes peccabit*: g. cum præscientia Dei non stat libertas, & contingentia in nobis. Resp: alijs solutionibus amissis, disting. mai: Si antec. est necessarium, etiam est necessarium consequens, eadem necessitate, conc.: diversa, neg. mai. & conseq. Cum ergo illud antecedens non sit necessarium simpliciter ex necessitate antecedenti, sed secundum quid, & necessitate consequenti, sive in sensu composito cum consentiu liberò Joannis, inde est, quod illud

Illud consequens, *Joannes peccabit*, non sit necessarium necessitate antecedenti, sed necessitate consequenti, & in sensu composito, quæ optimè stat cum expedito libertatis usu.

4 Arg. 2. Præscientia Dei Falli non potest: g. quidquid per illam præscitum fuerit, necessariò eveniet: sed omnia futura sunt præscita à Deo: erg. omnia eveniunt necessariò, ac proinde non contingenter. Resp. disting. conseq. Eveniunt necessariò in sensu composito, conc. in sensu diviso, neg. consequentiam, ut constat ex dictis. Dices: Hæc solutio videtur insufficiens; nam etiam illa, quæ necessariò eveniunt, in sensu diviso possunt non evenire; vg. illuminatio aeris facta à sole ex se potest non esse, licet ex suppositione lucis in sole, & sublatis impedimentis, necessariò eveniat; hæc enim suppositio est planè extrinseca, & antecedens illuminationem, & ea posita, non potest non esse illuminatio, ideoque necessaria est; similis autem suppositio, & sensus compositus in nostro casu; nam scientia Dei est planè extrinseca rei futura, illamque antecedit, & ea posita juxta solutionem datum, necessariò est res eventura: erg. est non minus necessaria, quam illuminatio solis, quod sufficit ad intentum hæretico-

rum: qui enim non intendebant probare necessitatem rerum secundum se, nam sic certum est nullum ens creatum esse necessarium in existendo, sed solum necessitatem ex connexione, & compositione cum infalibili Dei scientia.

5 Hoc tamen non obstante standum est in solutione data: unde dicimus, necessitatem sensus compositi non esse necessitatem. Prob. Quando illud, quod antecedit non immutat naturam consequentis ad illud, sed solum ex antecedenti, ita sequitur consequens, sicut postulat natura ipsius consequentis, nempe necessariò si suapte natura sit necessarium, & liberè, vel contingenter, si natura sua sit liberum, vel contingens; tunc illud antecedens non infert necessitatem in consequens: sed sic se habet scientia Dei respectu futuri contingentis; ipsa enim non immutat naturam ipsius, sed illud præscit Deus secundum suam propriam conditionem; ideoque ex hoc antecedenti: *Deus infalibiliter scit, Joannem peccatum, potius infertur, ipsum liberè peccatum, seu necessarium esse, quod liberè peccet, quia peccatum natura sua liberum est, & Deus scit, illud liberè futurum, ideoque ne fallatur scientia Dei, necesse est, illud fore.* Quam doctrinam de- clara.

clarat D. Aug. hoc manifesto exemplo; sic inquit: *Nam sicut tu peccare non cogeres, quem peccatum esse praescires, qui sine dubio peccaturus effet, ita Deus neminem ad peccandum cogens prævidet eos, qui propria voluntate peccabunt.* Hæc Aug. Et subdit: Sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt.

6 Pro plena intelligentia de concordia infallibilis præscientiæ Dei, & contingentia rerum, colliges ex dictis; 1. quod præscientia non facit, sed supponit rem præscitam esse talis naturæ. Ratio hujus est; quia priùs natura est aliquod ens talis naturæ, quām sit scibile, & priùs natura est scibile, quām sit præscitum: Ex quo sequitur, quod præscientia non facit, sed potius supponit rem præscitam esse necessariam, vel contingentem; quia contingentia, vel necessitas ex natura rei oritur, tanquam modus intrinsecus, sive connaturalis passio illius: erg. si præscientia supponit rem esse talis naturæ, etiam supponit illam esse, vel contingentem, vel necessariam.

7 Colliges 2. non magis necessariò est ex suppositione præscientiæ, quām ex suppositione sui ipsius, rem præscitam esse futuram. Unde sicut necessitas futuritionis ex suppositione

*Tom. I.*

ipsius futuritionis, non obstat contingentia illius, quia solum est necessitas, qua unumquodque, quando est, necesse est esse, ita necessitas futuritionis ex suppositione præscientiæ nil obstat eidem contingentia futuritionis. Patet; nam (ut diximus) præscientia non facit, sed supponit rem esse necessariam, vel contingentem, juxta proprium suæ contingentia, vel necessitatis modum: erg. non alio modo necessitatis res est futura ex suppositione præscientiæ, quām ex suppositione sui ipsius, ut futuræ.

8 Colliges 3. Præscientiæ infallibilitatem non consistere in eo, quod tamen præscientia, quām res præscita non potuerit alio modo se habere, quām se habent de futuro; siquidem res præscita potuit non esse futura; ac proinde potuit non esse præscientia de illius futuritione; sed consistere in eo, quod præscientia non possit rem aliter repræsentare, quām sit; & idèo si sit futura, non possit illam aliter repræsentare, quām ut futura. Ex quo patet futurorum contingentiam cum divinæ præscientiæ infallibilitate optimè componi; optimamque esse supra datam solutionem, nimirum, quod res à Deo præscita est necessaria in sensu composito, non tamen in sensu diviso; vel

Aa

est

est necessaria necessitate ex suppositione, seu contingentia, non verò absolute, & simpliciter.

9 Ex his constat, quod hic ordo statuendus est in præfiniendis futuris contingentibus. 1. enim divinus intellectus cognoscit in ordine universi posse dari causas secundas propriè agentes, tam naturaliter, quam liberè. In secundo instanti, his propositis voluntati, ità determinat, ut operentur secundum suum proprium modum, statuendo sic illis ita accommodari, ut cum qualibet illarum pro quolibet rerum ordine, juxta propriam exigentiam, & modum agendi concurrere velit. In 3. apprehendit ordines, in quibus quævis causarum poterit constitui, omnesque effectus, quos pro quolibet signo, ordine, seu dispositione agere poterit, non determinatè, sed sub neutralitate, & indifferentiâ: quibus sic inspectis, divina voluntas continet eminenter, seu virtualiter omnes prædictarum causarum determinationes possibles. In 4. instanti determinat concomitantem cum ipsis quidquid in particulari ipsæ causæ secundæ juxta proprium modum operandi in tempore intentivæ sunt. Hinc in 5. instanti ex prædictis decretis omnia futura sunt determinatè vera, & intelligibilia, & sic naturaliter in divina essentia cognos-

cenda subiiciuntur divino intellectui. Ac denique in 6. instanti, divinus intellectus in ipsa essentia illa perfectissimè cognoscit.

## QUÆST. VIII.

Utr. *DEUS OMNIA FUTURA contingentia conditionata cognoscat?*

I PRO intellig. quæst.  
præmittendum est 1. Quod futura conditionata dicuntur illa, quæ non sunt absolute futura, sed ex suppositione alicujus conditionis antecedentis, quæ in enuntiatione explicatur. Unde si talis conditio non ponatur in re, futurum conditionatum non erit, si vero ponatur conditio, aliquando ponetur futurum, aliquando non, juxta conditionem, & ex libera voluntate Dei. Quæ futura sunt in triplici differentia; alia enim sunt in quibus antecedens habet necessariam connexionem cum consequenti, ut ista: *Si Sol lucet, dies est. Si Petrus currit, mouetur.* Alia sunt, in quibus, & si antecedens non habeat necessariam connexionem cum consequenti, habet tamen aliquam conducentiam ad illud, liberam tamen, & contingentem; talia sunt hæc: *Si Petrus petierit elemosynam, Joannis erogabit illi, si Joannis audierit sermonem, con-*  
*der-*

*ventetur.* In quibus, quanvis antecedentia non habeant necessariam connexionem cum consequentibus, conducunt tamen aliquiliter. Alia sunt, in quibus antecedens nullam habet connexionem cum consequenti, eo, quod conditio nullum influxum, nec conducedit importet. Hujusmodi sunt ista: *Si Papa dormierit, turca convertetur; si Aquila volaverit, Ego sedebo.* Ubi dormitio Papæ impertinenter se habet ad conversionem Turcæ, sicut & volatus Aquilæ ad meam sessionem, cum nec physicè, nec moraliter conduceat ad illam; nam solùm denotat particula *si*, quandam concomitantiam ortam ex decreto Dei decernentis quandam coexistentiam inter conversionem Turcæ, & dormitionem Papæ; & inter volatum Aquilæ, & meam sessionem. Hæc dicuntur futura conditionata dispara-ta.

2 Præmittend. est 2. quod hæc præsens controversia, si procedit de conditionibus, in quibus antecedens habet necessariam connexionem cum consequenti, uti *si Sol lucet dies est;* hæc enim solùm grammaticaliter, & in nomine sunt futura; in se enim sunt possibilia, cum in illis copula non dicat existentiam, sed significet essentiam, & necessariam connexionem prædicati cum subjecto, quæ

(ut dícunt dialectici) abstrahunt à tempore. Unde hujusmodi futura cognoscuntur à Deo per scientiam naturalem, seu simpli-cis intelligentiæ. Solum ergo est difficultas circa futura conditionata secundi, & tertij generis; an, scilicet, certo, & infallibili-ter à Deo cognoscantur? Pro qua sit

3 Conclusio: Deus actu, & formaliter cognoscit omnia futura contingentia conditionata scientia omnino certa, & infalli-bili. Sic Scot. in 1. d. 41. §. *Sed contra istud;* & in 3. d. 21. §. *Ad quaestionem,* & alijs in locis, quæ m̄ sui discipuli sequuntur, & major pars, tam Thomistarum, quam Jesuitarum. Prob. ex Sa-cra Script. ubi Deus, & Prophætæ in ejus nomine multa pre-dixerunt futura conditionata, quæ nunquam fuerunt, & abs-dubio forent, si conditio pone-retur, Genes. 11. sic loquitur Deus: *Venite, confundamus lin-guam eorum, ut non audiat unusquis ue l'nguam proximi sui, cohererent ergo hoc facere, nec desistent ab operationibus suis, donec eas opere compleant.* Hic enim sciebat Deus, quod si non confunderet linguam eorum, opere completerent suas operatio-nes. Et 1. Reg. cap. 23. revela-vit Dominus David, quod si manisset in urbe Ceila, Saul ve-niret, & si Saul veniret, viri

Illi⁹ urbis eum Sauli traderent; & tamen neque ibi mansit, neque traditus est: erg. sciebat Deus il⁹lud futurum conditionatum, nempè, quod si David man-sisset in illa Urbe, Saul in illam veniret, & quod si iste veniret, ei traddendus fuisse⁹ David. Et Sap. 4. dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Ubi aperte ostenditur, Deum novisse juvenem illum, si supervixisset, peccaturum esse, & lapsurum in malum. Et Luc. cap. 10. dixit Christus Dominus, quod Tyrii, & Sydonii facturi essent pœnitentiam, si apud eos factæ fuissent virtutes, quæ ab ipso in Corozaim, & Bethsaïda factæ sunt. Pluraque alia his similia sacra pagina refert. De futuris etiam disparatis stat expressum testimonium, 4. Reg. cap. 13. ubi Eliseus in nomine Domini dixit Joas Regi: Si baculo percussisses terram quinques, aut septies, percussisses Syriam usque ad consummationem: ergo omnia futura conditionata cognoscit Deus.

4 Prob. 2. ex D. Aug. qui postquam inquisisset, cur Incarnatio tali tempore facta sit? sic respondet: Tunc Den⁹ illam voluisse, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum erant credituri. Idem docet lib. 1. de prædest. c. 9. & lib. 2. de bono perseverantiæ, cap. 10. docet;

quod præveniens gratia inter-dum negatur his, quos noverat Deus benè fuisse illa usuros, & datur illis, qui male illa utantur. Deinde, ibidem sic ait: *Sed numquid possumus dicere, etiam Tyros, & Sidones talibus virtutibus factis apud se credituros non fuisse, si fierent cum eis?* Quæ verba explicans D. Prosperus, sic inquit: „Nos etiam, si „rationem facti, & profundita- „tem judicij ejus penetrare non „possumus, manifestè scimus, & „verum esse, quod dixit, & juf- „tum, quod fecit.

5 Prob. 3. ratione; nam in hujusmodi futuris conditionatis altera pars est determinatè vera, & altera determinatè falsa: erg. cognoscitur à Deo altera per assensum, & altera per dissensum. Prob. antec. 1. quia eodem modo res se habent ad fore, & non fore conditionatè, sicut se habent ad fore, & non fore absolute; sed in absolutis futuris altera pars est determinatè vera, & altera determinatè falsa: erg. etiam in futuris conditionatis. Prob. mai. nam sicut inter fore, & non fore absolute non datur medium, sed altera pars est determinatè vera, ut jam dicebamus; sic inter fore, & non fore sub conditione, non datur medium, ut patet: erg. altera pars est necessariò determinatè vera ex determinatione causa-rum

rum, orta ex aliqua conditio-  
ne. Prob. 2. idem antec.; puri-  
ficatione conditione, altera pars est  
determinatè vera, & altera de-  
terminatè falsa; quia sic sunt si-  
cūt futura absoluta: g. ante pu-  
rificationem conditionis, altera  
pars est determinatè vera sub  
conditione, & altera sub condi-  
tione falsa. Prob. hæc conseq.  
nam eadem veritas, quæ purifi-  
catione conditione redditur abso-  
luta, erat anteà conditionalis;  
conditio enim, & si suspendat  
eventum, non tamen mutat ve-  
ritatem. Unde si factis miracu-  
lis in Tyro, & Sidone, esset  
determinatè vera hæc pars: *Ty-  
rij convertentur*, ante facta  
miracula; etiam esset verum,  
quod converterentur, si fierent:  
nec est possibile, quod una ve-  
ritas ab alia separetur, & si sit  
in diverso statu propter adven-  
tum conditionis: erg. &c.

6 Arg. 1. omnis conditio  
vera est necessaria: g. implicat,  
quod sit conditionalis vera con-  
tingens, ac proinde, quod ali-  
quod contingens conditionatum  
cognoscatur à Deo. Prob. antec.  
nam conditio per ly *si*, dicit  
iilationem prædicati à subiecto,  
sive consequentis, ex antece-  
denti sub tali conditione: sed  
implicat, quod antecedens sit  
verum, & consequens falsum:  
g. implicat prædicatum non co-  
pulari sub tali conditione cum

subiecto; & consequenter impli-  
cat connexio conditionalis vera  
contingens, sive non necessaria.  
Resp. neg. antec. ad cuius pro-  
bat. dicimus; quòd particula  
*si*, non semper significat illatio-  
nem necessariam; nam, ut no-  
tat Scotus, particula *si*, & su-  
mitur illative quando, nempé,  
consequens dicit necessariam  
connexionem cum antecedenti,  
ut *si Petrus currit, movetur*:  
& sumitur promissivè, quando  
denotat connexionem consequen-  
tis cum antecedenti ex volun-  
tate præmiantis, ut si viceris,  
dabo tibi calculum: & denique,  
sumitur conditionatè purè,  
quando, nimurum, ponitur ante-  
cedens contingenter, & omnino  
disparatè cum consequenti.

7 Arg. 2. Futura contin-  
gentia non habent determina-  
tum esse: g. non possunt certò  
à Deo sciri. Consequentia pa-  
tet; quia sicut res non futura  
non est cognoscibilis, ut futura,  
ita, quæ non est futura deter-  
minatè, nequit cognosci, ut de-  
terminatè futura. Prob. antec.  
quia, vel habent determina-  
tionem ad esse in suis causis, vel  
in se ipsis? Non in causis; istæ  
enim sunt liberæ, & indifferen-  
tes ad esse, & non esse effectus:  
sed neque in se ipsis; nam re-  
pugnat idem in se ipso esse si-  
mul determinatè, & indifferen-  
ter futurum, cum de ratione in-  
dif.

differentia sit indeterminatio: sed futurum conditionatum est indifferenter, seu contingenter futurum: g. nequit esse futurum determinatè: consequenterque &c. Resp. neg. antec. ad cuius probat. dicimus, quod futura contingentia habent determinationem ad esse in se ipsis ex suppositione decreti: posito enim divino decreto, quo Deus ab æterno vult, quod si talis conditio poneretur, sequeretur effectus, iam illud futurum habet certum, & determinatum esse. Ubi adverte, quod illa determinatio non repugnat contingentia ejus, sicut nec determinatio futuri absoluti repugnat ipsis contingentia; talis enim determinatio divina voluntatis non antecedit ordine causalitatis determinationem voluntatis creatæ, sed potius illam concomitantur: Unde futurum conditionatum posita determinatione divina voluntatis, solùm est necessarium necessitate consequentiæ in sensu composito, sive ex suppositione ipsius; quæ necessitas nullatenus labefactat indifferentiam, seu libertatem creaturæ, ut alibi supra dicebamus.



## QUÆSTIO IX.

Utr. *DEUS CERTO COGNOSCET futura conditionata ante actualē decretum sive divinæ voluntatis?*

**1** **U**T in hac difficultate majori, qua potuerimus, claritate procedamus, hanc quæstionem in tres secabimus Sectiones, quarum in 1. aliquibus ad illius enodationem præmissis, nostram mentem aperiemus, oppositamque impugnari connabitur. In 2. argumenti proponemus, illaque pro viribus dissolvemus. In 3. denique, aliqua breviter resolvemus dubia. Sit igitur:

### SECTIO PRIMA.

**IN QUÀ MENS SCOTICA defensatur.**

**2** **P**RO hujus controversiæ intelligentia præmitendum est 1. Non esse difficultatem præsentem de illis conditionalibus, in quibus antecedens habet necessariam connectionem cum consequenti, ut in illa propositione: *Si Sol luet, dies est*, hæc enim sine dubio Deus cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ omnne decretum actuale antecedit, cum

cum in tali propositione solum cognoscatur natura Solis; idem enim est dicere; *Si sol lucet, dies est*, ac dicere: *Sol ex natura sua est causa diei*. Immó nec præcipua difficultas procedit de propositionibus, in quibus antecedens disparatè se habet respectu consequentis, ut in exemplis præcedenti quæst. præiactis; Nam (etiam apud plures Jesuitas) ad veritatem istarum propositionum requiritur decretum actuale ex parte Dei decernentis coexistentiam simultaneam antecedentis, & consequentis; alias erunt omnino falsæ, cum non possint habere concomitantiam in existendo, nisi per decretum Dei: Unde plures Jesuitæ asserunt, has conditionales non cognosci à Deo per scientiam medium, quæ non supponit aliquod decretum actuale; sed per scientiam visionis, quæ tale actuale decretum supponit. Tota ergo difficultas procedit de futuris conditionatis, in quibus antecedens habet aliquam conducentiam respectu consequentis, ut in istis: *Si vocavero Petrum, consentiet. Si Evangelium prædicatum fuerit, Tyrii convertentur*. Ubi adverte, quod conditio sub qua præviditur consensus futurus potest esse duplex. Quædam infallibiliter connexa cum consensu, ut: *Si vocavero Joannem in tali occasione, & ipsi non deneremus meum*

*nem auxilio efficaci, consent et: quædam verò non infallibiliter connexa cum consensu, sed aliquando conducens ad illum, ut prædicatio, præviso miraculorum, & alia hujusmodi, quæ immediate non influunt, sed medio auxilio efficaci, quod confertur, ut voluntas ponat infallibiliter consensum.*

3. Præmittend. cùt 2. quod divina voluntas, duplicitate potest se gerere in eliciendo sua decreta, quibus actus liberi arbitrij creati efficaciter, & immo. libiliter statuat. Primo omnino absolutè, v. g. *Volo, quod Petrus convertatur*. Secundo, conditionatè, & hoc adhuc bifarium. 1. ut decernat taliter, quod decretum sit absolutum ex parte Dei decernentis; & conditionatum ex parte objecti creati, ut v. g. *Volo, ut Petrus convertatur, si tali pulsetur vocatione*. Ubi decretum est omnino absolutum ex parte Dei, nam absolutè inquit: *Volo, ut convertatur*: Objectum tamen non est absolutum, quia quanvis Deus absolutè decernat conversionem, non tamen absolutè ex parte objecti, sed conditione vocationis. 2. ita ut decretum nedum sit conditionatum ex parte objecti, verum etiam ex parte actus, ut v. g. *Si voluero vocare Joannem in tali occasione, & ipsi non deneremus meum*

*concursum, consentiet.* Quibus verbis non exercetur divina voluntas per aliquod decretum actuale a quo conversio Joannis decernatur. Unde si modus iste recte perpendatur, duo actus divinae voluntatis invenientur, non qui de praesenti sunt exerciti, sed qui exercebentur: Primus in illis verbis: *Si ego voluero vocare: Secundus in illis: Si voluero concurrere.* His praemissis, tota praesens difficultas stat in hoc: An, ad cognitionem prædictorum conditionatorum supponatur ex parte Dei, aliquod actuale decretum, vel solum supponatur decretum conditionatum, tam ex parte Dei, quam ex parte objecti creati? Circa quod;

4 Duplex est, ex diametro opposita, sententia. Prima affirmat huiusmodi futura conditio-  
nata a Deo cognosci per scientiam medium, nimurum, ante omne decretum absolutum actuale ex parte Dei; sed solum praesupponi ad illam decretum conditionatum: Sic Molina, 1. p. q. 14. art. 13. & omnes Je-  
suïte, quibus aliqui ex nostris adhaerent existimantes hanc sen-  
tentiam in doctrina Scotti esse probabilem. Secunda acerrime defendit talia futura conditio-  
nata non cognosci a Deo per scientiam medium, qua actuale decretum præcedat, sed cog-

nosci, prius supposito decreto actualiter exercito, & omnino absoluto ex parte Dei, et si con-  
ditionato ex parte objecti. Ita Subt. Doct. in 1. q. 39. l. 1., ad „ primum argumentum tertium „ quæst. vers. ad tertium; & d. „ 41. sed contra istud arguitur: quem sequuntur fere omnes sui discipuli; quod sentire etiam tuentes omnes Thomistæ, quos citat, & sequitur Joannes a Sancto Thoma, disp. 2. art. 3. Adverte tamen, quod quanvis Thomista nobiscum conveniant, in eo, quod determinatam veritatem in futuris conditionatis ante actuale decretum non admittant; ac proinde nec cognitionem illorum, quæ sit scientia media; disconveniunt tamen in assignando decretum, à quo fu-  
tura conditionata determinata gaudent veritate; illi enim sta-  
tuunt decretum antecedens præ-  
determinativum voluntatis crea-  
tæ, ratione cuius hæc physice prædeterminatur ad operandum; nos autem cum Mastri. & alijs Scotistis solum decretum concomitans determinationem voluntatis creatæ admittimus; vel ad magis decretum præde-  
terminativum moraliter tantum, & non physice, de quo postea. Pro hac igitur. Sit nostra

5 Conclusio: Deus cog-  
noscit futura contingentia con-  
ditionata, supposito decreto ab-

soluto ex parte actus , sive Dei decretantis , & conditionato ex parte objecti ; ac proinde scientia media est implicatoria , omninoque superflua . Prob. conclusio ratione Scotti loco cit. sic : Quidquid ab æterno transit de statu possibilitatis ad statum futuritionis contingentis , dicit ab æterno existentem aliquam rationem , seu causam talis transitus : sed conversio Tyriorum , v. g. sub conditione inspicendi miracula Christi Domini transit de statu possibilitatis ad statum futuritionis conditionata : g. ab æterno dicit existentem aliquam rationem talis transitus ; sed nulla alia est excogitabilis præter divinum decreto decernens conversionem illorum sub inspectione miraculorum : g. in hoc divino decreto actualiter exercito ntititur talis futuritio conditionata ; consequenterque prædictum decreto necessario debet præsupponi ad scientiam , sive cognitionem talis futuritionis . Prob. mai ; nam futurum conditionatum non est à se ipso sic futurum , alioquin subterfugeret causalitatem Dei in illo statu : g. assignanda est ab æterno aliqua causa illius transitus : sed ista est decreto Dei absolutum : g. &c. Prob. min ; quia Deus per suam scientiam supponentem solum pro motivo

adæquato essentiam divinam , tantum respicit ad possibile : g. ad futurum respicit per aliquid aliud ; sed nil aliud est assignabile præter decreto prædicatum : g. &c.

6 Nec valet , quod respondent Jesuitæ , nempè , causam illius transitus esse decreto , non absolutum , sed omnino conditionatum , cum enim objectum sit omnino conditionatum , etiam decreto debet esse conditionatum . Ratio huius est ; quia esse futurum conditionatum , nil aliud est , quam quod illud objectum esset extra statum possibilitatis , si talis conditio ponereretur , quarè non dicit ab æterno existentem aliquam rationem illius transitus ; sed ad summum dicit decreto conditionatum , per quod fit ille transitus conditionatus . Hæc responsio non valet , siveque contra illam insurgo : nam etsi si actu non detur existentia illius futuri conditionati , datur tamen actualiter transitus illius futuri , à statu possibilitatis ad statum futuritionis conditionata : ergo etsi ad scientiam conversionis Tyriorum , quæ tunc non datur , non requiratur decreto actum existens , sed tantum conditionat ; ad actualem tamen illum transitum non sufficit decreto conditionatum , sed requiritur ac-

tuale, & absolutum. Prob. consequentia ; quia effectus exigit causam cum ipso proportionatam : sed talis transitus de statu possibilis, ad statum futuritionis est effectus divini decreti, & alias actualiter datur ille transitus ; nam ab aeterno est verum dicere : actu, & formaliter conversio Tyriorum, sub conditione inspiciendi miracula, transit de statu possibilis, ad statum futuritionis conditionatus : erg. ad positionem praedicti transitus, non sufficit decretum omnino conditionatum, sed actuale decretum requiritur. Prob. conseq. quia decretum pure conditionatum, non est decretum, quod actu est, sed quod erit, si conditio ponatur : sed decretum, quod erit, & non est, nequit esse causa effectus, qui actu est : ergo decretum omnino conditionatum, non potest esse causa illius actualis transitus ; consequenterque, &c.

7 Urgetur hae impugnationem in effectu conditionato distinguenda est duplex formalitas, nempe, existentiae, & futuritionis ; & quanvis verum sit, quod existentia sit conditionata, id est, quae non est, sed erit, si ponatur conditio ; futuritio tamen non est conditionata, cum non sit futuritio, quae erit, sed quae actu est futuritio ; pro signo enim, pro quo est futurus con-

sensus conditionatus, est verum dicere sic : *Hic, & nunc iste consensus est futurus conditionatus* : non vero sic : *Hic consensus erit futurus conditionatus* : erg. quanvis ad existentiam non requiritur decretum actu, tunc existens, sed pure conditionatum ; tamen ad futuritionem, quae actu datur, non sufficit decretum, quod erit, sed decretum, quod est ; quemadmodum futuritio, non est futuritio, quae erit, sed quae actu est futuritio. Unde, quando adversarij dicunt, quod futuritio consensus est pure conditionata, sic distinguendum est : in ordine ad existendum, conc. in ratione futuritionis, neg. Quae distinctio satis ex dictis patet.

8 Dices : quod futurum conditionatum, non est futurum, quod est, sed quod erit, si purificetur conditio : Unde tunc actu, & formaliter non est transitus de statu possibilis, sed esset, si poneretur conditio. Sed contra est : Ergo nunquam datur futurum conditionatum ; ac proinde nec scientia media. Prob. conseq. per vos antequam purificetur conditio, non est futurum conditionatum : sed purificata conditione, non est conditionatum, sed futurum absolutum, ut patet : erg. juxta hanc solutionem, non datur futurum conditionatum, cum non detur ante,

ante , nec post conditionem. Dicces iterum : quod talis transitus actualis fit , per scientiam medianam ; quia eo ipso , quod talis consensus sit objectum talis scientiæ , transit de statu possibilis ad statum futuri conditionati. Sed contra sic insurgo : futurum conditionatum , in aliquo priori debet supponi ad talem scientiam medianam : ergo non fit per illam transitus de statu possibilis , ad statum futuritionis. Prob. anteced. Si sub illa conditione non esset futurus consensus , scientia Dei non cognosceret illum , ut futurum : ergo in aliquo priori intelligitur , ut futurus ante ipsam scientiam medianam , quemadmodum supra dicebamus , scientiam visionis non tribuere futuritatem absolutam objecto ; sicut enim valet : per scientiam visionis cognoscitur objectum , ut futurum , quia tale objectum est futurum : similiter etiam valet : per scientiam medianam cognoscitur objectum futurum sub conditione ; quia objectum sic est futurum. Unde inferre debemus , quod si futuritio absoluta supponitur ad scientiam visionis , etiam futuritio conditionata ad scientiam medianam.

9. Prob. 2. conclusio : non potest Deus certo cognoscere objectum , quod non est determinate verum ; sed futurum con-

tingens conditionatum ; non habet determinatam veritatem independenter à decreto actualiter exercito ex parte Dei : ergo non potest Deus certo , & infallibiliter cognoscere illud , independenter à tali decreto ; consequenterque , &c. Major est manifesta ; nam cum scientia Dei sit infallibilis , nequit versari circa objectum , quod est indiferens ad esse , & non esse. Prob. min. nam hoc objectum : *Consensus erit , si detur tale auxilium* ; non est determinate verum in se ipso , nec in suis causis creatis , nec in decreto omnino conditionato : ergo , ut habeat veritatem determinatam recurrentem est ad decretum actualiter exercitum ex parte Dei. Prob. antec. in primis non est determinate verum in se ipso ; nam consensus conditionatus non est , sed esset , si poneretur conditio ; ac proinde nihil determinatum habet ex se. Nec est determinate verum in suis causis creatis , nempé , in voluntare creata auxilijs præventa ; nam hujusmodi causæ secundum se , juxta Jesuitarum sententiam , sunt indifferentes , ut esset , vel non esset consensus , si daretur tale auxilium. Nec denique potest esse determinate verum in decreto omnino conditionato ; nam tale decretum conditionatum , tam ex parte actus , quam-

ex parte objecti , etiam pro tunc non est , sed esset , si pone-  
tur talis conditio : erg . &c .  
Ratio apriori est , quia veritas  
est passio entis , & consequenter  
enti proportionatur ; qua pro-  
pter ens , quod non intelligitur  
determinatum , nec intelligi po-  
test , ut habens determinatam  
veritatem ; ergo ad hoc , ut ille  
consensus sit determinate verus  
sub conditione talium auxilio-  
rum , recurrendum est ad decre-  
tum actualiter exercitum ex par-  
te Dei , ut tali objecto condi-  
tionato libero posset conferre  
veritatem omnino determina-  
tam .

10 Nec valet , si huic ratio-  
ni cum Jesuitis respondeas ; tale  
objectum esse determinate ve-  
rum in scientia Dei , ut intrin-  
secè connexa cum illo sub con-  
ditione talis auxiliij ; nam con-  
tra est : Scientia conditionata ,  
ut talis , non est scientia practi-  
ca , sed speculativa : erg . non  
est factiva sui objecti , sed illud  
supponit jam factum , habensque  
aliunde determinatam veritatem .  
Prob . antec . nam in tantum  
scientia conditionata , seu me-  
dia est practica in sententia con-  
triorum , in quantum remota  
potest causare conversionem , vi  
g . prout absolute existentem;  
dirigendo Deum ad positionem  
illius conditionis sub qua pra-  
visa fuit conversio : erg . quan-

do Deus ad positionem talis  
conditionis non dirigitur ; eo ,  
quod Deus decreto absolute con-  
versionem non decernit ; talis  
scientia minimè poterit practi-  
ca esse . Itaque , in sententia con-  
triorum , scientia conditionata ,  
non in tantum est practica , in quantum respicit fu-  
turum conditionatum , sed in quantum dirigit voluntate  
divinam ad electionem  
mediorum , ut liberè ponatur  
conversio : g . prout præcisè  
respicit futurum conditionatum , non præcedit prioritata  
causalitatis ad suum objec-  
tum g . objectum nequit accipere  
determinatam veritatem à de-  
terminatione scientiæ condi-  
tionatae : sed potius veritas determi-  
nata , in aliquo priori ad determi-  
nationem scientiæ conditionatae  
supponi debet .

11 Dices cum ipsis ; quod  
quanvis scientia conditionata  
sit speculativa , futurum tamen  
conditionatum potest accipere  
veritatem determinatam ab ip-  
sius terminatione ; nam & si in  
aliquo priori præsupponatur ad  
illam , non requiritur , quod  
supponatur , ut constitutum  
denominatione veri . Sed contra-  
sic insitgo ; in illo priori , per  
vos , supponitur objectum con-  
ditionatum ante scientiam condi-  
tionatam : g . in illo priori  
supponitur veritas illius objec-  
ti

ad hanc talam scientiam. Prob. consequentia; veritas objecti-  
va est passio entis: g. in illo priori, in quo intelligitur ali-  
quod ens, intelligitur veritas  
ne ipsius: sed in aliquo priori,  
atq[ue] altim, logico, objectum præ-  
supponitur ad scientiam con-  
ditionatam: g. etiam in illo  
priori, veritas ipsius objecti-  
præsupponitur ad ipsam scien-  
tiam conditionatam.

Prob. 3. conclusio:  
concursum Dei, & concursus  
creatüræ sunt indivisibiliter  
idem: g. non est cognoscibilis  
concursum creatüræ, ut po-  
nendus determinatè sub qua-  
vis conditione, nisi simul cog-  
noscatur Dei concursus sub ea-  
dem conditione determinatè  
ponendus: atqui sub nulla  
conditione potest cognosci con-  
cursus Dei determinatè ponen-  
dus, non supposito decreto ac-  
tuali, quo sic determinatè con-  
cursum ponere velit; alioquin,  
ut patet, posita conditione, etiam  
Deo nolente, poneretur concur-  
sus, quod implicat: g. impli-  
cat, quod cognoscatur concur-  
sus creatüræ sub quavis condi-  
tione determinatè ponendus, an-  
te decretum Dei de concurren-  
do cum creatura, sub eadem  
conditione. Urgetur excluden-  
do omnem adversariorum solu-  
tionem: decretum conditiona-

rum conferendi concursum vo-  
luntati creatüræ, si ipsa se deter-  
minaverit ad consensum, invol-  
vit implicationem in terminis:  
g. implicat cognoscere talam  
concursum in illo decreto condi-  
tionato. Prob. antec. nam im-  
plicat aliquid conferri sub con-  
ditione alicuius, quod præsta-  
ti implicat, sine eo, quod con-  
fertur; v. g. hæc conditionalis:  
*Si operaveris, dabo tibi existen-  
tiam; si audieris, dabo tibi  
auditum:* est omnino illusoria,  
& implicatoria, cum nec ope-  
ratio sine existentia, nec au-  
ditio sine auditu præstari possit:  
g. similiter implicat, concur-  
sum Dei conferri sub conditio-  
ne, quod velit operari creatura;  
velle enim operari, operatio est;  
operatio autem à concursu Dei  
intrinsecè dependet, & sine eo  
a creatura exhiberi, non potest:  
Ergo implicat, quod concur-  
sus Dei paretur creatüræ sub  
conditione, quod ipsa velit ope-  
rari; vel quod Deus prævideat  
operationem creatüræ, ut decer-  
nat exhiberi illi concursum. Ur-  
getur iterum: Deus, ut supra  
dicebamus, nequit prævidere  
suum decretum, & determina-  
tè ponendum, antequam actu  
ponatur: g. neque potest præ-  
cire determinationem voluntati  
creatüræ determinatè ponen-  
dam sub hac, vel illa conditio-

ne, antequam talis determinatio actualiter ponatur in esse, vel formaliter in se, vel virtualliter in causa prima Prob. conseq; non minus perfecte comprehendit Deus suam divinam voluntatem, quam voluntatem creatam; sed ex comprehensione voluntatis suæ non precognoscit suum decretum ponendum: g. neque ex comprehensione voluntatis creatæ potest precognoscere aliquam eius determinationem, ut determinatè ponendam.

13. Dices cum P. Molina; quod non valet paritas, nam ad præcognoscendam determinationem voluntatis, non sufficit comprehensio illius, qualis est in Deo respectu suæ voluntatis; sed requiritur supercomprehensio, qualis est cognitio respectu voluntatis creatæ. Sed contra est: nam cognitio, quatenus supercomprehensio, nil magis cognoscit in objecto, quod comprehendit, quam comprehensio; illa enim (si datur) tantum dicit excessum virtutis, qua magis in illo posset cognoscerre, si in ipso esset aliquid amplius cognoscibile; de facto autem nil magis cognoscit, quam quod est in eo, alioquin esset cognitio fallax, & erronea: g. si determinatio voluntatis est in ipso cognoscibilis, ut ponenda, non magis cognosceretur

in voluntate divina cum commensurata comprehensione, quam in voluntate creatæ per super comprehensionem: sed in illa cognoscibilis non est, g. nec in ista:

14. Ut autem manifeste apparet, quam immerito, aliqui Scotistæ scientiam medium defendant, dicentes esse iuxta mentem Scoti: accipe alias ipsius authoritates, in quibus scientiam medium aperte negat. Igitur in i. d. 28. litt. B. absolute inquit, quod omnis cognitio præcedens actum voluntatis est mere naturalis, etiam objectivè: Sed defensores scientiæ mediae non appellant illam mere naturalem, quatenus liberam determinationem voluntatis creatæ dicunt esse ejus objectum: g. Scotus non admittit scientiam medium. Deinde dist.

41. g. *sed contra* loquitur sic: Deus non prævidet istum bene usurum libero arbitrio, nisi quia vult, vel præordinat istum bene usurum eo; quia sicut dictum est dist. 39. certa prævisio futorum contingentium est ex determinatione voluntatis divinæ: Si ergo offerantur voluntati divinæ duo æquales in naturalibus, quare: quare istum præordinat bene usurum libero arbitrio; & alium non? Non est hujus, ut videtur assignare aliam rationem, nisi voluntatem

tem divinam , & hæc est i. distinctio inter eos , quam per te , sequitur electio , seu reprobatio . Hæc Scotus : Sed iuxta scientiam medianam ratio , qua Deus prævidit aliquem benè usurum libero arbitrio , non est , quia ipse Deus vult ; sed potius , quia antequam Deus vellet , prævidetur bonus ussus : g. omnia principia , quibus nititur scientia media , excluduntur à Doctore . Idem docet dist. 39. §. , sed „ contra rationes ; & alijs in locis , quibus constanter docet , quod quævis veritas de futuro contingenti pendet primario à determinatione causæ primæ .

## SECTIO II.

## IN QUÀ CONTRARIORUM

*Argumenta solvuntur.*

I ARG. 1. ex illo dicti Christi Domini Matth. 11. *Væ tibi Corozain , vae tibi Bethsaida , &c.* Ex quo sic formatur argumentum : Prædictio ista de pænitentia Tyrorum sub conditione , si præsupponeret aliquod decretum ex parte Dei , imprudentem , & irrationalem redderet increpationem Civitatum Bethsaïda , & Corozaim : sed hoc nequit dici : neque , quod de illo futuro aliud existat decretum . Prob.

mai. quia non est æqualis ratio in Iudæis illarum civitatum , ac in Tyris , & Sidonijs , siquidem de istorum conversione , & pænitentia erat voluntas , & decretum , non tamen de pænitentia illorum : g. imprudens esset increpatio Iudæorum , in comparatione Tyriorum , & Sidoniorum . Resp. 1. retorquendo argumentum contra sic arguentes : Ipsi enim fatentur , quod auxilium in ratione gratiæ magius est in eo , qui responderet , quam in eo , qui non responderet ; Unde si Tyri , & Sidonij responderent , & Iudæi non , major gratia erat illis conferenda , quam ipsis fuit collata : erg. imprudens videtur increpatio de non responsione istorum , per comparationem ad illorum responsionem . Videant ergo , qui sic arguunt , quid huic argumento respondeant , & hoc ipsum existiment nos respondere posse . Resp. 2. neg. mai. nam ut increpatio unius per comparationem ad alterum sit rationabilis , & prudens , sufficit , quod in utroque sit potentia ad id , quod ab eo exigitur ; quam quidem habebant Iudæi cum auxilio sufficienti , quanvis in eis non essent uberiora auxilia , præferrim in ratione gratiæ ; nam etiam in die Iudicij Christus D. exprobabit reprobos per comparationem ad prædestinatos , & si ipsis ,

istis majora auxilia sunt collata, tara esse posita conditione, quam illis.

16 Arg. Ex decreto resultat nova relatio, saltim rationis, sed implicat, quod talis relatio resultet, quin unum ex extremis aliter se habeat post decretum, quam ante decretum: g. si ponitur decretum, debet mutari, vel Deus sic decernens, vel creatura decretata: sed creatura non mutatur, cum ex tali decreto conditionato nulla tribuatur ei existentia realis in tempore, magis, quam si non esset sic decretata: erg. mutator Deus: sed hoc implicat: g. & decretum a nobis assignatum. Resp. neg. min. subsumpt. nempē, quod ex tali decreto non mutatur creatura, saltim objectivē; nam extrahitur a statu merē possibilitatis, & sit verē futura sub conditione; quod esse futurum non habebat ante tale decretum. Neque ista est specialis difficultas in decretis conditionatis: nam similiter absoluta decreta sunt ab aeterno sine mutatione reali objectorum ab aeterno, siquidem ab aeterno non existunt: sufficit mutatione objectiva, ut sine mutatione Dei possit stare decretum; nam sicut futura absoluta non existunt ab aeterno, & tamen ab aeterno habent extitura esse in tempore, sic conditionata, licet non existant sine conditione; habent tamen ex decreto exti-

luntatis creata reduplicativē, ut talis, solum dicit ordinem ad ipsam voluntatem creatam, ut operantem: sed ordo ad unam causam non penderet ab alia, si quidem ordo, seu relatio a suo termino penderet: erg. determinatio voluntatis creata, ut talis non penderet a determinacione voluntatis divinae: sed quod in essendo est independens, etiam est in cognosci: g. concursus, seu determinatio voluntatis creatæ, ut talis, cognoscibilis est independenter a concursu, & determinatione voluntatis divinae: proindeque non requiritur decretum absolutum ex parte Dei, ut fututum conditionatum cognoscatur. Ref. dist. mai. Concursus, seu determinatio voluntatis creatæ, ut talis, tantum dicit ordinem ad ipsam voluntatem creatam, ut ad terminum suæ habitudinis, conc. ut ad suam causam effectivam, neg. mai. Distinguuntur etiam minor: ordo ad unam causam non penderet ab alia, ut a termino formaliter specificativo, conc. ut a termino a quo, in genere efficientis penderet, neg. min. & conseq.

18 Explicatur hæc solutio: concursus voluntatis creatæ fundamentaliter sumptus pro absoluto fieri effectus est unus, & idem

Idem cum concursu Dei , ac prius implicat sine illo cognoscit. Si vero sumatur formaliter pro relatione effectus ad causam , verum est , quod sicut causa 1. & 2. non sunt una , & eadem ; sed diversa ; sic effectus diversis tendit relationibus ad ipsas : unde relatio , quæ est ad causam secundam non est eadem ad primam ; hoc est , ut ad terminum specificativum formaliter : attamen cum ipsa relatio , etiam formaliter sumpta , sit creatura , necessario respicit causam primam realiter causantem omnem creatum ; ideoque concursus creaturæ , quomodo cumque sumatur , necessario supponit decretum Dei , quo vellet creaturam secum indivisibiliter concurrere ad operationem ; & consequenter dari esse , ex ipsaque operatione necessario resultant relations ad causam primam , & secundam indivisibiliter ipsam causantes.

19. Ut alia argumenta facile disolvias advertere debes , quod propositio de futuro contingentí non præcedente divinæ voluntatis decreto , relinquitur neutra , ita , ut quasi suspensa maneat , quousque à superveniente volitione divina illi vertitas , aut falsitas determinata ex conformitate , vel deformitate futuritionem , vel non futuritatem .

nem accedat. Unde pro illo signo rationis , in quo huiusmodi complexa conditionata divino conferuntur intellectui , ante cœlicæ divinæ voluntatis decretum , quævis ex duabus contradictionijs est non determinatæ conformis suo objecto , seu neutra ad conformitatem , & deformitatem ; non tamen est determinatæ diformis ; nam latius patet non conforme , quam diforme ; cum enuntiatio in statu neutrō , qui antevertit divinæ voluntatis decretum sit non determinatæ conformis , non vero determinatæ diformis objecto futuro. Veritas enim , & falsitas pro illo priori ante decretum non habet subjectum habile , in quo determinatæ sit , ut patet.

20. Dices : propositiones de futuro contingentí conditionato non habent determinatam veritatem , vel falsitatem ante actualē decretū divinæ voluntatis erg. inter illas non datur contradic̄tio : hoc est falsum : g. &c. Resp. neg. conseq. Nam propositio negativa negat totum , quod altera affirmat , sub inde terminatione tamen , & indifferencia ad oppositum , vg. ista complexio : Si venerit amicus , databor ; negat istam alteram : Si venerit amicus , non databor. Hæc enim negat , quod illa affirmat ; sed tamen non obiat , ut utraque enuntiatio exprimat.

objectum cum indifferentia ad oppositum : quare , sicut supposito transitu objectivo facto per decretum , propositio de futuro conditionato exprimit objectum fore , vel non fore , determinate ; ita ante talem transitum exprimit fore , vel non fore , indeterminate tamen , & cum indifferentia : & sic bene potest contradic̄tio dari .

## SECTIO TERTIA.

*IN QUA ALIQUA DUBIA  
circa scientiam medium endantur.*

21 **D**ubitabis 1. (ut ea, quae in præcedentibus diximus melius intelligantur;) utrum in Deo ponenda sint infinita decreta circa infinitas combinationes futurorum , quæ fieri possunt cum conditionibus etiam disparatis ? Resp. affirmat. nemp̄ , dari in Deo infinita decreta de talibus futuris. Ratio hujus est ; quia divina voluntas , ut poterit infinitè perfecta circa nullum objectum volibile , aut nolibile potest manere suspensa ; Sed de omnibus necessario habet velle , aut nolle : Sed quodlibet objectum , sub quibuscumque conditionibus , tam prudentibus , quam disparatis est volibile , aut nolibile : g. circa quodvis objectum , sub quavis conditione ,

est necessario in Deo actuale decretum de ejus futuritione , aut non futuritione ; & consequenter , circa infinitas combinaciones , infinita sunt decreta. Dices: non est hominis prudentis determinare de rebus , quæ ad prudentiam non spectant : Sed sic se habent futura disparata: g. de istis non debet poni decretum in Deo. Resp. neg. conseq. & parit. argumenti , inter voluntatem divinam , & creatam. Discrimen ergo est ; quod cum voluntas creata sit libera , & possit suspensa manere circa objectum , solum illud potest determinare , quod ad prudentiam spectat : Voluntas autem divina , cum non possit manere suspensa circa aliquod objectum , necessario omne objectum , sive futurum , sive non futurum sit , sub quavis determinatione , determinat. Adde , quod ad Dei providentiam spectat decernere , quod eventurum est , quavis supposita conditione.

22 Dubitat. 2. An , circa futura absoluta , quæ Deus decretivit absolute fore , prius habuerit Deus decreta conditio- nata , sub eisdem conditionibus , sub quibus de facto eveniunt? Resp. 1. cum nostr. Felice ; non esse necessarium ponere in Deo tale decretum conditionatum ; nam ex decreto absoluto optimè salvatur divina providentia :

sub-

subiungit tamen ipse, id non implicare: nam potest quodvis futurum decerni sub conditione possibili, & postea decreta ea conditione fieri absolute futurum. Dicimus tamen 2. iuxta superius dicta; quod ex eo, quod sit possibile hujusmodi decretum conditionatum, necessario ponendum est in Deo; ne ejus voluntas suspensa maneat circa aliquid volibile; si enim Deus voluntate antecedenti voluntate omnes homines salvos fieri, quod nequit intelligi, nisi sub conditione meritorum; & postea circa prædestinatos habuit decretum absolutum: g. de eodem, de quo postea est decretum absolutum, fuit antea decretum conditionatum: eo, vel maxime; quia in illo priori signo, Objectum est volibile, aut nolabile sub tali conditione: & cum divina voluntas suspensa manere nequeat, hinc est quod *velle*, aut *nolle*, necessario debet.

23 Dubitat. 3. an scientia, qua Deus cognoscit futura conditionata sit scientia visionis, an simplicis intelligentiae? Pro hujus dubij solutione nota, quod conditiones, sub quibus fieri solent enuntiationes, quod aliquid sit conditionate futurum sunt in duplice differentia; quædam enim ex natura sua nullam habent connexionem cum

futuris, & omnes enuntiationes, quæ sub his conditionibus fiunt nequeunt habere certam, & determinatam connexionem cum futuris conditionatis; ac proinde, neque certam, & determinatam veritatem, nisi ex vi alicujus actualis, seu abso-luti decreti ex parte subjecti, quo Deus decreverit, quod sit futurum liberum, in hypothesi, quod ponatur talis, vel talis conditio. Tales sunt hæc enuntiationes: *Si Adamus non peccaverit, decerno, quod justitia originalis in posteris transfundatur.* Et illud Ezech. *Si vaculo percutias terram sexies, aut septies, decerno, quod percutias Syriam usque ad consummationem.* Quo notato Resp. ad dubium; quod scientia, quam habet Deus, de hujusmodi futuris conditionatis liberis inter scientias liberas, seu visionis est numeranda. Ratio hujus est; quia necessario hæc supponit decretum liberum Dei actuale, & absolutum ex parte subjecti; & solum conditionatum ex parte objecti; sed scientia necessario supponens hujusmodi decretum est scientia visionis: g. &c.

24 Aliæ vero sunt conditiones, quæ ex se, & ex natura sua habent connexionem eti liberam, infallibilem tamen cum futuris conditionatis libe-

ris, quæ sub illis enuntiantur, & sic non indigent aliquo decreto actuali Dei, & absoluto ex parte subjecti, à quo recipiant connexionem. Hujusmodi sunt, tam in D. Aug. quam in D. Thomæ, & Scoti sententia, sanctæ cogitationes (quas appellamus congruas respectu bonorum operum;) & respectu operum pravorum, tentationes, (quas appellamus graves) Omnes ergo enuntiationes, quæ sub his conditionibus sunt, habent certam, & determinatam veritatem, etiam secluso decreto actuali ex parte Dei, sed sufficit ad hoc decretum conditionatum etiam ex parte subjecti. Hujusmodi sunt istæ: *Si derrevissim dare Petro talem, vel talem cogitationem congruam, & non denegarem illi meum concursum, Petrus convertereatur.* Item: *Si insurgeret in Petro talis, vel talis tentatio gravis, & ego non succurrerem ei speciali gratia, Petrus succumberet temptationi.* His prænotatis, dicimus consequenter scientiam, quam Deus habet de his futuris, non esse inter scientias liberas, seu visionis; sed inter scientias naturales, seu simplicis intelligentiarum numerandam. Sic Nost. illustrissimus Merlin. disp. 4. q. 3. Ratio hujus est: quia connexionis infallibilis, quam habent istæ conditiones cum fu-

turis, quæ sub illis enuntiantur; & ratione cuius sicuti habent prædictæ hypotheticæ, quod sint bona, & legitima consequentia; ita, & quod sint certè, & determinatè veræ, non provenit eis ex aliquo pacto, seu decreto actuali, & absoluto ex parte subjecti, sed potius ex natura sua; ut ergo dicitur in materia de auxilijs, auxilium efficax infallibiliter connectitur cum consensu, ad quem conferatur: ergo comprehendendo Deus, sicut de facto comprehendit naturam, & vim harum conditionum per scientiam simplicis intelligentiarum, nihil aliud erit requisitum ad hoc, ut Deus per prædictam scientiam, certè, infallibiliter, & determinatè cognoscat hæc futura conditionata.

25 Dubitatib[us] ultimò: utrum hæc scientia dicenda sit absoluta, an conditionata? Resp. quod licet hujusmodi scientia non terminetur ad futurum absolutum, absolute tamen terminatur ad futurum sub conditione: Conditio enim se tenens ex parte objecti non refunditur in actum: g. talis scientia est absoluta. Pro huic intelligentia nota, quod propositio hypothetica continet duas cathegoricas, quarum una vocatur antecedens, & alia consequens, ut hæc: *Si Sol lucet, dies est: continet istas: Sol lucet, & dies est.* Utraque cognosci-

etiam absolute , et si consequens cognoscatur cum ordine ad antecedens : unde non absolute , quatenus absolutum opponitur comparativo , sive dependenti , sed quatenus absolutum opponitur conditionali : quod magis patet in Syllogismo , sive in consequentia categorica , ubi nemo dicit , consequens esse conditionale , sed absolutum , licet habeat connexionem cum antecedenti. Idem est in antecedenti , & consequenti propositionis conditionalis , quæ non est aliud , quam quedam consequentia ; hoc solùm intercedente discriminé , quod antecedens propositionis conditionalis non affirmatur , quemadmodum affirmatur antecedens propositionis categoricæ ; sed solùm sub conditione illud ponitur , qua supposita , tamen absoluta est consequentia in propositione conditionali , quam in syllogismo categorico : & sic scientia terminata ad consequens est absoluta , quanvis scientia totius complexi sit conditionalis ; neque enim est confundenda scientia consequentis , cum scientia antecedentis , sive totius complexi conditionalis : in quo plures ex RR. decipi solent. An , & quomodo Deus cognoscat impossibilia , privationes , & negationes ? jam satis fusé diximus in Logica , disp. 1. proœmiali , quæst. 7. Et hæc de Quæstione , & Disputatione .

## DISPUT. IV.

## DE DIVINA VOLUNTATE.

**S**icut appetitus sequitur boni apprehensionem , ita voluntas cognitionem , seu intellectionem. Per voluntatem Deus omnia operatur , sicut per intellectum cuncta videt ; à voluntatis nutu pendent omnia quoad esse , in conservari. Postquam ergo de intellectu divino diximus , jam de divina voluntate venit dicendum. Pro quo sit

## QUÆST. I.

*AN SIT , QUID , ET QUO-*  
*tuplex voluntas in Deo?*

**I** **C**onclusio 1. In Dō datur vera , & propria voluntas. Hæc conclusio est de fide. Probat. ex Psalm. 113. *Omnia quæ umque voluit fecit.* Matth. 6. *Fiat voluntas tua.* Roman. 9. *Voluntati ejus quis resistet.* Et cap. 12. *Reformamini in novitate sensus vestri , ut probatis , quæ sit voluntas Dei bona , ben placens , & perfecta.* Id ipsum constat ex pluribus alijs locis , etiamque confirmant omnia illa Concilia , quæ adversus Monathelitas decreverunt duplum in Christo Domino voluntatem , divinam , scilicet , & hu-

manam. Prob. etiam ratione Subtil. nosf. Doctoris in r. dist. 2. quæst. 2. s. Ostenso. Primum agens debet esse intelligens, & volens: sed Deus est primum agens: erg. &c. Præterea, aliquid causatur contingenter: erg. prima causa contingenter causat: erg. volens causat, quia nullum est principium operandi contingenter, nisi voluntas. Prima consequentia patet; nam causa secunda non agit, nisi in qua tem movetur à prima: erg. si prima non ageret contingenter, seu voluntariè, sed necessariò, tolleretur omnis congenititia à rebus, & quæcumque possent produci, simul producerentur; quæ omnia sunt manifestè absurdia. Ulterius; perfectissimo agenti tribuendus est perfectissimus modus operandi: Atqui talis est agere per intellectum, & voluntatem: erg. &c. Prob. min. quia agens sine intellectu; & sine voluntate, non agit cum dominio suorum actuum, nec dirigit se, sed dirigitur ab alio: agens vero liberum se ipsum in finem dirigit, & habet dominium in suis actibus: ergo hic modus agendi per voluntatem est perfectissimus, perfectio simpliciter simplex, ac per consequens Deo tribuendus est.

2. Solum controvertitur: an voluntas sit in Deo per modum actus primi, seu per modum po-

tentia? Circa quod partēm affirmativam tuentur omnes Scotistæ, & pater ex dictis de intellectu; quia scut intelligere supponit intellectum constitutum in ratione intellectus; sic velle, seu volitio supponit voluntatem in ratione voluntatis, seu potentiaz, quæ tamen potentia numquam destituta est suo actu: & sic non est imperfecta. Quidquid contra hoc potest objici, facile solvitur ex dictis Disp. antecedenti.

3. Prob. 2. quod inquirit quæstio, est advertendum, quod voluntas divina tripliciter potest considerari. 1. Ut est essentialis ad intra; quatenus competit Deo, qui ut Deus est, amat suam essentiam. 2. Ut est notionalis ad intra; quatenus est in Patre, & Filio, qui per eam producunt Spiritum Sanctum. 3. Ut est essentialis ad extra; in quantum consideratur in Deo, qui vult creaturas. Hoc notato sit

4. Conclusio 2. Voluntas divina, ut essentialis ad intra, est potentia vitalis intellectualis, quæ per amorem ferri potest, & fertur actu circa essentiam divinam, & alia quæ sunt formaliter in illa. Voluntas divina, ut est notionalis ad intra, est potentia vitalis, intellectualis, productiva amoris infiniti, nimirum Spiritus Sancti. Voluntas divina, ut est essentialis ad extra, est potentia vitalis intellec-

realis libere, & contingenter determinans de creaturis. Hæc concl. nulli debet esse dubia; nec alia probatione indiget, quam intelligentia terminorum.

5. An autem voluntas divina sit potentia formaliter ex natura rei distincta, tam ab essentia, quam à sua volitione actuali? Affirmant Scotista cum Subt. Doct. in 4. d. 13. q. 1. ubi ait: *Deus est simpliciter beatus in operationibus intellectus, & voluntatis suæ; non est autem simpliciter beatus in essentia, ut est infinita, nisi eam comprehendat.* Et sicut intellectus comprehendit videndo, ita voluntas suo modo oportet, quod comprehendat amando, ad hoc quod sit perfectè beata: & per consequens utraque potentia, & utrumque actus utriusque potentiarum circa essentiam divinam, ut perfectè se beatificat, erit infinitus. Hucusque Doct. quibus verbis, tria docet: 1. quod intellectus, & voluntas formaliter ab essentia distinguantur: 2. quod habeant rationem actus primi, seu potentiam operativam: 3. quod utraque potentia à suo actu formaliter distinguitur, scilicet, intellectus ab intellectione, & voluntas à volitione actuali. Confirm. nam essentia est conceptibilis seorsim à voluntate, & actibus ejus, & voluntas seorsim ab essentia, & actibus suis, &

singulis convenienter prædicara contradictionia; v. g. Voluntas est operativa, & spirativa, non verò essentia; voluntas est communis tribus personis divinis, non autem spiratio, &c. Ergo voluntas, essentia, & actus voluntatis Dei distinguuntur formaliter ex natura rei.

6. Conclusio 3. Unica, & indivisibilis est divina voluntas; & unica, & indivisibilis formalitas est volitio divina; terminativè autem est multiplex. Hæc conclusio est communis. Quod sit una in se, patet ex Subt. Doct. dicente, quod sicut voluntas nostra potest diversis volitionibus tendere in diversa volubilia, ita voluntas divina potest unica volitione simplici illimitata tendere in quæcumque volubilia: erg. &c. Confirm. quia sicut essentia divina est summe simplex, ita est summe simplex divina voluntas, & volitio divina; atqui multiplicitas voluntatum, & volitionum repugnat huic summe simplicitati: erg. &c. Quod autem sit multiplex objectivè, seu terminativè, constat ex omnibus Theologis, varias divisiones assignantibus; constatque ex Sacra Scriptura; nam propter varios effectus, quos habet, illam appellant multiplicem, ut Psalm. 110. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Sicuti propter varie-

tatem effectuum divinae misericordiae, & justitiae, utraque dicitur pluraliter, ut Psalm. 88. *Misericordias Domini in eternum cantabo. Et Psalm. 18. Justitiae Domini rectæ.*

7. Primo igitur dividitur divina voluntas in voluntatem beneplaciti, & in voluntatem signi; voluntas beneplaciti est actus proprius voluntatis divinae, quo vult Deus aliquid, v. g. condere mundum, damnare Judam, & salvare Petrum. Voluntas signi non est propriè actus voluntatis, sed est signum aliquid posterius voluntate, quo significat Deus se velle, aut nolle aliquid; ut quando præcipit, aut consulit aliquid, signum est, quod illud velit. Appellatur autem voluntas metonymicè, quatenus sumitur signum pro re significata. Sic testamentum dicitur voluntas testatoris, quia est signum voluntatis ejus. In hoc etiam sensu dixit Apostolus ad Thesalon. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra;* quia sanctificatio nostra non est ipsa voluntas Dei formaliter, sed signum voluntatis divinae, qua vult nostram justificationem. Et dicitur quinque modis, quia quinque sunt signa divinae voluntatis; videlicet, præceptum, prohibitio, permissione, consilium, & adimpletio, quæ communiter hoc verbum significantur: *Præcipit, & pro-*

*bibet, permittit, consultit, implet.*

8. Voluntas beneplaciti, sub dividitur in absolutam, & conditionatam; seu in ultimatam, & non ultimatam. Voluntas absolute, & ultima est, quæ habet infallibilem connexionem cum existentia objecti, vel exerceita, vel exercenda infallibilitatem. Hanc voluntatem vocat Div. Aug. invictam & de illa dixit Apost. ad Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistet?* Et Esther 3. *Non est, qui tue voluntati possit resistere.* Et Psalm. 113. *Omnia quacumque voluit fecit.* Voluntas beneplaciti non ultimata, seu conditio-pata est, quæ actu est in Deo ex parte actus; sed dependet existentia rei volitæ ab aliqua conditione ex parte objecti. *Sic vult Deus, omnes homines salvos fieri.* 1. ad Timoth. cap. 2. in qua locutione, inquit Ambros. conditio latet, si accedant ad eum; si & ipsi velint; & Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* ubi exprimitur conditio voluntatis conditionata, qua dicit: *Volo, ut omnes servent mea precepta, si velint esse salvi.* De hac etiam voluntate intelligitur illud Matth. 22. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas,* & noluiti.

9. Advertendum tamen est,

cum nost. Mastr. in 1. disp. 4. de Divin. Voluntate, quæst. 5. num. 94. cum Ant. Perez, tom. 1. disp. 7. de Divin. Volunt. scđt. 2. & 3. contra ferè omnes Jesuitas, quod hæc voluntas non dicitur conditionata ex parte actus, seu ex parte Dei volentis, ita ut vocabulum conditionata voluntatis significet conditionem, quæ posita, esset in Deo voluntas salvandi omnes, & ut præcepta servarent; quia talis conditio suspendit actum voluntatis, nam actus qui esset posita conditione, non est, nisi ponatur conditio, ut per se patet; at vero circa omnium hominum salutem, & circa præceptorum observantiam non habet Deus actum suspensum; sed habet actum positivum de præsenti, qui his conditionalibus exprimitur: *Volo, ut omnes servent mea præcepta, si velint esse salvi; volo ut omnes salvi fiant, si ipsi velint, & non impediunt.* Unde hæc voluntas conditionata, dicitur tantum conditionata ex parte objecti, seu ex parte rei volitæ à Deo; non tamen est conditionata ex parte subjecti, seu ex parte Dei, nec ex parte actus.

**I**RO Hoc, meo videri, suadetur efficaciter à nost. Antonio Perez cit. ex textu Matth. *Quoies voluit congregare filios tuos: & noluiisti!* Ubi plane significa-

tur piissima, & vera voluntas Dei circa congregationem Hebreorum per contritionem, & paenitentiam. Id ipsum constat in alijs Sacrae Scriptura locis, ubi sàpè repetitur, Deum nolle mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat, & per hanc voluntatem omnes invitat ad misericordiam consequendam; erg. habet veram, & actualē voluntatem salvandi omnes. Urgetur; Deus antecedenter, seu quantum est ex se, magis vult conversionem, & salutem peccatoris, quam impenitentiam, & damnationem ejus; atqui, si nullatenus vult actu, & verè, non potest velle magis vitam, quam mortem, ut ex se patet: erg. &c. Confirm. Si Deus actu, & verè non haberet voluntatem circa paenitentiam, & salutem omnium hominum, absolutè posset proferri oppositum Sacrae Scripturæ, scilicet Deum non magis velle conversionem peccatorum, quam non conversionem: atqui hoc est absurdum; erg. &c.

**I**I Confirm. 2. Quotiescumque Sacra Scriptura potest intelligi in sensu proprio, absque ullo inconvenienti, non debet exponi in sensu metaphorico, & impropio, ut cum D. Aug. sentiunt omnes Theologi: atqui, nullum sequitur inconveniens in eo, quod præfati textus, &

alij similes intelligantur de vera, & propria volitione Dei circa salutem omnium : g. &c. Respondent ; quod est inconveniens , & valde absurdum ut aliquid eveniat contra veram, & propriam voluntatem Dei, quæ est omnipotens ; & de ratione voluntatis omnipotentis est facere omnia quæ vult ; & idéo dicitur ; omnia quæcumque voluit fecit. Sed contra est : quia ineptè adducunt tale absurdum ; nam illud, omnia quæcumque voluit fecit , & similia , absque ullo inconvenienti possunt intelligi de voluntate absoluta , ultima , & efficaci , & hoc sufficit , ut sit omnipotens ; quin debeant intelligi de voluntate conditionata ex parte objecti , seu termini : g. nullum debet censeri absurdum ex eo , quod quam plura eveniant contra voluntatem Dei conditionatam ex parte objecti. Explicatur hoc : quod eveniat contrarium voluntati Dei, non est imperfectio in Deo; si quidem , ut inquit Damascenus , ex nostro vitio , ortum ducit : atqui , quod oritur ex nostro vitio , non est imperfectio in Deo , nec Deo imputari debet , ut per se patet: g. &c. Deinde ; quando homines peccant , vel faciunt contra voluntatem Dei , vel non ? Si faciunt ; g. non est absurdum,

quod aliquid eveniat contra voluntatem Dei , & habemus intentum. Si non faciunt contra voluntatem Dei , cur non reputant , ut maius absurdum, ut sint peccata operationes hominum , quæ non sunt contra voluntatem Dei?

12 Denique Deus præbet auxilia sufficientia omnibus peccatoribus , etiam reprobis, & sæpe gratiam habitualem, tam in Sacramento Baptismi , & penitentiæ : atqui hoc nequit esse, nisi ex voluntate propria , & vera dandi gloriam , licet conditionata ex parte objecti , si perseveraverit usque in finem: g. &c. Mai. est certa , Probat. min. auxilia sufficientia , & gratia sanctificans , seu habitualis sunt media ad salutem consequendam : Atqui , media ponuntur ex volitione vera , & propria finis : g. Deus præbens media ad salutem omnium , vult propriæ , & vere omnium salutem. Confirm. id , quod secundum se bonum est , volibile à Deo est : Atqui couversio , & pænitentia omnium peccatorum , & æterna salus eorum , secundum se bona est : g. à Deo volibilis est. Sed Deus dicit , se velle hoc, quod in se bonum , & volibile est : volo omnes homines salvos fieri , & ad agnitionem veritatis venire : g. tenendum est, quod ita vult , conversionem &

& salutem omnium volitione propria, vera, & absoluta quantum est ex parte Dei, licet conditionata ex parte hominum seu ex parte objecti.

13 Alia divisio traditur à Theologis voluntatis divinae, in voluntatem antecedentem, & consequentem; antecedens est, qua Deus vult aliquid quantum est ex se, tribuendo media sufficientia ad illius consecutionem. Consequens est; qua absolute, & efficaciter vult Deus aliquid, spectatis omnibus ad effectum requisitis etiam ex parte nostra concurrentibus. Pro utraque voluntate aferunt exemplum in mercatore, qui voluntate antecedente, vult omnes suas merces salvas esse; voluntate autem consequente, vult efficaciter eas proijcere in mare consideratis circumstantijs periculi, in quo versatur: Sic etiam vult Deus damnare Judam spectata illius prodictione, & finali impunitentia; attamen habebat voluntatem antecedentem salvandi illum, si non esset proditus, nec finaliter impunitens.

14 Quarta divisio, & quidem omnium præcipua, est in voluntatem efficacem, & voluntatem inefficacem; efficacem vocant, quæ semper impletur, & impediri non potest, saltem moraliter; de qua explicant

omnia illa sacra scriptura loca, in quibus dicitur, nullum resistere posse divinae voluntati, quam prohibe Subt. Nost. Doct. in 1. d. 46. q. unica illam vocat ultimatam, & omnino absolutam; ideoque necessario, & infalibiliter impletur. Rationem præbet Doct, quia Deus dicitur omnipotens, quia efficere potest quidquid est possibile: g. ultima ejus, & absoluta voluntio, quæ dicitur efficax voluntas necessario, & infallibiliter impletur. Nec obstat, quod plura debeat fieri à nobis libere volentibus; quia per divinum decreturn, auxilia efficacia, & concursum simultaneum, adest efficax infallibilitas, & tamen non laeditur, sed conservatur nostra libertas. Voluntas inefficax est illa, quæ non semper, vel in omnibus ad impletur, qualis dicitur esse illa, qua vult omnes homines salvos fieri; & de qua è contra exponunt alia Sacrae Scripturae loca, in quibus dicitur, hominem posse resistere Dei voluntati; eo, scilicet, quia ejus adimpletio pendet ex aliqua conditione ponenda ex parte creaturæ, quam non ponit, & ideo eius adimpletionem impediret. Sic Ps. 16. dicitur: *dResistentibus dexteræ tuae custodi me,* Et in actis Apost. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resstis.*

Erit in Conc. Senonensi contra Luther. c. 15. Nec tale est Deus erubentis auxilium, qua recessus non possit, quod etiam repetit Trident. sess. 6. de iustificat. c. 5. & can. 4. ex qua declaratione constat, hanc divisionem coincidere cum diuisis praecedentibus de voluntate conditionata, & absoluta; antecedenti, & consequenti; ita, quod voluntas efficax coincidat cum absoluta, & consequenti, quæ semper ultimam important divinæ voluntatis determinationem; inefficax vero, cum conditionata, & antecedenti reciprocetur, quæ dicunt determinationem divinæ voluntatis non ultimatam.

## QUÆSTIO II.

**QUOD NAM SIT OBJECTUM**  
divinæ voluntatis, & quomo-  
do ab illa ametur?

**R** Evocanda sunt quæ di-  
ximus de objecto  
tam primario, quam secunda-  
rio: tam materiali, quam for-  
malii divini intellectus; ea nam-  
que ratione simili de divina vo-  
luntate affirmare debent. Sed  
insuper pro clariori hujus ques-  
tionis resolutione.

**2** Notandum est r. Certum  
esse, divinam essentiam secun-  
dum se præcise consideratam,

esse primum objectum divini  
intellectus, divinæ voluntati-  
s, primitate dignitatis, &  
præsuppositionis; cum enim di-  
vina essentia sit origo, & sons  
omnium perfectionum, est pri-  
ma in ratione entis divini: g.  
etiam prima censenda est in ra-  
tione veri intelligibilis, & in  
ratione boni appetibilis, &  
amabilis. Difficultas ergo est,  
sub qua ratione ipsa divina es-  
senta habeat rationem objecti  
primo moventis, & terminan-  
tis divinam voluntatem. Ali-  
qui dicunt, quod objectum di-  
vinæ voluntatis est divina bo-  
nitas non essentialis, sed attri-  
butalis. Alij autem asserunt,  
quod objectum divinæ volunta-  
tis, est bonitas in communi,  
prout abstrahit ab increata, &  
creata. Alij vero dicunt, quod obiectum motivum est bonitas  
increata; terminativum autem  
bonitas præcisa à creata, & in-  
creata. Communis tamen senten-  
tia in utraque Schola tener,  
quod objectum formale prima-  
ritum tam motivum, quam ter-  
minativum divinæ voluntatis  
est sola bonitas increata essen-  
tialis; bonitatem autem crea-  
tam esse solum obiectum secun-  
darium terminativum.

Notandum est 2. pro secun-  
do quod inquirit quæstio, cer-  
tum esse Deum se ipsum amare  
amore summe, & infinitè ne-

intelligi, non solum quoad speciem, sed etiam quoad exercitium, & individuum. Verum difficultas est, an talis amor in se necessarius, quo Deus necessario amat sua divina prædicta, sit naturalis, vel liber, & qua libertate? Pro cuius resolutione est advertendum, quod naturale tripliciter potest sumi, 1. prout opponitur supernaturali; 2. prout opponitur violento; & absdubio in utroque sensu amor Dei est naturalis; quia nec superat vires, aut exigentiam Dei, nec est contra ipsius naturam: immò infinitè iuxta vires, exigentiam, & naturam divinam. 3. accipitur naturale, prout opponitur libero; quia valde diversimode derivatur actus naturalis, ac derivatur actus liber; nam actus naturalis est per modum naturæ; actus vero liber per modum optionis, præsupposita cognitione objecti.

4. Insuper est notandum, quod actus liber non sumitur in presenti pro actu spontaneo, & non coacto, aut per complacentiam habito, ita ut libertas idem significet, quod complacentia; nam liberum in hoc sensu non opponitur essentialiter naturali; siquidem universaliter omne agens, quando agit iuxta suam inclinationem agit sponte, & non coacte; & dum bruta

operantur iuxta inclinationem sui appetitus, sponte, & complenter operantur absque ulla coactione; & tamen operantur naturaliter, & non liberè. Sumitur ergo hic actus liber strictè, & propriè, quatenus liberum excludit intrinsecam, & essentialē determinationem ad unum. Pro cuius pleniori intelligentia:

5. Notandum est ultimò, cum Subt. Doct. q. 16. quodl. quod triplex datur libertas: 1. dicitur libertas contrarietatis, seu specificationis, qua voluntas prout suo potest tendere in aliquod objectum, vel in ejus oppositum, quoque potest elicere actum amoris, vel odij. 2. dicitur libertas contradictionis, seu quoad exercitium, qua voluntas potest elicere, vel non elicere actum, tendere, vel non tendere in objectum. 3. denique, est libertas essentialis, qua voluntas, cum intrinseca sua ratione sit indifferens, & indeterminata, censetur tamen ex se liberè elicere actum suum, & in objectum tendere, quamquam necessariō moveatur. Hanc ergo essentialē libertatem desumpsit Sabd. Nost. Doct. ex D. Aug. in Enchiridio cap. 103, ubi loquens de nostra libertate contingentia ad volendum bonum, vel malum, inquit de voluntate Beatorum: O, ortebat prius hominem suā Deo fieri, ut bene vel.

velle posset, & male; ( Notate nunc) postea vero ( scilicet in beatitudine ) sic erit, ut male velle non possit: neque enim liberum arbitrio : multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato; neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est: qua beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam velle possimus.

Item ex D. Ansel. de lib. arbit. c. 1. dicente: *Quis sic habet quod decet, & expedit, ut hoc amittere nequeat, liberior est, quam ille, qui sic habet hoc ipsum, ut possit perdere.* Liberius igitur est voluntas, quæ à rectitudine declinare nequit. Ecce quomodo libertas essentialis stat cum necessitate ad amandum objectum, ut non possit ab amore cessare, nec oppositum actum, nempe odium, circa illud objectum elicere.

6. Conclusio 1. Deitas sub ratione Deitatis, seu bonitatis essentialis est objectum motivum divina voluntatis. Hæc conclusio est Subtiliss. nost. Doct. & omnium Scotistar. immò quoad rem est omnium fere Theologorum. Prob. ex ipso Doct. in 3. d. 32. q. unic. ubi ait: *Sola autem essentia divina potest esse prima ratio agendi, tam intellectui divino, quam voluntati;*

quia si aliquid aliud possent esse prima ratio agendi, vilesceret illa potentia. Deinde in Report. in 1. d. 17. q. 3. num. 3. inquit: *Sciendum, quod voluntas divina habet aliquod objectum primum, ut essentiam divinam, quæ est sibi perfectio intrinseca; quia omnis potentia operativa exigit objectum suum primum:* Atqui voluntas divina solum exigit necessariò divinam essentiam: g. &c.

7. Prob. 2, nam essentia divina sub ratione Deitatis habet omnes conditiones objecti motivi divina voluntatis; quia est maximè propter se, & per se volibilis; & est infinita in sua perfectione essentiali, sicut & voluntas; & est radix omnium aliarum perfectionum, & volibilitatis aliorum volibilem: g. &c. Confirm. quia eo modo divina voluntas se habet ad suum objectum amabile, sicut intellectus ad suum cognoscibile: Atqui veritas essentialis est objectum primò motivum divini intellectus: erg. etiam essentialis bonitas est objectum primum motivum divina voluntatis. Confirmat. 2. illud primò mobet divinam voluntatem ad amorem, quod per se primo apprehenditur à divino intellectu, ut amabile; sed bonitas essentialis se primò apprehenditur ab intellectu divino, ut amabilis; essentia nam-

namque divina , & prædicata es-  
sentialia prius concipiuntur,  
quæm attributalia , & cætera alia,  
quæ divinam essentiam circuns-  
tant : erg. &c.

8 Prob. denique conclusio;  
si aliquid aliud posset assignari  
pro objecto motivo divinæ vo-  
luntatis , vel esset aliquid intra,  
vel extra Deum : Atqui neutrum  
potest esse : erg. &c. Prob. min.  
primo quoad secundam partem;  
Tum , quia divina voluntas vi-  
lesceret , si ab aliquo extra Deum  
posset primo moveri. Tum , quia  
sequeretur divinam voluntatem  
pendere ab aliquo extriusculo ,  
quod divinæ independentiæ , om-  
nino repugnat. Tum denique ,  
quia creaturæ non habent ra-  
tionem objecti primò motivi di-  
vinæ valuntatis , ut quæstione se-  
quenti dicemus : erg. &c. Prob.  
eadem min. quoad primam par-  
tem ; cu n enim divina essentia  
sit prior natura omnibus attri-  
butis , & relationibus , ab illis  
suam essentialiæ perfectionem  
non accipit , immò potius est  
earum radix , & origo , ut sæpe  
diximus : g. ab illis nequit acci-  
pere vim terminandi divinam  
voluntatem , nec illæ proprie-  
tates , aut relationes possunt esse  
rationes , propter quas divina  
voluntas essentiam divinam  
amore prosequatur. Bonitas igi-  
tut attributalis non potest ha-  
bere rationem objecti primo mo-

ventis divinam voluntatem; tam  
quia illa præsupponit bonitatem  
essentialiæ , à qua emanat; tūm ,  
quia cum sit speciale attribu-  
tum , non continet virtualiter , nec  
eminenter , nec radicaliter omni-  
nia alia , quæ sunt in Deo , ut  
per se patet : Essentia autem di-  
vina ratione suæ bonitatis , &  
perfectiæ essentiæ , non so-  
lum identicæ , sed etiam virtua-  
liter , eminenter , & radicaliter  
continet omnia quæcumque vo-  
libilia , sive ad intra , sive ad  
extra ; adeoque sola bonitas  
essentiæ habere potest ratio-  
nem objecti adæquati , & primo  
moventis ad sui , & omnium  
amorem.

9 Conclusio 2. Voluntas di-  
vina vult , seu amat divinam  
essentiam , & omnia alia ad in-  
tra amore necessariò , non natu-  
raii , sed libero libertate eisen-  
tiali. Hæc conclusio Subt. Doct.  
pluribi , sed præcipue in i. d. 2.  
quæst. 7. §. Et , vers. Dico tunc.  
Et quodl. 16. art. 2. & 3. quem  
sequuntur omnes Scotistæ. Pri-  
mam part. probat Doctor sic  
Deus est nec ssario beatus : igi-  
tur necessariò videt intellectus ,  
& necessariò diligit voluntas ob-  
jectum beatificum : atqui divina  
essentia est objectum beatificum  
erg. &c. Antecedens patet , cum  
enim Deus sit summum bonum ,  
& infinite perfectus , etiam debet  
esse beatissimus ; beatitudo enim  
est

est status omnium bonorum ad dundatione perfectus. Præterea voluntas infinita se habet perfectissimo modo ad objectum perfectissimum : sed voluntas divina est hujusmodi : erg. & sumnum diligibile se habet modo perfectissimo : sed hoc non esset verum, nisi ipsum necessariò , & actu adæquato diligret: erg. &c.

10. Præterea, si voluntas divina non amaret necessariò divinam bonitatem, esset mutabilis: sed falso consequens: erg. & antecedens. Prob. sequella; si voluntas divina non amaret necessariò divinam bonitatem, posset illam amare, & non amare: sed voluntas, quæ potest amare, & non amare divinam bonitatem, est mutabilis ab intrinseco, ut per se patet: erg. &c. Aliter formatur ratio sit; in voluntate divina non datur potestas, ut possit ab amore divinae bonitatis cessare: erg. amor illius est necessarius. Prob. antec. in voluntate divina non datur potestas, ut possit tollere à Deo, quod illi essentialiter convenit: sed amor divinae bonitatis convenit Deo essentialiter: erg. in voluntate divina non est potestas, ut possit ab amore cessare. Confirm. non est contradictione, inquit Subt. Doct. quod voluntas infinita habeat actum infinitum, circa objectum infinitum;

ac per conseq. actum necessarium, & etiam necessariò; quia si posset non habere talum actum, circa tale objectum, posset carere summa perfectione. Urgetur: voluntas divina est necessariò recta, & indiscibilis: erg. necessariò, & summè amat essentiam, & attributa, quæ sunt summè, & necessariò amabilia, sicut sunt necessariò, & summè bona. Idem patebit in Tractatu de Trinitate, ubi de Processione Spiritu Sancti, qui producitur per viam amoris necessarij.

11. Prob. conclusio quoad 2. partem, ex ipso Subtil. Doct. nam voluntas est in Deo formaliter, & infinitè perfecta: erg. est libera, quia libertas est essentialis voluntati, quatenus tendit in objectum suum per modum inclinationis, & ponderis, se ipsam ex se determinans ad agendum ab intrinseco, non autem ab illo extrinseco. Ideò hæc libertas opponitur tantum necessitatì naturæ, aut coactionis; non autem necessitatì inevitabilitatis, quatenus abstine-re non potest ab illo amore, nec illum evitare; in quo differt ab intellectu, & potentij naturalibus, quæ agunt ex determina-tione naturæ. Aliter formatur hæc ratio sic: Conditio intrinseca potentia, vel ipsi absolute conveniens, vel in ordine ad actum perfectum, non repugnat

cum perfectione in operando: atque libertas, vel est conditio intrinseca voluntatis absolute, vel in ordine ad actum volendi: igitur ipsa libertas non repugnat, sed potest bene stare cum conditione perfecta in operando. Atque talis conditio perfecta in operando est ipsa necessitas, quando scilicet, non intervenit contingentia in operatione: ergo hæc necessitas non tollit libertatem; adeoque licet Deus necessariò suam bonitatem diligat; nihilominus non naturaliter in eam fertur, sed libere libertate essentiali.

12.1.1. Probat. 2. eadem pars Conc. ex Phylosoph. 9. Metaphys. cap. 2. & 4. & 2. Phys. text. 49. ubi dividit principium ex toto genere in naturale, & liberum: ergo idem principium nequit esse liberum, & naturale. Atque voluntas divina est essentialiter principium liberum: ergo nequit esse principium naturale. Antecedens constat apud Subtil. Doct. quodl. citato, ubi etiam probat Doct. consequentiam sic: „Voluntas, per se loquendo, „numquam est principium activum naturaliter; quia esse na- „turaliter activum, & esse libe- „re activum sunt prima diffe- „rentia principij activi, & vo- „luntas, unde voluntas est „principium activum libere. Et concludit Doct: „non magis iugi-

, cur potest voluntas esse naturalis, „liter activa, quam natura, ut „est principium distinctum contra „voluntatem, potest esse liberum „activa. Hucusque Doctor: ergo si intellectus, v. g. aut quodcumque aliud principium naturale distinctum à voluntate, nullo modo potest agere libere libertate proveniente ab ipso principio naturali, neque voluntas, quæ est principium liberum ullo modo poterit agere naturaliter; quia differentia immediate dividentes aliquod genus, omnino, & eodem modo opponuntur ad invicem, ut patet in differentijs hominis, & bruti, quæ immediate dividunt animal.

13. Confirmat. habere exigentiam ad agendum secundum propositum, seu cognoscendod singula, in quibus est actio, & habere exigentiam ad agendum non secundum propositum, supponunt, seu constituant principia ex diametro opposita, & immediatè primo diversa; atque omne agens naturale, prout ratiōle, habet exigentiam ad agendum non secundum propositum, sed ex impetu nature determinatè ad unum: ergo agens habens exigentiam ad agendum secundum propositum, presupposita cognitione singulorum, non potest esse agens naturale, sed liberum. Atque divina vo- luntas amans necessariò essentiam

divinam, divinasque perfectiones, est hujusmodi: erg. respectu amoris necessarij non est potentia naturalis, sed libera. Roborat. hoc: Voluntas divina amans necessariò, habet eligibilitatem, & optionem in suam operationem; non quidem contingenter, sed infallibiliter: atqui principium naturale hoc nequit habere: erg. voluntas divina necessariò amans non est principium naturale, sed liberum.

14 Si quæras (ait Doct.) quomodo stare possit necessitas cum libertate? Respondet; non est quærenda ratio eorum, quorum non est ratio; demonstrationis enim principij non est demonstratio ex Aristot. & ex Aug. vel voluntas non est, vel libera est. Ulterius quærit: Unde est, quod voluntas, licet necessariò agat, non tamen naturaliter, cum non possit natura magis esse determinata ad agendum, quam quod sit necessitas ad agere? Respondet; omne agens naturale, vel est omnino primum; vel si est posterius, erit ab aliquo priori naturaliter determinatum ad agendum: voluntas autem nunquam potest esse agens omnino primum (prius enim debet agere intellectus) & non potest esse determinata naturaliter ab aliquo agente superiori; quia ipsamer est tale ac-

tivum, quod se ipsam determinat in agendo. Sic intelligendo, quod si voluntas aliquod necessariò velit; non tamen illud velle causaretur naturaliter à causante voluntatem, etiam si naturaliter causaret voluntatem; sed posito actu primò, quo voluntas est voluntas, si ipsa sibi relinquetur; & si posset contingenter habere, vel non habere hoc velle, tamen se ipsam determinaret ad hoc velle. Hucusque Doct.

15 Arg. contra i. conc. Si divina bonitas essentialis esset ratio primò motiva divina voluntatis, esset ratio volendi omnia, quæ vult: atqui non ita est: erg. &c. Prob. min. Tùm, quia non est ratio volendi divina attributa; nam divina attributa per suam attributalem bonitatem movent voluntatem divinam. Tùm etiam, quia non est ratio volendi ipsam volitionem. Tùm etiam; quia bonitas essentialis non continet omnia alia volibilia. Tùm denique, quia voluntas divina movetur ex meritis ad dandam gloriam, & ex sacramentis movetur ad dandam gratiam: g. de primo ad ultimum bonitas divina essentialis non est objectum primo, & unicè motivum divina voluntatis.

16 Respond. concessa maiori, neg. minorem; ad cuius pri-

primam probat respond. neg. assumpt: nam ex divina bonitate essentiali moveatur infinite, & unicæ divina voluntas ad unicum amorem infinitum, quo unico amore vult, seu amat omnia volibilia, & amabilia quavis infinita, alias finiretur, seu limitaretur, si ad aliquam determinatam bonitatem coartaretur, ut per se patet. Ad 2. probationem respond: quod bonitas essentialis est motivum, quo divina voluntas amat omnia amabilia, & cum ipse amor sit amabilis, etiam movet divina bonitas essentialis, ut amet suum amorem per suum amorem, quasi in se ipsum reflectando, quam reflexionem, seu circulationem miram divini amoris explicat S. Dionys. lib. de divin. nominib: cap. 4. sic. Fine, & principio se carere divinus amor excelenter ostendit, tanquam sempiternus circulus: propter bonum ex bono, in bono, & ad bonum inde linabili conversione circumiens; & in eodem, & secundum idem; & procedens semper, & manens, & remeans. Ad 3. prob. respond: quod divina bonitas essentialis continet omnia alia bona, vel formaliter, vel eminenter, vel virtualiter, vel radicaliter cum ipsa sit omnium aliarum bonitatum fons, & origo, ob quod dicitur bona in-

omni genere, ut supra diximus.

17 Ad ultimam prob. respond: ut sapè ex Subt. Doct. & amplius quæstione sequenti, quod intellectus divinus, divinaque voluntas vilescerent, si moverentur ab aliquo creato, unde falsum omnino est, quod moveatur ex meritis ad dandam gloriam, & ex sacramentis ad conferendam gratiam. Quomodo autem intelligatur communis loquendi modus id asserens? Respond: quod in divina bonitate essentiali continentur omnia bona creata, eo ipso ordine, quem inter se habent, scilicet, causalitatis, & effectus, media, & finis. Unde quando dicitur, quod divina voluntas moveatur ex meritis, & ex sacramentis, est dicere, quod moveatur ex divina essentiali bonitate, prout hæc continet bonitatem meritorum, & Sacramentorum.

18 Contra 2. conclusionem Argu. 1. Liberum, & necessarium opponuntur: erg. si Deus suam bonitatem amat necessario, non amat liberè, sed naturaliter. Respond: aliqui, disting. antec. liberum quoad specificationem, & exercitium opponuntur necessario, concedunt: liberum essentialiter, negant. Verum subt. Doct. absolute negant antec; quia liberum oppo-

naturi naturali agendi modo, & necessarium opponitur contingenti. Replic; liberum idem est ac contingens: g. si necessarium opponitur contingenti, etiam opponitur libero. Prob. antec; liberum ita pendet à voluntate, ut possitis omnibus requisitis ad agendum, possit poni, vel non poni: Atqui hoc est contingens: g. liberum, idem est, ac contingens. Respondetur; dist. antec; liberum libertate contradictionis est idem, ac contingens, conc; liberum libertate essentiali, neg. Et eodem modo distinguitur probatio ejus; nam libertas essentialis est inseparabilis à voluntate divina, quæ se ipsam determinat sponte, & delectabiliter ad amorem illum, quanvis non posset non amare.

19 Arg. 2: Naturale, & liberum non sunt differentiae essentiales immediate dividentes rationem principij: g. possunt convenire eidem potentia. Prob. antecedens: naturale, & liberum sunt modi agendi, ita ut modus agendi libere reducatur ad modum agendi naturalem, tanquam ad prius; & cum prius possit esse sine posteriore, non verò posterius sine priori, hinc est, quod datur potentia, quæ tantum sit naturalis, & non libera; non verò datur potentia libera; quin prius sit naturalis:

g. voluntas divina prius se habet naturaliter circa amorem necessarium, & postea se habet libere circa amorem contingentium. Resp. neg. antec. ad cuius prob. dicimus; quod naturale, & liberum in effectibus, seu in actibus possunt appellari modi agendi predictarum differentiarum principij; quia principium naturale petit agere modo naturali sibi proportionato; & principium liberum petit agere modo libero. Sicut homo petit agere modo rationali, & brutum modo irrationali; quin ex hoc possit inferri, rationale, & irrationale non esse differentias immediate dividentes rationem genericam animalis: Unde sicut implicat, quod idem principium sit prius rationale, & postea irrationale; vel contra; pariter implicat de naturali, & libero.

20 Replicabis: in intellectu est duplex operandi modus oppositus, & immediate primo diversus, scilicet, sine discursu respectu principiorum, & cum discursu respectu conclusionum: g. eti liberum, & naturale sunt immediate primo diversa, possunt convenire eidem principio, scilicet, voluntati. Conf. 1. Voluntas nostra producit naturaliter motus primo primos, & libere alios, qui procedunt ex perfecta cognitione: g. &c. Confirm.

simil. 2: eadem essentia cum intellectu producit actum naturalem, & cum voluntate actum liberum: g. eadem potentia cum diverso comprincipio, aut requisito poterit producere actum naturale, & liberum. Conf. 3: necessarium, & contingens etiam dividunt principium agendi, sicut naturale, & liberum: sed hoc non obstante, idem principium potest agere necessario, & contingenter, respectu diversorum, ut concedunt omnes: g. & etiam poterit agere idem principium naturaliter, & liberè. Denique, amor, quo Deus se ipsum amat, est essentialis, & communis tribus personis divinis: g. est naturalis Deo. Patet conseq; tūm, quia est à naturali pondere appetitus ionati; Tūm etiam, quia est verè ad unum determinatus: g. est illi prorsus naturalis.

21 Resp. ad argum. concedend. antec. & neg. conseq: Ratio est manifesta; quia agere cum discursu, & sine discursu, non sunt differentia immediate contrahentes principium, seu potentiam, sed tantum rationem actus: Unde istæ differentiae primo diversæ solum impli-cant in eodem actu; non vero in eodem intellectu, qui est potentia indifferens ad agendum per apprehensionem, per iudicium, & per discursum; atta-

men quomodo cumque agat, tem-per agit naturaliter; quia per hanc differentiam contrahit rationem principij; & ideo naturalitas, & libertas non possunt competere eidem principio, scilicet, voluntati. Ad 1. confirm: Resp; quod omnis actus nostræ voluntatis, dum modo sit ab ipsa, se ipsam determinante, est essentialiter liber; unde motus primo primi sunt liberi essentialiter, eti sint necessarij ob defectum perfectæ cognitionis; & quia non sunt liberi contingenter, non dicuntur morales, neque sufficiunt ad meritum, aut demeritum.

22 Ad 2. confirm. resp. neg. conseq. quia essentia non est principium proximum, seu particolare, sed radicale, remotum, commune, & universale, à quo non sumitur ratio, & specificatio actionis, sed à particulari, & proximo; & de hoc dicimus, quod nequit esse naturale, & liberum. Ad 3. confirm. resp. cum Subt. Doct. quodl. citat. art. 2. in fin. neg. mai. nam inquit: *non est ead in divisione in principium naturale, & liberum, & in principium necessario, actuum, & contingenter; aliquid enim naturale potest contingenter agere, quia potest impediiri: igitur pari ratione, possibile est aliquid liberum, stante necessitate, necessario agere. Hucusque*

que Doct. Contingens autem, & necessarium non sic se habent. Ad ultimam confirm. resp. dist. conseq. ; est naturalis , prout naturale opponitur supernaturali , aut accidentalis , aut violentio , conc. : prout naturale opponitur libero , neg. Utrumque fatemur , scilicet , amorem Dei erga se esse ex innata propensione , & appetitu rationali ; sed hoc non impedit libertatem ejus essentialis , sed potius juvat. Nec similiter impedit praedictam libertatem , quod talis amor sit determinatus ; quia non est determinatus ab alio , quam ab ipsamet voluntate divina , ita quod ( inquit Doct. cit. ) voluntas proper firmitatem libertatis suæ sibi ipsi necessitatem imponat in eliciendo actum , & in perseverando , sive figendo se in actum. Ad cuius pleniorum intelligentiam distinguit quadruplicem ordinem necessitatis , seu determinationis in Deo : 1. qua Deus necessario vivit ; 2. qua necessario intelligit ; 3. qua necessario spirat ; 4. qua necessario diligit se. Deinde , querit in quo sit libertas volendi cum praedictis necessitatibus , seu pre-determinationibus ? Resp. quia voluntas delectabiliter , & eligibiliter actum elicit , & permanet in actu. Et hæc de

## QUÆSTIO III.

*AN DEUS POSSIT AMARE  
Creaturas possibiles?*

**I**N præsenti quæstione unum apud omnes est certum , & in alio est dissidium non modicum. Et quidem omnes tanquam certum supponunt Deum mere possibilia non vel le amore efficaci ; nam talis amor transfert objectum à possibilitate ad existentiam , & futuritatem. Dissidium autem est , an scilicet , ad creaturas purè possibiles terminetur divina voluntas per amorem simplicis complacentiæ? Nam hic amor , si cut simplex apprehensio fertur in terminos sine affirmatione , & negatione , id est , nec negando de eis esse , nec affirmando non esse ; ita simplex complacencia fertur in simplices bonitates objectorum sine intentione existentia , aut non existentia. Et non procedit difficultas de possibilibus secundum esse virtuale , aut eminentiale , quo continentur in divina essentia , & omnipotentia ; quia cum secundum praedictam acceptionem à Deo non distinguantur ; nam ut sic sunt ipsa creatrix essentia porens producere creaturas , & eodem amore diliguntur necessario. Manet igitur difficultas de creaturis pos-

possibilibus secundum esse formale pròprium, quòd ab intellectu cognoscitur eis non repugnare in se ipsis.

2 Conclusio nostra sit: Deus potest amare, & de facto amat creature possibiles amore simplicis complacentia. Sic Scot. in r. d. 8. q. 5. §. igitur potest. Et 3. dist. 32. q. unic. & alibi sèpè. Quæ sententia communiter est contra Thomistas, & communis inter Scotistas. Probat: Creaturæ possibiles habent bonitatem, sicut veritatem; nam verum, & bonum sunt passiones entis uniformiter ei convenientes: sed creaturæ secundum esse essentia in statu pure possibilitatis habent veritatem sufficientem terminare simplicem notitiam, ut omnes facientur: erg. & veritatem sufficientem terminare simplicem amorem.

3 Respond. contrarij; quod talia possibilia non sunt entia actualia, sed potentialia, & sic sunt diligibilia in potentia, non actu diligibilia, sicut corpus quod actu non est coloratum, non actu, sed potentia est visibile. Sed contra, nam veritas entis in potentia est veritas actu intelligibilis à Deo: erg. bonitas entis in potentia est bonitas actu à Deo diligibilis. Probar. conseq.; nam non requiritur maior actualitas in bonitate ad terminandum amorem, quam

in veritate ad terminandam notitiam. Confirm. ; ideò divinus intellectus cognoscit omnes veritates entium in potentia; quia licet non sint actualia in se, fiunt tamen actu intelligibilia virtute essentiæ ea eminentialiter continentis in ratione objecti: sed similiter divina essentia eminenter continet omnes bonitates in ratione objecti diligibilis: erg. creature possibiles eodem modo sunt actu diligiles, quo scibiles. Neque exemplum est ad propositum; nam potentia materialis visiva non fertur, nisi in colorrem actu præsentem, & existentem.

4 Respond. 2. quod bonitas non est passio entis in potentia, seu nominaliter sumpti, prout nempe secundum suam possibilitatem præcise est eis, prout à chymeris, & impossibiliis distinguitur, sed solum bonitas consequitur ens ut actu existens. Cujus rationem assignant; quia bonum idem est quod perfectum, & integrum, quod deficit creaturis possibilibus defectu existentia. Sed contra; objectum metaphysicæ non est actu existens; uam metaphysica abstractit ab existentia: sed metaphysica demonstrat de suo objecto esse verum, bonum, & unum; ergo prædictæ proprietates necessario consequuntur ens in quocunque statu sit. Ratio autem

in contrarium non obstat, nam licet creaturæ possibiles non habeant perfectionem, & integratatem simpliciter, scilicet, entis in actu, habent tamen integratatem, & perfectionem secundum quid, scilicet, entis in potentia.

5 Resp. 3. quod licet veritas, & bonitas uniformiter convenient omni enti, quia sunt realiter ipsum ens, nihilominus, quoad statum, & motum movendi intellectum, & voluntatem differunt; quia veritas moveat intellectum per hoc, quod trahitur ad illum mediante specie, in cuius virtute continetur intentionaliter objectum, licet in se non existat realiter: at vero, bonitas, ut possit habere actuale exercitium movandi, requirit existentiam; quia voluntas fertur in res, prout in se ipsas. Sed contra est 1. sicut veritas proposita per speciem, est intelligibilis, ita bonitas cognita, & ostensa voluntati per cognitionem est diligibilis: erg. sicut veritas, eo ipso, quod sit in intellectu per speciem, virtute illius est intelligibilis; ita bonum, eo ipso, quod sit apprehensum, & voluntati ostensum est diligibile; alias bonum apparens, solummodo habens esse in apprehensione, non posset diligi. Deinde, quia solution non est ad propositum; nam difficultas non procedit de mo-

tione, sed determinatione, nam motivè certum est, tam verum, quam bonum diligi a Deo, & cognosci virtute essentia continentis eminenter omnes veritates creatas, & similiter omnes bonitates: Sed divina essentia eodem modo continet eminenter veritates rerum possibilium & bonitatis: erg. eodem modo est potens movere ad amorem, quo movet ad notitiam.

6 Confirm. ideo intendimus aliquem finem, &c ad ejus prosecutionem movemur; quia per intellectum ostensa illius bonitate, in illa complacemus: Sed tunc talis res solum proponitur, ut possibilis: g. possibile, ut tale cognitum, est diligibile. Immó secund. D. Thomam circa impossibile, ut tale cognitum, datur voluntas inefficax: g. multo melius circa possibile, ut tale cognitum, erit voluntas simplex. Denique, quia secundum D. Thom. omnipotentia necessario connectitur cum possibilibus: sed Deus vult suam omnipotentiam necessario: g. & possibilia. Dices: pœnitentia necessario connectitur cum peccato & tamen Deus volens pœnitentiam, non vult peccatum. Sed, contra; nam ideo Deus volens pœnitentiam, non censetur velle peccatum; quia pœnitentia est destructiva illius, & sic amor

pronitentia est odium peccati; nam velle alterius destrunctionem est ipsum odio prosequi: Sed omnipotencia non est destructiva creaturarum possibilium, sed potius ædificativa, & necessario illorum productiva: g. Deus volens necessario, suam omnipotentiam esse illorum productivam, eodem amore est volens esse ab eo producibilem: sed creatura producibilis est creatura possibilis: g. posita connexione Thomistarum, sequitur necessario amor creaturarum.

7. Obijca 1. creaturæ possibiles sunt actu purum nihil: g. non sunt actu diligibiles. 2. existentia est fundamentum omnis bonitatis: sed possibilia abstracta sunt ab existentia: g. non sunt bona. 3. Deus omnia quæcumque voluit fecit ex Psal. 113. sed Deus non fecit creaturas pure possibiles: g. &c. 4. Deus nullam bonitatem causat in possibilibus: Sed amare est velle alii bonum: g. non amat creaturas possibiles. Denique, amor Dei non est amor affectionis, nam talis amor dicit imperfectionem, cum per illum transformata amans in rem amatum: g. amor Dei circa creaturas est amor affectionis, seu causatibus bonitatis in objecto. Resp. ad 1. retorquend. arg. Si nihil est: g. non est verum;

& consequenter nequit esse robjctum intellectus. Deinde, salus reproborum actu nihil est, licet esset, si poneretur conditio: g. actu non est volita. Resp. disting. antec: est nihil simpliciter, seu existens, conc. nihil secundum quid; vel in se ipso, ut aliqui tenent; vel in esse cognito, ut nos asserimus, neg. & etiam consequentiam: nam possibilia aliquid sunt, & bona, etiam in sententia prædictorum Thomistarum ex D. Thoma.

8. Ad secundum resp. quod bonitas consequitur ens ex ratione entis, ac proinde consequitur ens in quocumque statu. Ad 3. resp. quod locus Ps. intelligitur de rebus quas Deus diligit amore absoluto, & efficaci. Ad 4. resp. disting. nam Deus vult creaturis possibilibus bonum necessarium, seu in illo complacet; non vero aliquid bonum contingens; nam sic velle bonum est proprium amoris efficacis. Ad ultim. respondetur; amorem affectionis importare imperfectionem, quando non est in potestate volentis diligere simul amore affectionis, neque illa transformatio affectiva Dei in creaturam per amorem, judico inconvenientem, nam inquit Dionys. c. 4. de divinis nominib. Deus per amorem pa-

titur extassim. Tum etiam, quia etiam intellectus intelligendo fit res intellecta, quatenus intentionaliter unitur objecto: g. hæc transformatio affectiva nihil aliud est, quam fieri res amata in esse intentionali. Resp. secundo, neg; amorem simplicis complacentia esse proprie affectionis, & transformationis; nam ad hoc requiritur, ut motive proveniat à re dilecta, & Deus non moveretur à creaturis.

9. Obijc. Bonum possibile est objectum complacentia: g. malum possibile est objectum displicantia: sed hoc est falsum g. & antec. ex quo sequitur. Prob. min. nam si Deus displiceret in peccato possibile, Deus displiceret, seu odio prosequeretur iuxtos, etiam Beat. Virg. & Christum Dominum; nam depotentia absoluta potuerunt peccare; sed per peccatum possibile sunt possibiliter peccatores: g. & c. Resp. neg. min. & ad inconveniens assump-  
tum in probatione; respond. quod displicantia de peccato possibile non refunditur in personam, quando persona ha-  
bet actualiter dignitatem ad complacentiam, & amorem; nam tunc displicantia de tali peccato oritur ex summo amore personæ: Deinde, quia pecca-  
tum possibile, non est possi-

bile in sensu composito iusticia, sed in sensu diviso, sicut nec peccatum futurum.

## QUÆSTIO IV.

**QUOMODO DEUS AMET  
creaturas possibiles?**

I **S**Upposito ex præcedente quæst; quod Deus a more simplici feratur in crea-  
turæ possibiles, nunc inquirimus: an libere, vel necessa-  
rio feratur? Quæ difficultas so-  
lum respectu creaturarum pos-  
sibilium locum habet, nam crea-  
turæ futuras certum est solum diligi à Deo amore li-  
bero, ut probat Scot. in I. d.  
8. q. ultim. hac ratione: Po-  
tentia respiciens aliquod objec-  
tum per se, & essentialiter,  
non necessario respicit illa, quæ  
non habent ordinem essentia-  
lem ad illud primum; sed sicut res futuræ, ita contingenter dicunt ordinem ad Deum ut  
primum objectum: g. contingenter amantur. Vel ut aliter for-  
mat ipse Subt. Doct. prædictam  
ration. sic: Potentia necessario  
respiciens aliquod objectum pri-  
mum, ad nullum aliud neces-  
sario se habet, nisi illud pri-  
mum objectum sit ratio neces-  
sario tendendi in illud aliud;  
sed bonitas divina non est ra-  
tio necessaria voluntati tenden-  
di

di volitione efficaci in aliquod objectum aliud bonum , quia nec est aliud necessarium ad consequendum ipsam , nec etiam auger ipsam , seu cum ipsa non plus quietat voluntatem : g. &c.

2 Advertendum insuper est quod dum de libertate divinæ volitionis circa possibilia dubitatur , communiter ab omnibus supponitur , questionem non esse de libertate contrarietatis , seu quoad specificacionem ; nam cum creaturæ possibiles nullam includant rationem mali , propter quam possint esse objectum divinæ displicentia , non potest Deus odio habere , seu displicere de ipsis . Unde tota difficultas reducitur ad libertatem contradictionis : An , scilicet , Deus amet creature possibiles , ut potuerit non amare illas , prout ipsi placuerit ; vel an ita amet , ut necessario amet illas , absque libertate contingentia ? Circa quod Triplex est sententia : 1. defendit , Deum necessario tam quoad specificacionem , quam quoad exercitium diligere creature possibiles , affectu simplicis complacentia ; sic quam plurimi apud Mastr. disp. 4. de Divin. Volunt. quæst. 1. num. 2. Secunda sententia tenet , Deum amare possibilia libere , libertate contradictionis , seu quoad exercitium;

sic etiam plures apud ipsum ibidem . 3. distinguit , & ait , quatenus possibilia habent connectionem cum Deo , & ejus omnipotentia , ac Scientia , amantur ab ipso necessario ; at vero , quatenus considerantur præcisè in se ipsis , sine praedicta connectione , amantur libere , quoad exercitium ; sic tandem alij apud Mastr.

3 Conclusio nostra : Voluntas divina non diligit necessario creature possibiles , sed libere , libertate contingentia , scilicet quoad exercitium . Hæc conclus. videot expressa apud Subt. Doct. quam pluribus in locis , illamque tuentur Meriner. tom. 1. disp. 2. quæst. 3. Anton. Perez disp. 3. de Volunt. Divin. sect. 2. & est communior inter RR. Scottistas in manuscriptis contra alios , quos refert Mastr. ubi supra , & ipse sequitur dicens . *Hanc teneo , non quia sit exp̄ressè Scotti , sed quia modo communis est opinio.* Prob. igitur concl. ex Subt. Doct. in 1. d. 10. quæst. unica , num. 9. vers. Respondeo , ubi inquit : *Voluntas autem infinita non est necessarium prius ipsum amandi objectum finitum , quia tunc D:us necessario amaret quilibet creature ; immo , & omne amabile :* atqui quodlibet possibile est bonum limitatum , & finitum : erg. ex mente Scoti divina

voluntas non diligit necessariò esse possibile creaturarum. Idem confirmat. dum dicit ibidem, quod necessitas dilectionis provenit ex infinitate voluntatis, & ex infinite bonitatis objecti; quia neutro sine altero sufficit ad necessitatem. Et Paulo infra subdit: *Non autem est ita quando voluntas infinita respicit bonum amabile finitum; quia licet actus sit infinitus quantum est parte voluntatis divina, non tamen est infinitus quantum est ex parte objecti: erg. juxta Subt. Doct. ad amorem necessarium necessitate exercitij requiritur infinitas objecti, & potentia.*

4. Deinde dist. 49. quæst. 5. *Quantum*, ad 2. articulum dico, quod voluntas divina nihil aliud respicit necessariò pro objecto ab essentia sua, ad quodlibet igitur aliud contingentè se habet; sed creaturæ possibilis sunt aliud ab essentia Dei: erg. &c. Præterea d. 32. q. 2. & alibi sàpè probat, Spiritum Sanctum non procedere ex amore creaturarum; quia alias (inquit Scot.) dicendum esset, vel quod Deus amaret necessariò creaturas; vel quod Spiritus Sanctus non necessariò procederet, quorum utrumque falsum est: erg. juxta Subt. Doct. non necessario voluntas divina diligit creaturas possibiles, sed libere libertate contingentia,

creatura (inquit Scot.) tantum contingenter amatūr à Deo: immò completa productione necessaria illius amoris, adhuc est contingentia, ut iste amor sit creaturæ: erg. de mente Scoti nulla est ratio dubitandi quoad nostram conclus.

5. Prob. conclusio etiam ratione; si Deus necessariò diligenter creaturas possibiles, maximè quia in esse possibile sunt necessaria; sed ex hoc capite nulla oritur, necessitas in amore quoad exercitium: erg. &c. Prob. min. Ex infinite objecti, & omnimoda necessitate in essendo, non sequitur necessitas quoad exercitium in amore potentia finita; & hoc patet, nam Deus est simpliciter necessarius in essendo, & tamen libere quoad exercitium diligitur à creaturis, non alia ratione, nisi quia licet sit infinitas, & necessitas ex parte objecti, est finitas ex parte potentia: erg. econtra, quoties datur finitas ex parte objecti quomodolibet necessarij nulla oritur necessitas in amore potentia infinita. Confirm. ideo probat Scot. Deum libere amare creaturas futuras, quia non sunt necessaria ad consequendam Dei bonitatem, neque augent eam: sed hoc similiter verum est de possibilibus: erg. &c.

6. Prob. insuper conclus. ex Docil. Anton. Perez: si divina

voluntas esset necessitata ad amandum possibilia, maximè, vel à bonitate ipsorum possibilium, vel à summa rectitudine ipsius voluntatis, vel à connexione essentiali prædicatorum Dei cum possibilibus; sed à nullo istorum potest necessitari: erg. &c. Prob. min. quoad priam partem: bonitas, quæ in sui amorem necessitat voluntatem, debet habere vim superandi libertatem voluntatis; sed non adest vis in bonitate possibilium ad vincendam, & trahendam libertatem voluntatis divinæ in sui amorem: erg. non necessitatur à bonitate possibilium. Prob. min. bonitas possibilium est finita, & limitata, & varijs imperfectionibus involuta, quæ cum finitate compatiuntur; deinde, libertas divinæ voluntatis est formaliter infinita, quia ita est summè libera, ut magis libera non possit esse: atqui in bonitate finita, & imperfecta non potest reperiri vis ad trahendam necessariò libertatem infinitam, & undequaque perfectam, ut ex se appareat manifestum: g. &c.

7. Probat. quoad 2. partem; non esset summè recta divina voluntas, si ex se necessariò amat bonum finitum, sicuti necessariò amat infinitum bonum: g. &c. Prob. antec. Ex rectitudine suæ voluntatis non amat Deus equaliter objecta, nisi habeant

bonitatem æqualem, ut constat: erg. Si quoad necessitatim, tamen amaret bonum finitum, & imperfectionibus involutum, ac bonum infinite perfectum, non esset summè recta divina voluntas quoad modum amandi. Deinde, divina voluntas à se est summè libera; sed implicat quod voluntas, quæ à se est summè libera, sit à se ipsa summè necessitata ad amandum possibilia: erg. &c. Prob. min. Bonum mere possibile ex se est summè infimum bonum; sed non bene percipitur summa libertas à se divinæ voluntatis, si à se esset summè necessitata ad amandum bonum summè infimum: erg. &c. Alias divina voluntas deberet dici à se summè libera, & à se summè necessitata. Ulterius: si à sua infinite, & rectitudine necessitaretur voluntas Dei ad amandum ut cumque possibilia, etiam necessitaretur ad amandum illa efficaciter in ordine ad existentiam: sed hoc non: erg. &c. Prob. maj. Ideo necessitatur à sua rectitudine, ad amandum possibilia per simplicem complacentiam; quia sunt bona secundum se, & hoc modo amabilia à Deo; sed etiam sunt bona ex se, & efficaciter amabilia à Deo in ordine ad existentiam; alioquin non posset dare existentiam possibilibus: erg. &c.

8. Prob. quoad 3. partem; primò, quia non datur talis connexio cum possibilibus, ut supra diximus. Secundò, quia connexio omnipotentia cum possibilibus non reddit possibilia infinite bona, & ad amorem necessarium infinitudo requiritur ex parte objecti, & potentiae, ut dicebat Doct. sup. cit. & ideo Scotistæ asserunt, quod Beati, ex visioni objecti infinite, manent liberi, libertate contradictionis, ad amandum, vel non amandum infinitum bonum. Tertio, quia connexio precisè necessitaret ad non odio habendum, seu non nolendum creaturas possibles. Suadetur: si quando necessariò amat unum extreum, necessariò deberet amari aliud connexum, ideo esset, quia non potest existere primum sine secundo; sed licet amato uno, non ametur aliud; dummodo non odio habeatur illud, non sequitur, quod destruantur, aut quod voluntas intendat destructionem illius: g. Deus necessariò amans suam omnipotentiam, & existentiam, solum necessitatur ad non odio habendum creature possibles cum quibus connectitur. Confirmat. & explicatur consequens: Creatura existens connectitur cum Deo, sine quo existere non potest; atqui homo amans creaturam existentem, & connexam;

non necessitatur ad amandum Deum, sine quo nequit existere, ut patet: sed solum ad non odio habendum Deum, aut non intendendum destructionem illius: erg. &c.

9. Arg. 1. Non potest Deus non displicere in peccato actuali, nec potest non se complacere in homine existente in gratia; quia hoc attinet ad suam Santitatem infinitam: g. neque poterit non displicere in peccato possibili, neque non complacere in in bonitate possibili. Resp. neg. anteced. ; quia cum peccatum solum sit finitum malum, & gratia finitum bonum, tantum est Deus necessitatus, ob suam infinitam rectitudinem, ad non amandum peccatum, & non odio habendam gratiam; non autem ad complacendum in ista, nec ad disPLICendum in illo; nec potest efficaciter suaderi oppositum.

10. Arg. 2. Necesitas, vel libertas in actu voluntatis Dei defumitur ex necessitate, vel libertate objecti: sed possibilia sunt necessaria: g. necessariò ea diligit. Resp. neg. m.i. nam necesitas exercitijs debet provenire ab infinitate objecti, & potentiae, nec ideo Deus liberè amat creaturam futuram, quia in se libera est, sed econtra, ideo habet esse liberum, quia à Deo liberè diligitur amore efficaci.

Replicab.: Scientia Dei distinguitur in liberam, & necessariam: sed hæc divisio desumitur penes objectum liberum, vel necessarium, quod respicit: ergo necessitas, vel libertas actus desumitur ab objecto. Resp. talem divisionem esse extrinsecam, nam ex parte scientiæ Dei semper naturaliter tendit in sua objecta, & necessario, nam intellectus cum sit potentia naturalis ex parte sui necessario fertur in objectum, sive necessario, sive libere propositum, voluntas autem ex suo modo operandi circa objectum finitum, semper libere operatur.

11. Arg. 3. Deus libere diligit creaturas possibles: sed potuit ab æterno non diligere: g. quando non diligeret, aliqua mutatio esset in rerum natura: sed hæc mutatio, non staret in Deo, quia immutabilis; neque in creatura possibili, nam semper & eodem modo est possibilis: g. non libere sed necessario eas diligit. Confirm. non est transitus à contradictorio in contradictorium, sine mutatione intrinseca in altero extremorum: g. nequit voluntas divina ex non diligenti fieri diligens sine mutatione in se, vel in creatara volita. Resp. 1. quod casu quod Deus non complaceret in possibilibus, nulla esset mutatio in Deo, neque transitus à contra-

ditorio in contradictorium, nam mutatio importat successivam existentiam utriusque extremi secundum durationem, quod Deo repugnat: quod Deus autem ab æterno in aliquo priori naturæ, vel originis indifferens sit ad velle, & non velle libere, & quod postea in secundo signo libere velit, vel non velit, non facit mutationem in Deum, neque transitum ab uno contradictorio in aliud, nam non diligere in illa prioritate actus primi, qua voluntas divina intelligitur indifferens ad actum, & omissionem, est pura præcisio actus, non exercitium libertatis per omissionem.

12. Resp. 2. negando, quod ex parte creaturarum non datur mutatio intentionalis, & objectiva, nam creaturæ, quæ nunc sunt volitæ transirent ad non esse volitæ, & hæc mutatio est sufficiens, nam sicut per affirmativam dilectionem nihil intrinsecum ponitur in creaturis, nisi passiva denominatio voliti, ita per propositionem negativam nihil ab eis auferitur, nisi talis denominatio, quod partit in creaturis etiam futuris, nam ab æterno sunt volitæ, & tamen ab æterno nullam habent mutationem realem, nam hæc solum est pro tempore: g. sufficit mutatio in esse objecti. Denique, quanvis creaturæ possibles, quoad pos-

sibilitatem logicam non varien-  
tur , quia semper eodem mo-  
do sunt non repugnantes ; tamen  
variantur per Dei dilectionem  
quantum ad possibilitem ob-  
jectivam , nam non sunt proxi-  
mè possibiles formaliter , seu  
in statu proximo transeundi à  
possibilitate ad futuritionem , ni-  
si prius terminent divinam com-  
placentiam , nam intentio effi-  
cax supponit complacentiam in  
bonitate finis.

13 Replicat Mastr. ; denomi-  
natione extrinseca provenit à  
forma in alio existenti : g. non  
potest esse mutatio in extrinseca  
ratione , quin sit mutatio in for-  
ma denominante. Prob. conseq.  
quia variatio denominationis  
extrinsecae debet provenire à for-  
ma denominante , quia eadem  
forma semper , & eodem modo  
se habet : sed denominatio voli-  
ti est extrinseca : g. creatura  
non potest transire de esse non  
volito , ad esse volitum , sine mu-  
tatione intrinseca in forma de-  
nominante. Respondet. quod  
variatio intrinseca est duplex ,  
passiva , scilicet , & activa , pas-  
siva dicit amissionem , vel re-  
ceptionem novæ formæ intrin-  
secae ; activa autem importat  
communicationem alteri , seu  
idem est , ac alterum immuta-  
re per propriam , & intrinsecam  
formam , & hæc potius dicit per-  
fectionem ; quare si ex libertate

formæ non immutat necessariò,  
non aliter se haberet passiva ,  
sed aliter se haberet activa ; quia  
non immutaret ; quare argu-  
mentum solum concludit , quod  
Deus de non immutante fit im-  
mutans per propriam , & in-  
trinsicam formam , quod non  
est mutari in se , sed aliud im-  
mutare , nam denominatio pas-  
siva in denominato arguit de-  
nominationem activam intrin-  
secam in denominante.

14 Deinde , si prædicta ins-  
tantia aliquid probaret , pro-  
baret etiam contra dilectionem  
efficacem divinæ voluntatis cir-  
ca futura , que juxta omnes li-  
bera est ; nam ut supra diximus ,  
datur ibi transitus de uno extre-  
mo in aliud contradictorium ,  
absque ulla variatione , seu mu-  
tatione simpliciter , sed solum  
secundum quid , in ratione voli-  
ti ex parte ipsius futuri cum  
ordine ad existentiam ; qui qui-  
dem ordo , aut existentia nihil  
reale simpliciter est ab æterno ,  
quando datur transitus. Deinde ,  
si Deus solveret alicui obliga-  
tionem voti , vel remitteret  
offensam per condonationem ex-  
trinsecam , daretur transitus de  
contradictoriis in contradicto-  
rium , absque ulla mutatione  
physica , sed solum cum muta-  
tione objectiva , morali , aut in-  
tentionali ex parte objecti. De-  
nique , quanyis Deus diligeret

necessario cræturas possibiles, semper daretur transitus (ut cum adversarijs loquamur) de non amando illas, iad illas amandum; quia semper intelligitur Deus cognoscens cræturas possibiles, & nondum amans: g. si proposita difficultas est difficultas, contra omnes est. Atqui omnia prædicta componuntur per transitum ad novum esse secundum quid, & per variationem intentionalem, & objectivam, in ratione voliti: g. idem erit dicendum quanvis sit libera dilectio divinæ voluntatis circa cræturas possibiles.

15. Arg. 4. Sicut se habet intellectus ad verum, sic se habet voluntas ad bonum: atqui intellectus divinus necessario intelligit verum necessarium: g. & voluntas divina necessario diligit bonum necessarium: sed bonum possibile est bonum necessarium: g. &c. Confirm. 1. voluntas divina diligit omne objectum, eomodo, quo diligibile est: sed bonum necessarium, necessario est diligibile: g. necessario diligitur à voluntate divina. Confirm. 2. carentia dilectionis boni necessarij non est tanta perfectionis, sicut ipsa dilectio: g. ista dilectio necessario est ponenda in voluntate divina. Prob. conseq. quia ibi necessario ponendum est, quod est majoris perfectionis.

Tom. I.

Conf. 3. voluntas divina necessario diligit bonitatem divinam: g. & necessario diligit bonitatem possibilium. Prob. conseq. quia nequit divina bonitas perfectè diligi, seu amari, nisi ameritur, & diligatur, ut participabilis ab omnibus bonis crætarum, & ut contentiva omnium bonorum: g. &c.

16. Resp. ad argum. disting. mai; sicut, & eodem modo, neg. sicut, & diverso modo, conc. Etenim, licet intellectus, & voluntas convenienter in hoc, quod intellectus feratur in verum, & voluntas in bonum; tamen cum intellectus sit potentia naturalis fertur necessario in verum; voluntas autem cum sit potentia libera, non necessario, sed liberè, & contingenter fertur in bonum finitum; quia ut supra ex Subt. Doct. diximus, voluntas infinita solum potest necessitari ab infinita bonitate objecti, qualis solum est bonitas divina essentialis ad movendum, & ad necessario terminandum etiam est bonitas divina attributalis. Ad 1. confirm. Respondet. neg. min; quam haud facile probabunt; quia non necessitas, nec contingencia in bonitate, sed infinitas rati pit divinam voluntatem. Ad 2. ibi confirm. respond. disting. an- tec; Carentia dilectionis boni necessarij non est tanta perfec-

Gg

tio.

tionis , sicut ipsa dilectio ; si bonum necessarium est infinitum , conc. si est finitum , neg. & neg. conseq. Alias etiam ob eamdem rationem probaretur , voluntatem divinam necessario diligere dilectione efficaci possibilia ; quia si melius est , quod voluntas divina diligit bonum finitum , quam quod non diligit ; etiam melius erit , quod magis diligit , quam quod minus diligit : atqui per se notum est ; quod magis diligit diligendo efficaciter , quam per simplicem complacentiam , g. &c.

17 Ad ultimam Conf. Resp. neg. conseq. & antecedens probationis ; quia & si non essent creature possibiles , à quibus esset bonitas divina participabilis , æquè perfectissimè tenderet voluntas divina in divinam bonitatem , ac de facto : Unde in quantum ad perfectionem , solum fertur in bonitatem suam , prout est prædicatum divinum inconnexum , seu non connexum cum possibilibus creaturis , quæ possint participare illam. Vel potest responderi concedendo antec. prob ; quia divina bonitas , ut participabilis , & ut contentiva omnium bonorum est infinita ; & neg. conseq. ratione finitatis creaturearum. Eset enim imperfectione in Deo , quod ipsius voluntas infinite libera , eset ne-

cessitata ad amorem creature , cuius bonitas est finita , & limitata.

18 Quanvis autem Scotica mens sit indubitate pro nostra concl. tamen , quia ut , ait Mastr. tum temporis oppositum erat communis opinio ideo antiquiores Scotistæ , quos sequuntur aliqui moderni , congregarunt alias Marian. Doct. authorites , quibus videtur pro se , & contra nos sentire. Verum Doctissim. Mastr. suo more efficacissime solvit : Sed , ut ingenue loquar ( inquit ) ex his locis potius oppositum deducitur ; nam in illo eodem quodlib. 16. art. 2. assignans rationem , cur divina voluntas amet necessario divinam bonitatem , hanc assignat : *Quod voluntas infinita necessariò habet actum circà objectum infinitum , quia hoc est perfectionis , & pari ratione non necessario habet actum circà objectum finitum , quia hoc effet imperfectionis , nam imperfectionis est necessariò determinari ad posterius , & perfectionis requisite est sic determinari ad prius , & perfectionis concomitantis ad illud quod est simul natura ; quæ ratio concludit , ut patet , tam de creatura , in esse possibili finito , quod est posterius voluntate divina ; quam in esse futuro , & actuali. Alia quam plu-*

ura, & walde pulchra possunt videri apud illum disp. 4. de div. voluntate , q. 1. art. 1. num. 4. 5. & 6. ubi in fine ait: Quare concludo in sententia Doct. defendi non posse , Deum velle necessario creaturas in esse possibili , ob aliquam necessariam connexionem , quam in talibus esse habeant cum Deo, ac ejus omnipotencia , qualem ponunt RR. ita ut ex impossibilitate creaturæ sequatur immediata destructio Dei ; quare si necessario vult se ipsum , teneatur etiam necessario velle creaturas in esse possibili , tamquam necessarias ad suum esse.

## QUÆSTIO V.

IN QUO CONSISTAT LIBERTAS contingentia divina voluntatis?

**I**D EUM esse liberum ad extra , tam libertate contrarietas , quia potest velle , & nolle : quam libertate contradictionis : quia potest velle , & non velle ; fatentur omnes Catholici contra Gentiles Philosoph. ut Aristot. & Avic. qui erraverunt afferentes , Deum operari ex necessitate naturæ ; atque ideo sine libero arbitrio in suis actibus. Veritas catholica constat expressé ex Sac. Scrip. ut Ps. 93. Deus ultionum libere

agit. Exod. 33. Miserebor cui voluero ; & clemens ero in quem mihi placuerit. Et alibi sàpè. Ratione etiam demonstratur à nostr. Subt. Doct. multipliciter , in r. d. 8. q. 5. contra Philosophos Gent. Et primo sic: Aliquid sit contingenter in rerum natura : g. causa prima libere , seu contingenter causat : nam si prima causa necessario ageret , in secunda nulla esset contingencia. Secundo , aliquod malum sit in universo : g. Deus non causat necessariò ; quia agens necessarium causat quantum potest : g. Deus necessariò agens , produceret tantam bonitatem , quantam potest esse in universo. Atqui potest esse tanta bonitas , ut cum illa non sit compatibilis aliqua malitia : g. si in universo aliquod est malum , Deus non necessariò , sed libere agit. Præterea , omnis ferè gens Deum præcatatur pro beneficijs , quibus indiget : & frustra sic præcaretur , si talia beneficia Deus facheret necessario , & non libere.

**I**Difficultas autem nunc est , in quo consistat prædicta libertas ? Nam quidquid est in Deo , non potest non esse , seu est necessario : sed libera voluntio est in Deo : ergo libera voluntio Dei est necessaria. Atqui quod est necessarium , seu quod non potest non esse , non est

contingens, indifferens, aut liberum: erg. volitio Dei nunquam est libera; quod est hæreticum. Vel aliter; actus liber importat ex proprio, & essentiali conceptu posse desicere: sed posse desicere, videtur importare mutabilitatem: erg. vel Deus, non est essentialiter immutabilis, vel actus ejus non est formaliter liber. Quæ quidem dubitandi ratio adeò urget, ut Theologos compulerit in quamplures abire sententias. Præcipuas refert, & impugnat noster Mastr. disp. 2. de Div. Attribut. quæst. 4. art. 2. per totum. Quas, ob brevitatis causam, ibi relinquisimus videndas; sed ut minori obscuritate procedamus, sit

## SECTIO PRIMA.

*IN QUA ALIQUA NOTABILIA proponuntur, & difficultas magis aperitur.*

**N**otandum es 1. Deum esse simpliciter immutabilem, quam veritatem non solum docet fides in Later. cap. de Sum. Trin. sed etiam lumine naturali innotescit: qua proprie Aristor. 8. Physic. & 1. de Cælo, ait: *Primum esse intransmutabile, quia necessarium est omnem primam, ac maximè sumnum.* Constat etiam ex eeteris attributis Dei; 1. ex necessitate essen-

di: nam summè necessarium implicat transire de non esse ad esse, & econtra; quia summa necessitas non permittit, quod non sit, vel non esse possit, quod necesse est esse. 2. ex ratione puri actus, nam actus purus ex sua ratione excludit omnem potentialitatem ad aliquid recipientium, vel amittendum. 3. ex infinitate, nam infinitas simpliciter est cui nihil entitatis, & perfectionis deest, nec augmenti, aut decrementi est capax. 4. ex summa simplicitate, quia hac excludit omnem compositionem, vel composibilitatem: econtra vero mutabilitas dicit compositionem cum forma ad quam fieret mutatio; quapropter Seraphic. Doct. in 1. d. 8. quæst. 1. art. 2. dicebat: *Deus non mutatur loco, quia ubique est, non tempore, quia aeternitas simul est; non firma, quia unusactus est, unde mutationem se undum formam tollit simplicitas, secundum tempus tollit aeternitas; secundum locum tollit immensitas, & ideo in Deo est summa stabilitas.*

4. Notandum est 2. maximum esse differeniam inter voluntatem divinam, & creatam, hæc enim aurope finita, & limitata nequit unico actu velle, & nolle producere objecta, sed eget ad hoc actibus entitativè diversis, & realiter distinctis; divina vero,

eo, quia infinita, & illimitata est, unico, & indivisibili actu in se formaliter infinito, fertur in diversa objecta, jam per modum fugæ, jam per modum prosecutionis; immò eodem indivisibili actu potest velle, & nolle infinita objecta, si darentur; unde voluntas divina omnia vult, omnia creat, omnia conservat, prædestinat quos vult, & quos vult reprobat, unico entitative, & indistincto actu, licet per diversos, vel quasi diversos respectus. Ex quo patet indifferentiā talis voluntatis non esse ad diversos actus, sed ad diversa objecta. Quæ doctrina trahitur expressè à Scot. in 1. d. 39. quæst. unic. §. *Juxta prædisatā.* Vers. *Quantum*, ad 1. ubi enim clarè fatetur voluntatem divinam, non esse indifferentem ad diversos actus volendi, & nolendi, quia hæc indifference oriatur in voluntate nostra ex sua imperfectione; ideo enim quia finita est, nequit esse libera ad diversa objecta, quin prius sit indifferentis ad diversos actus; econtra. Vero divina voluntas, cum ejus actus sit infinitus, indifferentis est ad plura objecta, quin indifferentis sit ad plures actus; sic enim concludit Scot. *Sicut voluntas nostra potest diversi volit onibus tendere in diversa volibilia, ita illa voluntas potest unica volitione simplici,* &

*illimitata tendere in quicunque volibilia.*

5. Notand. est 3. quod voluntas creata producit suos actus, illos in se recipit, & medijs ipsis vitaliter operatur attinendo objecta; propter quod communiter dicitur productiva, receptiva, & operativa. De divina voluntate non sic Theologizatur, nam licet sit perfectissime operativa, eo quod inedio suo actu infinito attrigit objecta, non tamen est productiva, nec receptiva, eo quod actum suum rigorosè, non producit, nec in se recipit: sed nupquin propter hoc deneganda est ipsi libertas? Minime, nam ut expressè tenet Scot. sup. laud. Libertas formalis non est voluntatis, ut productiva, nec ut receptiva, sed ut operativa, verba ejus sunt: *Ita ponitur libertas in voluntate divina per se, & primò in quantum est potentia operativa, licet ipsa non sit productiva, nec receptiva voluntatis suæ.*

6. Not. est 4. quod in Deo sicut in nobis duplex invenitur libertas, scilicet, & in actu 1. & in actu 2. Libertas in actu 1. est ipsamet facultas voluntativa indifferentis in illo priori ad amandum, vel non amandum creaturem; ad decernendum, vel non, illarum existentiam. Libertas in actu 2. est actus

actus divinæ voluntatis, scilicet, volitio, ut actualiter terminatur ad hanc, vel illam creaturam, vel per modum fugæ, vel per modum prosecutionis. Difficultas igitur præsens non procedit de libertate in actu primò; sic enim facillimum esset cum nostro Ponc. constituere divinam libertatem in actu necessariò ipsius Dei nude sumpto: sic enim bene intelligitur, quod idem actus infinitus, propter suam infinitatem, sit simul formaliter necessarius, & virtualiter liber, in quo stat unica probatio nostri Ponc. Non ergo loquimur de libertate in hoc sensu, sed de libertate in actu 2. Sed ut plenius hoc intelligatur.

7. Notandum est ultimo ex Subt. Doct. loco citat. §. *Quantum*, ad 2. art. dico: „Quod „voluntas divina nihil aliud „respicit necessariò pro objec- „to ab essentia sua, ad quodlibet „igitur aliud contingenter se „habet, ita quod possit esse „oppositi, & hoc consideran- „do ipsam, ut est prior naturali- „liter tendentia in illud objec- „tum, nec solum ipsa, ut vo- „luntas prior est naturaliter suo „actu, sed etiam in quantum „est volens: quia sicut volun- „tas nostra, ut prior naturali- „ter suo actu, ita elicit actum „illum, quod possit in eodem „instanti elicere oppositum, ita

voluntas divina in quantum ipsa est sub volitione est prior naturaliter tendentia tali, ita tendit in illud objectum contingenter, quod in eodem instanti possit tendere in oppositum objectum, & hoc tam de potentia logica, quæ est non repugnantia termi- norum, sicut dictum est de vol- luntate nostra, quam de poten- tia reali, quæ prior est naturali actu suo. Ex quibus verbis Doct. (ut bene advertit Mastr.) constat divine voluntati, ac volitioni aliquam veram, ac propriam indifferentiam activam, & con- traditionis potentiam conveni- re, sine qua non est intelligibili- lis aliqua libertas, & indifference ad utrumlibet, nimis tamen per habitudinem non ad intrin- secos actus, sed ad extrinsecos obiecta; unde immerito poten- tiā hanc reiicit Cajetan. quando quidem est doctrina valde utilis, & necessaria fundata in essentiali conceptu divinæ libe- ratis, quam concedant omnes Catholici.

## SECTIO II.

*IN QUA NOSTRA CON-  
clusio proponitur, &  
propugnatur.*

8. **C**onclusio nostra; li-  
bertas contingenter  
divinæ voluntatis consilit in

potestate , seu in indifferentia , quam habet , adhuc , ut est sub divina volitione , ad tendere , vel non tendere ad extra , seu ad creaturas ; & ad tendere , seu ad velle hanc , vel illam creaturam . Unde exercitium huius libertatis est ipsamet voluntatio Dei cum tendentia contingenti ad extra , à qua accipiunt creaturae denominationes volitæ , aut nolitæ , & hoc tam efficaciter , quam simplicis complacentiæ ; seu tam in esse possibili , quam in esse futuro , & existentiali . Hæc conclusio sic explicata videtur mihi expressa Subtilis . Doct. nost. mens , ut patet ex ult. Notab. præced. Sectionis . Prob. 1. ex ipso ibidem ; libertas voluntatis nostra in eo consistit , quod ut est prior suo actu , ita elicit illum , quod possit in eodem instanti elicere oppositum : g. libertas contingentia voluntatis divinæ in eo consistit , quod ipsa , ut volens , seu ut est sub volitione , & prior tendentia ad extra , ita tendit in aliquod objectum , quod in eodem instanti possit tendere in oppositum : hæc scilicet ad litteram sunt Scotti : g. libertas contingentia divinæ voluntatis consistit in potestate , in dominio , seu indifferentia quam habet , ut volens est ad tendere , vel non tendere ad extra ; & ad tendere in hoc , vel illud objectum .

9 Præterea ipse Doct. in 4. d. 13. q. 1. inquit : Deum velle creaturam dicit principalius actum divinum , licet connotet transitum ejus super objectum : atqui non potest connotare transitum ad creaturam in esse reali simpliciter ; quia ab æterno est divinum velle cum tali transitu , quando nulla creatura habuit esse reale simpliciter : g. connorat transitum ad creaturam in esse diminuto volitæ , & nolitæ . Atqui transitus ille est tendentia , qua velle Dei ut liberum ab æterno , ita tendit , quod poterat non tendere ad creaturam dando ei esse diminitum : g. libertas contingentia divinæ voluntatis , divinæque volitionis consistit in dominio , & potestate , ad tendere , vel non tendere ad extra . Confirm. 1. voluntati divinæ non convenit libertas primo , & formaliter , ut productiva , & receptiva , sed tantum , ut est operativa ad extra : Atqui eantibus est operativa ad extra , quatenus ad extra potest tendere , vel non tendere ; seu tendere circa hoc ; aut circa oppositum ; g. in tali potestate consistit primo , & per se eius libertas contingentia . Cetera patet , & maior est expressa Doct. Subt. in 1. citato dicentis : Ita ponitur libertas in voluntate divina per se , & primo ,

in quantum est potentia operativa , licet ipsa non sit productiva , nec receptiva voluntatis sua : ergo &c.

10 Conf. 2. sicut voluntas nostra se habet ad suos actus , ita voluntas divina se habet ad objecta ad extra : sed voluntas nostra formaliter constituitur in esse liberi , quia ad suos actus ita indifferens est , ut positis omnibus requisitis ad unum , possit illum ponere , vel non ponere , & ponere opositum : g. similiter divina voluntas est formaliter libera libertate contingentia ex eo , quod est indifferens , & potens tendere , vel non tendere in objectum creatum ; seu rendere in hoc , vel in opositum . Maior est expressa Scoti ubi sup. ait enim : Voluntas nostra est libera ad oppositos actus , ut sit libera ad opposita objecta , & hoc propter limitationem utriusque actus respectu sui objecti : g. posita illimitatione ejusdem volitionis ad diversa objecta , non eopportet ponere libertatem ad oppositos actus propter libertatem ad opposita objecta : sicut voluntas nostra potest diversis volitionibus tendere in diversa volibilia , ita illa voluntas Dei potest unica volitione simplici illimitata tendere in quacunque volibilia , ita quod si voluntas illa , vel illa voli-

tio esset tantum unius volibilis , & non posset esse oppositi , quod etiam est de se volatile , hoc esset imperfectionis in voluntate divina . Hucusque Doct. §. quantum ad primum quæ valde sunt notanda , & pra oculis habenda ; nam aperte ex illis constat , quod libertas divina voluntatis , quæ est perfectio eius , & ab illa nequit deficere , consistit in potestate , & dominio , quo cum sua volitione essentiali potest tendere & non tendere in quocumque volibile creato ; & tendere circa hoc volibile , & circa opositum .

11 Confirm. 3. nam libertas vere , & realiter est in Deo , seu in divina voluntate , ac in eius volitione : g. nihil est distinctum realiter ab ejus essentia , voluntate , & volitione . Antec. patet ; nam alias Deus non esset vere , & realiter liber , quod abhorrent aures , & est contra Sac. Script. & decisiones Conciliorum . Prob. conseq. nam quidquid est vere , & realiter in Deo , est Deus ipse realissime eum summa necessitate , & simplicitate essendi : g. tam libertas voluntatis , quam volitionis est perfectio , & entitas indistincta realiter a divina essentia , penitusque repugnat eam potuisse non esse in Deo , sicut quacunque alia ejus perfectio . At-

Atqui potestas , & indefferentia ad tendere , & non tendere ad extra , est quæ repugnat posse non esse in Deo ; tendentia vero actualis ad extra , & ad hanc , vel aliam creaturam non repugnat potuisse non esse in Deo : g. non in hac , sed in illa debemus ponere constitutivum libertatis contingentia divinæ voluntatis , & divinæ volitionis. Urgetur , de libertate divina ad effectus contingentes debemus loqui , sicut de immensitate ad presentiam in eisdem , sicut de Omnipotentia ad novas productiones , & de scientia libera , quæ non importat quid distinctum à scientia naturali : atqui , hæc & similia nihil adunt illis perfectionibus necessarijs , & infinitis , nisi puram tendentiam , aut terminationem : ergo similiter libertas contingentia , qua voluit hunc mundum creare , & potuit non velle creare illum , & creare alium aut nullum , nihil ponit in Deo novum , & distinctum à voluntate , & volitione essentiali , qua se ipsum vult , & amat necessario , & qua intrinsecè verè & realiter habet posse velle creare mundum.

¶ 2 Arg. 1. libertas contingentia divinæ voluntatis non potest esse quid intrinsecum in Deo : atqui potestas , & indefferentia , quæ est in voluntate

divina adhuc quatenus est sub divina volitione , est quid intrinsecum in Deo : g. in tali potestate , & indifferentia ad tendere , & non tendere ad extra , nequit consistere libertas contingentia divinæ voluntatis. Prob. mai ; quod est intrinsecum Deo , est quid necessarium: Sed necessitas opponitur libertati contingentia : g. libertas contingentia nequit esse quid necessarium , nec quid intrinsecum Deo. Resp. neg. mai. ad cuius probat. disting. mai. ; est necessarium , in essendo , seu quoad entitatem , conc. ; Et in hoc sensu , quidquid est intrinsecum Deo non est contingens: est necessarium in operando , seu quoad tendentiam , & terminacionem ad objecta extrinsecas , neg. Hac enim tendentia , & terminatio , quæ est exercitium libertatis divinæ , non est necessaria , sed omnino libera , & contingens.

13 Sed contra insurg. quia in hoc est præcipua hujus controversie difficultas nempé , per quid constituantur Deus ab æterno actu liberè volens ad extranam vel sic constituitur per indifferentiam , & potestatem tendendi , quo non distinguitur à voluntate divina , neque à divina volitione , vel constituitur sic per præfatam tendentiam , & terminacionem ad extra ? Non

secundum; tum, quia prædicta tendentia est quid extrinsecum Deo, & libertas divina est quid intrinsecum. Tum etiam, quia talis tendentia potest deficere, ut sèpè diximus; divina vero libertas est indefectibilis. Non etiam primum, nam illa indifferentia, & potestas solùm constituit Deum potenter liberè velle; non vero actu liberè volens, ut per se patet: g. non sufficienter manet explicata divina libertas. Fateor hanc esse præcipuam difficultatem; sed etiam fateor hoc esse mysterium penè inintelligibile, & non facile explicable. Verumtamen:

14 Respond. quod divina libertas consistit in prædicta indifferentia, potestate, & dominio, quo per se ipsam divina voluntas media sua unica infinita, & simplicissima volitione tendit libere ab æterno ad creaturas, producendo illas in esse volito, nam ut ait Subtil. Doct. in 1. d. 45. q. unic. vers. ad argumenta: *Dico quod voluntas divinæ sub ratione merè absoluta terminat respectum volunti ad ipsam, quod quidem voluntas divina producit in esse volito, & in aeternitate; si ut intellectus producit in esse cogniti, vel intellecto: Et simili modo dicendum est de esse volunti, sicut dictum est de esse cogniti, dist. 36. Hucusque Doct.*

15 Instabis; non potest fieri transitus à contradictorio in contradictorium, ac proinde à statu indifferentiæ ad statum determinationis, sine aliqua mutatione, vel saltē sine aliqua nova ratione: sed divina voluntas transit de potente, & indifferentiæ ad volendum, vel non volendum, seu nolendum, ad actu volens, aut nolens liberè, & contingenter: g. non constituitur actu liberè, & contingenter volens per ipsam potestatem, indifferentiam, & dominium, quod in signo indifferentiæ habebat; sed per aliam novam rationem additam in signo determinationis, seu actualis tendentiæ ad extra. Resp: 1. sicut responsum fuit quæst. antec. neg. min. nam propriæ ibi non sit transitus à contradictorio in contradictorium; ad hoc enim est necesse, quod successivè existat subjectum sub utroque extremo contradictionis, quod hic non contingit; alias pro eodem nunc aeternitatis darentur duo contradictoria simul vera; esset enim verum; *Deus vult, hunc mundum fore;* & etiam: *Deus non vult, hunc mundum fore;* quod implicat.

16 Resp. 2. neg. mai. in divinis; nam licet verum sit in voluntate creata, quæ dicitur volens, aut nolens, per varios, & diversos actus; quapropter de non

non volente, nequit dici volens liberè, nisi per novam ei advenientem volitionem: secus autem est de volitione increata, & infinita, quæ cum æquivalat omnibus actibus creatæ voluntatis, etiam ei potest tribuere rationem volentis, aut nolentis absque ullo superaddito intrinseco; sed solum ad summum cum nova connotatione objecti extrinseci voliti, aut noliti.

17 Resp. 3. quod ex parte objecti datur mutatio objectiva secundum quid in æternitate, realis verò, & simpliciter in tempore; quæ quidem sufficit ad hoc, ut Deus transeat à contradictrio nolentis ad contradictriorum volentis. Tota autem ratio determinationis divinæ est, quia est liber, ut dictum est. Et hæc solutio sufficit, & facit pro omnibus, quæ ratione immutabilitatis Dei obijci possunt; semper enim respondetur, sufficeret ad tales contradictiones, dari aliquas mutationes extrinsecas, vel physicas, ut quando aliquid de novo producitur; vel morales, ut quando vg. Deus homini remittit votum, aut condonat peccatum, ubi in homine moralis intervenit mutatio. Vel aliter potest responderi cum Subtil. Doct. in 4. d. 16. q. 2. ubi docet: *Potuisse Deum ab æterno velle, ut qui hodie, vg. peccat, maneat ordinatus ad poenam to-*

*to præsente anno, quo elapsi, non sit amplius obligatus.* In quo nulla est contradic̄tio; quia contradic̄tio fuisset, esse scilicet in peccato, & non esse in peccato: esse obligatum ad poenam, & non esse obligatum simili, & pro eodem tempore; quod non ita evenit, sed solum verificantur pro diversis temporibus, pro quibus compossibilita sunt. In æternitate (inquit Scot.) hæc est vera: Iste pro A est ordinatus ad poenam; & iste pro B non est ordinatus ad poenam; nec ista sunt contradictoria, sed sunt vera pro diversis nunc temporis sibi succendentibus, quanvis in voluntate divina simili existentibus.

18 Arg. 2. Si Deus ab æterno potuit transire à statu indifferentia ad statum determinationis; seu de non volente ad esse volentem creature sine additione, & sine aliqua mutatione: ergo & poterit in tempore sine ulla mutatione velle aliquid de novo, quod prius solebat; vel econtra. Atqui hoc communiter à Theologis reiicitur: g. & illud. Resp. quod Suarez, Molina, & alij apud Gonet, immo, & Nost. Lichetus, & non nulli Scotistæ apud Ant. Perez; non renuunt concedere, Deum posse velle in tempore, quod ab æterno non voluit, saltim de potentia absoluta; siquidem mul-

la sequeretur mutatio intrinseca in Deo , & cedit in majorem perfectionem libertatis infinitae Dei , quod non solum decernat, potens non decernere , ut defensamus in hac quæstione ; sed etiam potens revocare decreta factum , cum sibi placuerit. Sed hanc sentent. notant quâm plures, & gravi censura damnant, quapropter;

19 Respondetur ad argumentum , negand. conseq. ; quia ex primo transitu nulla sequitur imperfectio, nec mutatio in Deo; bene verò sequitur ex temporali transitu ; nam saltem daretur mutatio moralis ; & esset signum inconstitiae, levitatis, vel ignorantiae ; quod non minus Deo repugnat , quâm physica mutatio. Cum enim Deus ab aeterno omnia præsciverit , decrevit circa ea quidquid voluit, & vellet facere : erg. si mutaret sententiam esset inconstans , levius , aut ignorans ; nam si inter homines aliqua revocantur , & prudenter debent revocari , ideo est , quia non omnia prævidentur a principio , nec possunt simul occurrere intellectui nostro; Deo autem omnia sunt manifesta in aeternitate.

20 Hæc responsio , & resolutio censetur de fide ; nata Numerorum 23. Non est Deus qua si homo , nec ut filius hominis, erubet. Et Prov. 12. Mul-

tae cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit. Et ex pluribus alijs locis apud AA. videndis. Constat etiam ex nostro Doct. in 1. d. 40. quæst. unic. dum iuquit, Deum contingentè prædestinare , quem prædestinat , & posse non prædestinare : Non simul ambo opposita , nec successivæ; sed utrumque divisim in instanti aeternitatis. Et dist. 45. q. unic. 9. Et vers. Respondeo , inquit: Voluntas divina potest esse principium volendi , quodcumque volibile , non autem potest esse principium volendi aliquid ex tempore , quia hoc non potest esse sine mutatione ipsius voluntatis. Et alibi frequentè agens de immutabilitate divina voluntatis, quem sequitur communis Theologorum sententia. Pro chronide hujus quæst. monet noster Dupach ; non esse hic querendam omnimodam claritatem; quia nequidem libertas creata facile capi potest ; quanto minus divina , quæ concilianda est cum summa simplicitate , & immutabilitate. Et si quis in re tam obscura majorem lucem desiderat , non hic , sed in patria eam speret.

## QUÆST. VI.

Utr. VOLUNTAS DIVINA  
sit causa rerum, & sub  
qua ratione?

**H**AC quæst. alijs ter-  
ni, an, scilicet, voluntas divi-  
na sit formaliter omnipotentia  
Dei? Vel aliter: In quo prædi-  
cato divino consistat divina om-  
nipotentia? Dari in Deo poten-  
tiam ad extra effectivam rerum  
omnium creatarum, Fide, &  
rationibus constat, ex Genes. 17.  
*Ego Deus omnipotens.* Matth. 19.  
*Apud eum possibilia sunt.* Luc. 1.  
*Non est impossibile apud Deum  
omne Verbum.* Ex Symb. S. Athan.  
*Omnipotens Pater, &c.* Quia  
tamen Deus habet in se plures  
perfectiones, & rationes forma-  
les, quibus potest convenire esse  
causam effectivam rerum, me-  
ritò hic dubitatur: An hoc con-  
veniat divinæ voluntati; nam  
aliqui dixerunt, ipsam Dei essen-  
tiā esse per se ipsam causam  
rerum; ac per conseq. esse per  
se ipsam omnipotentiam divi-  
nam formaliter. Ita Durand. &  
Suarez: Thomista etiam aliqui  
liter dividuntur; nam quidam  
volunt, actum imperij divini  
intellectus esse causam rerum,  
seu omnipotentiam. Alij verò,  
existimant, intellectum, & volun-

tatem ex aequo, & simul esse præ-  
dictam causam. Scotistæ etiam  
inter se discrepant; nam Smi-  
sing. tract. 3. disp. 7. quæst. 1.  
num. 7. tenet, causam effectivi-  
vam rerum, seu omnipotentiam  
esse actum voluntatis divinæ,  
seu volitionem divinam tenden-  
tem ad extra. Quiroga ait: Om-  
nipotentiam esse quandam poten-  
tiam executivam formaliter ex  
natura rei à divina voluntate dis-  
tinguit. Pro hac sententia etiam  
citantur à nostro Boibin, Durand.  
& Suarez; immò & sibi videtur  
etiam D. Thomas, qui vocat  
scientiam Dei causam dirigen-  
tem; voluntatem, causam impe-  
rantem; & potentiam, causam  
exequentem. Doct. autem Mastr.  
propugnat, causam rerum, seu  
omnipotentiam esse formaliter  
ipsam voluntatem Dei; quam  
sententiam sequuntur communiter  
Scotistæ pro qua sit pri-  
ma

**z Conclusio:** Deus non ope-  
ratur ad extra per essentiam di-  
vinam, tanquam per rationem  
proximam agendi physique, con-  
currente voluntate solum per  
modum applicantis: sed prin-  
cipium proximum agendi ad ex-  
tra est voluntas efficax, absque  
alia potentia executiva formaliter,  
aut virtualiter distincta.  
Conclusio est Scot. quæst. 4. Pro-  
log. ubi absolute negat, in Deo  
aliam potentiam practicam, &

executivam , præter voluntatem . Et in 2. dist. 1. q. 2. §. Ad pri-  
mum principale . Et dist. 37.  
§. Contra istam in fine ait : Eo-  
dem actu , & ejusdem potentia ,  
quo res voluit ab æterno , etiam  
in tempore producit , nam licet  
res efficaciter voluerit ab æter-  
no , non tamen pro æterno , sed  
pro talis temporis differentia ;  
quem sequuntur communiter  
omnes sui , contra Durand. &  
Suarium , disp. 3. Metaph. seçt.  
16. Prob. concl. Potentia pro-  
xima , & immediatè productiva  
rerum ad extra debet esse princi-  
pium liberum formaliter , siquidem  
productio ad extra libera  
est formaliter : sed libertas for-  
malis , & proxima , nec essentia  
divina , ut præintelligitur volun-  
tati , neque alicui alio attribu-  
to , ut à voluntate distincto con-  
venit : erg. voluntas Dei sicut  
est principium proximum for-  
maliter tendendi , seu volendi  
efficaciter , ita est principium  
proximum libere exequendi .

3. Respondent ; quod licet  
potentia executiva ex se forma-  
liter non sit libera , tamen libere  
operatur ex imperio , & appli-  
catione voluntatis , sicut in no-  
bis contingit . Sed contra : erg.  
potentia executiva Dei , quatenus  
ex se est , non libere , sed  
necessariò operatur ad extra , &  
solum extrinsecè ex subordina-  
tione ad voluntatem libere ope-

ratur . Prob. consequentia ; nam  
quælibet potentia executiva in  
nobis , quæ solum ex applica-  
tione , & imperio voluntatis li-  
bere operatur , ex se , & ab in-  
trinsico operatur naturaliter , ut  
videri est in quolibet actu alte-  
rius potentia à voluntate , nam  
intellectio imperata , v. g. intrin-  
secè , & elicitivè , ut comparatur  
ad intellectum est naturalis , &  
extrinsicè , & imperativè , quia  
ex applicatione voluntatis pro-  
cedit , dicitur libera : erg. illa po-  
tentia executiva , ut à voluntate  
distincta , erit principium agen-  
di naturaliter per se , & essentia-  
liter , licet extrinsicè libere ope-  
retur . Conseq. patet ; quia prin-  
cipium per se , & intrinsicè ac-  
tivum adæquate dividitur in per  
se liberum , & per se naturalem:  
sed ponere potentiam executi-  
vam ad extra intrinsicè natura-  
lem nullus audet admittere : erg.  
vera est nostra sententia .

4. Confirmatur : quælibet po-  
tentia quæ per se , ut distingui-  
tur à quacumque alia , continet  
virtualiter aliquem effectum , con-  
tinet per se modum illum pro-  
ducendi virtualiter ; nam si po-  
tentia ex se nullo modo potest  
producere effectum , ex se nullo  
modo illum continet : erg. si da-  
tur potentia executiva in Deo ,  
quæ prout distinguitur à volun-  
tate , continet virtualiter effectus ,  
quos producit , prout sic distinc-  
ta

ta continet virtualiter modum illum producendi ; quia non datur res sine modo : sed potentia, quæ prout distinguitur à voluntate continet modum producendi effectum , de necessitate talis modus producendi est ab intrinseco naturalis: ergo talis potentia executiva est repugnans in Deo.

5. Urgetur. 2. operari ad extra debet convenire Deo cum perfectissimo modo libertatis: sed perfectiori modo est libera operatio , quando egreditur à potentia libera elicitive , seu immediate exequente ; sicut in nobis perfectiori modo volitio est libera , quam actus alterius potentia ex imperio libero elicitus , nam volitio elicitur immediate à potentia libera , non autem actus alterius potentia , qui ab illa elicetur ex imperio voluntatis ; nam iste actus dicitur liber per participationem extrinsece , & secundario ; primus vero dicitur liber per essentiam intrinsece , & primario: g. si productio ad extra non est actus immediatus procedens à voluntate divina , sed ab alia potentia ex applicatione illius, non est libera perfectissimo modo libertatis : g. nostra sententia sine dubio est admittenda, & magis congruens infinita perfectio- ni, & efficacia divina voluntatis.

6. Conclusio 2. Omnipotencia , seu potentia executiva, non

consistit simpliciter in actu libero , & efficacia divina voluntatis , sed volitio efficax , se habet per modum actionis , & voluntas quatenus nata est producere per talem actum , se habet per modum potentiae , & actus primi. Concl. est contra Molin. Smising , & alios. Est tamen communis apud Scotistas. Prob. divina voluntas licet non immediate , & per se , sed mediante actu spirandi , producit Spiritum Sanctum; tamen voluntas ipsa secunda dicitur potentia productiva , & actus spirationis dicitur exercitium , & actus illius : g. similiter ad extra, velle efficaciter rem esse pro tali tempore, est actus divina voluntatis , non ut in æternitate connotat rem in esse volito , sed prout in tempore connotat rem in fieri , & divina voluntas sortitur rationem potentiae , & actus primi productivi. Confirm : non minus Deus est omnia potens, quam omnia volens ; sed potentia volitiva ad extra non constituitur in ipso actu volendi libero , sed in ipsa voluntate per modum actus primi , à qua oritur talis actus , & volitio libera ut est ratio volendi est actus secundus , & exercitium illius potentiae : g. idem dicendum est parvissimenter , in linea executiva , scilicet , quod ipsa voluntas in ac-

tu primo est omnipotentia, seu virtus productiva ad extra, quatenus est nata contingenter operari, & quia volitio, ut connotat rem in fieri est actio, & exercitum talis potentia; nam omnipotentia naturaliter, & necessario convenit Deo, non tamen actu operari libere: g. non constituenda est omnipotentia in ipso actu.

7 Arg. i. præsertim Suarez contra i. conclusionem; Deus ideo est omnipotens, quia est simpliciter infinitum in omni genere: sed essentia divina est simpliciter infinita ex se in genere entis: g. non solum est quasi radicaliter, & remote principium executivum ad extra, sed etiam formaliter, & proximè. Resp. neg. conseq. nam eodem argumento probaretur Deum esse omnia volens; & omnia sciens per essentiam, sine attributis intellectus, & voluntatis formaliter, vel virtualiter distinctis, quia esse omnia volens, & omnia sciens convenient Deo, quia est infinitus simpliciter in genere entis. Unde ex eo, quod Deus per essentiam sit infinitus in genere entis, solum infertur, quod potentia omnium productiva, sit attributum necessario consequens divinam naturam, sicut cœtera omnia divina attributa. Aliter Resp. neg. mai; nam

supposita infinitate essentiae in essendo, quæ est radix omnium aliarum perfectionum, adhuc non ageret, nisi esset infinitè intelligens, & infinitè volens formaliter infinitate cuiilibet facultati, & attributo propria. Unde Subt. nost. Doctor, quodl. 14. num. 23. inquit: Si essentia Dei non esset volens, nihil omnino posset causare ad extra; quia nihil posset causare, nisi naturaliter.

8 Instabis; in tantum Deus habet potentiam activam ad omnne possibile, quia continet eminenter per infinitatem suam perfectiones omnium; sed illa continentia, & infinitas se tenet ex parte essentiae: g. & potentia. Prob. min.; quia sola essentia est fons, & radix totius esse: g. &c. Resp. neg. mai. Non enim confundi debet continentia eminentialis cum virtuali; nec omnipotentia præcisè, & formaliter convenit Deo ratione continentia eminentialis tantum, sed eminentialis virtualis, & hæc convenit Deo formaliter, & præcisè in ratione principij activi, & radicaliter tantum in ratione essentiae. Replic. Deus in tantum est omnipotens, in quantum est fons totius esse; sed non est fons totius esse, prout intelligens, & volens, sed prout ens infinitum, g. est omnipotens per essentiam. Resp. dist. mai. Prout est fons per con-

tinentiam eminentialem virtutem totius esse ; conc. per continentiam tantum eminentialem, neg. mai. & conseq. Nisi enim contineret creaturem virtualiter, & in ratione principij activi, non diceretur omnipotens, sed pure infinitus ad se, & in se, & velut otiosa.

9 Arg. 2. actus omnes intellectus, & voluntatis sunt, immanentes : g. nihil ponunt ad extra : sed omnipotens ponit res ad extra : g. est distincta ab utroque. Resp. dist. ant. sunt immanentes formaliter, conc. objectivè, & terminativè quatenus connotant terminos productos ad extra, neg. ant. Nam entitativè, & formaliter quidem immanent per aeternitatem, sed connotative, & per respectum ad effectus, & terminos, qui ponuntur a voluntate, actus ejus sunt quasi transeuntes, non præcisè, quatenus est operativa, sed quatenus est productiva. Instab. velle divinum eodem modo respicit Deum, & creaturem : sed non est productivum, prout terminatur ad Deum : g. nec ut respicit creaturem. Mai. patet. Non enim sunt duo velle in Deo; min. etiam est certis. Res. neg. mai. & conseq. probat ; nam prout respicit Deum, est pure operativum, supponens existentiam ejus ; non ita, prout

respicit creaturam ad cuius existentiam terminatur, ut productivum. Utrumque eidem actui potest convenire propter infinitatem. Replicab ; si ut respicit creaturem, esset productivum, eam produceret in esse existentiam, & simpliciter reali ab aeterno : sed conseq. est falsum : g. &c. Prob. sequell. quia non est potior ratio, cur ab aeterno sit tantum operativum, & productivum, quam in tempore. Resp. neg. mai. & ant. probat ; quia fecunditas, seu efficacitas pendet ab eius libertate, qua non vult producere res, nisi in tempore.

10 Arg. 3. omnis potentia, qua iam habet positum terminum sibi adæquatum, non potest ad ulteriora terminari, aliqui ille prior esset, & non esset adæquatus, ut patet : sed voluntas Dei jam habet terminum sibi adæquatum, idem est de intellectu : g. non potest in ulteriora terminari; v.g. ad creaturem producendas : g. in Deo requiritur alia potentia productiva præter voluntatem, & intellectum. Prob. min. nam voluntatis Dei terminus adæquatus, est Spiritus Sanctus, & verbum respectu intellectus : g. &c. Prob. antec. nam uterque est productus ; verbum quidem per intellectum ; Spiritus vero per voluntatem, & uterque tam est infinitus, quam

ipse intellectus , & voluntas. Resp. 1. quod argum. hoc , si quid valeret , probaret etiam Deum extra se nihil intelligere, nec velle; quod falsum est in omni sententia. Resp. 2. dist. mai. In ea ratione secundum quam ille terminus est illi adæquatus , conc. sub alia ratione, neg. mai. Et ad min. dico, verbum , & Spirirum Sanct. esse terminos adæquatos productio- num ad intra , non vero ad extra , & quæ producuntur liberé. Potentia generandi , & spirandi distinguuntur à potentia creandi; illa est potentia notionalis , seu personalis , hæc verò essentialis; per illam communicatur essen- tia in perfectissima identitate, & terminus productus est sola personalitas , seu relatio Filij , & Spiritus , quæ non est quanta , ut videbitur : per istam verò com- municatur substantia , & existen- tia distinctissima. Igitur poten- tia generativa , & spirativa ex- hauiuntur , seu adæquantur per suos illos terminos , non autem potentia operativa , & pro- ductiva ad extra.

ii Arg. 4. sicut munus in- tellectus est intelligere , mu- nus voluntatis est amare; sed intellectus infinitus non habet virtutem , nisi ad intelli- gendum : g. neque voluntas , ni- si ad amandum : atqui omnipo- tentia est virtus ad producen-

dum : g. non consistit in volun- tate formaliter , sed in prædi- cato alio distincto. Resp. con- ced. totum præter ultimam con- seq ; nam producere est amare, seu velle rem existere. Repl; Deus vult producere per omni- potentiam : sed hoc innuit esse prædicatum distinctum à volun- tate : g. &c. Resp. conc. mai. & neg. min ; nam etiam Deus vult amare , & si mavis , vult amare per voluntatem , & hoc non in- nuit amorem derivari à distinc- to prædicato à quo derivatur volitio. Repl. 2. Quando in prin- cipio creavit Deus universa , di- cendo fecit ea ; ut constat ex Genes. 1. *Dixit Deus fiat lux,* & facta est lux : & alia hujus- modi sæpe ; sed dicere pertinet ad intellectum : g. in intellectu consistit omnipotencia. Resp. conc. mai. & dist. min ; dicere verbum pertinet ad intellectum, conc ; dicere in tota sua latitu- dine , neg. & etiam conseq. nam datur dictio , quæ est imperium fac hoc , vel fiat hoc , & hoc per- tinet ad voluntatem. Quod au- tem in Genesi loquatur Moyses de doctrina , quæ est imperium constat ex Ps. 148. *Ipse dixit,* & facta sunt , ipse mandavit, & creata sunt : Sed mandare, seu imperare pertinet ad volun- tatem , sicut illuminare , seu di- rigere , ad intellectum : g. im- perando per voluntatem , dixit, seu

seu produxit. Dicitio autem intellectus solum est ostensiva; non vero effectiva.

12 Arg. contra 2. conclusionem pro nost. Smising; Volitio divina naturaliter Deo convenit, & est principium physicum operis ad extra; sed hoc sufficit, ut sit omnipotentia: g. ita est. Prob. mai: quoad 1. part; volitio divina non potest non Deo convenire: g. necessario, & naturaliter illi convenit. Prob. 2. pars; volitio creata est principium physicum habituum: g. & volitio divina est principium physicum ad extra. Respond. neg. mai. quoad 1. part; quia vel loquitur de volitione divina absolute inspecta, vel efficaciter ad extra considerata? Si 1. non potest esse omnipotentia, quæ est terminus connotativus, & præcisè respicit terminum ad extra. Si 2. falsum dicis, nam actus efficax divinæ voluntatis ad extra, non necessario Deo convenit, sed liberè contingenter, quia liberè Deus ad extra producit. Secunda pars mai. est falsa, & neg. paritas, quæ in ejus probatione ponitur: nam habitus acquisitus essentia-liter petit actum ad sui productionem; & conseq. habitus acquisitus in voluntate necessario petit volitionem ad ejus existentiam. At vero potentia Dei executiva debet esse actus primus,

& naturaliter Deo convenire, quorum neutrum habet divina volitio.

## QUÆSTIO VII.

DE AFFECTIBUS DIVINÆ  
voluntatis.

1 **D**iscus iam pro nostra tenuitate difficultibus præcipuis, quæ de voluntate Dei communiter exagitantur; supereft, ut de aliquibus ejus affectibus breviter, & per quasdam quæstiunculas, quid sit tenendum, resolvamus.

2 Quæritur igitur 1. Utrum in Deo sit amor? Resp. affirmativè. Joann. 3. *Sic deus dilexit mundum.* Ratio est; quia amare, est velle bonum alicui; Dei autem vult creaturis, tum bonum naturale, nempé existentiam; tum morale, gratiam, scilicet, & gloriam: ergo &c. Amor quem habet ad creaturas, vel est amor benevolentiae, quo fertur circa rationales, quas amat propter se ipsas, & non propter alia; quod si ab illis redametur, est amor amicitiae: vel est concupiscentiae, & isto amore fertur in irrationales, quas amat propter rationales. Porro, amor Dei est æqualis respectu actus, quia est indivisibilis; est autem inæqualis ex parte affectus; quia

vult maius bonum uni , quam alteri.

3 Quaritur 2. an in Deo sit odium ? Resp. Esse in Deo odium abominationis , quo abominatur peccatum , tanquam suæ bonitati contrarium , & saluti nostræ. Et etiam odium inimicitia , quo ex displicantia persona peccantis , vult illi inferre malum. Nec quis dieat , voluntatem non posse ferri in malum ; hoc est enim , in malum diligendum ; non detestandum : vel hoc est verum de malo culpæ , non de malo poenæ. Dices ; velle alieni malum , hoc est contra charitatem. Hoc verum est , quando ratio volendi est injusta ; quando autem Deus vult malum poenæ , est justa , quia hoc sua exigit iustitia.

4 Quarit. 3. utr. in Deo sint gaudium , & tristitia ? Resp. esse gaudium , seu delectationem ; gaudium enim est affectus voluntatis circa bonum præsens : Omnia autem bona sunt præsentia Deo , immo ipse est summum bonum : g. est in illo gaudium , alias non esset perfectè beatus , quia gaudium est proprietas resultans ex beatitudine. Resp. tristitiam non esse propriæ in Deo , quia est affectus citæ malum proprium præsens. Quod si tristemur de malo proximi ; hoc est , quia apprehendimus illud tanquam proprium;

Deo autem nullum est malum proprium præsens , nec apprehendit nostrum , ut suum : g. non est in illo tristitia propria. Potest tamen dici , quod habeat quandam displicantiam mali , quod committimus.

5 Quarit. 4. utr. sint in Deo desiderium , & fuga ? Resp. neutrum esse in Deo ; quia desiderium tendit ad bonum futurum , quod desideratur ; & fuga respicit malum proprium , quod fugimus : respectu autem Dei omne bonum est præsens , & nullum malum potest illi accidere ; & sic non est in illo desiderium , aut fuga respectu sui : licet respectu nostri possit dici cum Chrysoft. quod nobis gloriam desidereret , & damnationem detestetur.

6 Quarit. 5. utr. in Deo sint spes , & desperatio ? Resp. non esse spem ; quia tendit circa ignota , vel circa bonum futurum , vel circa bonum , cuius affectio speratur ab alio ; hac omnia autem non sunt in Deo : g. nec spes respectu sui : potest tamen sperare nostram salutem. Ref. non esse desperationem quia fertur circa bonum absens ; quod obtainere non possumus : ve circa malum , quod repelleret non valemus. Tamen respectu nostri , dici potest quod Deus desperet de nostra salute : sed hoc dicitur secundum nos-  
trum

trum intelligendi mudum.

7 Quær. 6. utr. sit in Deo timor, audacia, & ira? Resp. non esse in Deo timorem; quia est circa malum proprium futurum; & si timeamus de malo proximi, hoc est, quia illud, ut proprium apprehendimus. Non est etiam audacia; quia fertur circa ardua, & nihil est difficile Deo. Non est tandem ira, si summatur iuxta Atistot. pro appetitu doloris vicissim inferendi adversario; licet enim inferat dolorem peccatori, non potest tamen ab illo accipere. Si sumatur pro appetitu vindictæ, est aliquomodo ira in Deo.

8 Quær. 7. utr. *In Deo sit iustitia?* Res. 1. Quod cum iustitia sit virtus inclinans voluntatem ad reddendum unicuique quod suum est. Alia est generalis, quæ versatur circa bonum commune, & est iustitia boni civis: alia est specialis, quæ occupatur circa bonum particulare, & est iustitia boni viri. Iustitia subdividitur in iustitiam ad alterum simpliciter, quæ tendit in personam à se distinctam, ut quando Judices puniunt reos; & in iustitiam quasi ad alterum, quæ respicit se ipsum, ut quando se castigat peccator propter sua criminia. Res. 2. Ulterius dividit iustitiam in commutativam, & distributivam. Prior consistit in

pactis, emptionibus, venditionibus, locationibus, permutationibus, &c. & in hac attenditur æqualitas inter res, & res, quæ vocatur proportio arithmeticæ, ut tantum reddatur, quantum acceptum est. Secunda consistit in distributione præmiorum, & vocatur remunerativa; vel peñarum, & est punitiva: in hac autem servatur proportio geometrica, quæ respicit personas, & tantum dat de præmio, vel de punitione, quantum fuerit meritum, vel demeritum.

9 Resp. 3. Si iustitia sumatur pro rectitudine voluntatis exequentis, quod sibi bonum videtur, iustitia est in Deo: habet enim voluntatem summè rectam, & quæ est prima regula rectitudinis: unde ait Anselm. *Justum est quod vis, non justum quod non vis.* Si sumatur iustitia pro rectitudine voluntatis exequentis, quod præcipitur per legem, non est iustitia in Deo; quia nulla est lex, quam Deus teneatur observare. Non est ergo iustitia generalis in Deo, qua teneatur reddere comunitati aliquid, quod illi debeatur ex necessitate legis, sed tantum quod vult illi dare. Res. 4. Non est in Deo iustitia ad alterum, quia est reddere alteri jus suum: sed nullus haber jus in Deum; jus enim in uno, supponit debitum in altero: unde dicit Anselm.

*Jus-*

*Justus es Domine, non quia red-dis debitum; sed quia facis, quod te decet.* Quod si Paulus vocat coronam gloriae, coronam justitiae: vocat illam sic, quia debatur ex fidelitate, Deus enim promisit gloriam laborantibus. Quod si dicatur, remuneratio-nem deberi virtuti: hoc est, ex honestate, & decentia, non est jure stricto.

10. *Resp. 5. Quod sit in Deo justitia ad se ipsum, quasi ad alterum, quia voluntas D. inclinatur ad volendum alteri illud omne, quod decet suam bonitatem, vel suam justitiam: ut quando Deus parcit peccatori-bus, & reprobos punit, in hoc est justus: non quod illorum meritis aliquid debeat, sed quia hoc debet sua bonitati, aut justitiae.* Hoc autem justitia dicitur ad se ipsum, quia respicit per-fectiones suas: & dicitur ad alterum, quia propter illas punit malos, vel ignoscit illis. *Resp. 6. Non esse in Deo justitiam com-mutativam strictè sumptam: ad illam enim requiritur æqualitas inter datum, & acceptum: Deus autem nihil accipit à creatura, etiamsi in honorem illius dicantur fieri actiones creaturæ: unde dicitur Job 22. Quid prodest Deo, si justus fueris; aut quid ei confert, si immaculata fuerit vita tua? Deus ergo nihil debet creaturæ, quidquid faciat ipsa:*

omnes enim actiones nostræ de-bentur Deo titulo gratitudinis, quia scilicet Deus nos creavit, & conservat quotidie: unde, si gloria dicatur nobis deberi; hoc non est ex justitia propria, sed ex fidelitate, in quantum illam promisit operibus nostris.

11. *Resp. 7. Non esse in Deo justitiam distributivam: qui enim habet illam, tenetur reddere præmium æquale æquali merito; & non præferre unum alteri: in hoc enim consistit personarum acceptio, quæ est defectus contra justitiam: at Deus potest dare, si velit, majorem gloriam minori merito: communiter etiam dat maiores gratias, uni, quam alteri: unde habetur Matth.*

20. *Volo dare huic noviss mo, sicut, & tibi; non facio tibi injuriam, tolle quod tuum est:* erg. non est justitia distributiva in Deo.

12. *Quær. 8. Sit in Deo misericordia?* *Resp. Si miseri-cordia sumatur pro compassio-ne, seu pro motu appetitus sensiti-vi inclinante ad sublevatio-nem miseriae alterius, non est in Deo; in eo enim non est appe-titus sensitivus: & hoc est quod dicunt, materiale misericordia non est in Deo. Si sumatur verò pro sublevatione miseriae alienæ, quæ fit, vel præservando, vel liberando, in Deo reperitur; Psalm. enim 144. habetur: Mi-*

serationes ejus super omnia opera ejus; unde Ecclesia canit: *Deus cui proprium est misereri.* Illa autem misericordia patet manifeste in operibus ejus: unde dicunt Patres, quod Deus remunerat supra condignum, cum ejus præmium supereret merita nostra juxta D. Paulum: *Non sunt condigne passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Dicunt etiam, quod puniat circa condignum, & minus quam nostra peccata exigant. Tandem asserunt, Deum justificare ultra condignum; quia dum peccavit homo, indignus est venie, quam Deus illi tribuit, impertiendo gratias, quibus adjutus, veniam meretur.

13. Quær. 9. Quomodo possit Deus præmiare supra condignum, & non ire contra justitiam? Quomodo etiam dicatur misericordiam Dei videri in omnibus, attamen Jacobum cap. 2. dicere quod *Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam?* Dico ad primum Deum facere supra justitiam, non contra; sicut qui daret decem nummos, & deberet tantum quatuor. Ad secundum dico; fieri illi judicium sine misericordia totaliter liberante, conciliqualiter relaxante, & mitigante penas debitas, neg.

14. Quær. ultimo: Quomodo Deus dicatur punire circa

condignum, cum puniat aternaliter peccatum, quod commissum fuit quasi in instanti? Resp. Ideo punit circa condignum, quia peccatum est infinitum intensivè, ratione objecti quod lredit, & quod intensivè infinitum est: attamen pena est tantum infinita extensivè, scilicet, duratione. Cùr autem pena sit aeterna, est primò, quia peccatum infinitum est, ut diximus: Secundò, quia licet materiale peccati sit temporaneum; nempe actio qua committitur peccatum; attamen formale peccati, seu culpa durabit in aeternum in anima damnati; & sic potest punire aeternaliter. Tertiò, quia sicut gloria est aeterna, poena talis debet esse.

## DISPUT. V.

DE PROVIDENTIA  
Divina.

**P**rovidentia in communi est nomen univocum, vel analogum respectu prædestinationis, & reprobationis de quibus disp. seq. Deo dante, disputabimus, & alias providentia, ut videbimus per se ad voluntatem pertinet; quare merito post notitiam de voluntate in communi, ut perfectius innotescat, & ante notitiam de prædefinitione, & prædestinatione in speciali, hanc dif-

disputationem in præsenti loco  
eligimus discutiendam.

per intellectum , & voluntatem ,  
& non impeditis ab usu ratio-  
nis reperitur.

### QUÆSTIO I.

*AN, ET DE QUIBUS DETUR  
in Deo providentia, & ad quam  
potentiam per se per-  
tineat?*

**S**uppono cum communī  
consensu , præcipue  
cum nost. Doct. in 1. d. 46. §.  
ad primum. *Providentiam esse  
directionem rerum factibilium  
in suos fines ; seu ut ait Doct.  
Est ordo mediorum , seu directio  
quibus unaquaque res suum fi-  
nem affequitur.* Quæ directio  
potest considerari in intentione ,  
quo pacto actio intelligendi in  
mente artificis dictat modum  
operis efficiendi , & actum vo-  
luntatis imperantem , ut opus  
tali modo fiat , importat ; vel  
in executione , prout ipsam ope-  
ris præconcepti , & voliti effectio-  
nen dicit. In priori sensu , pro-  
videntia propriè nomen provi-  
dentiæ , & prædefinitionis sorti-  
tur , nam deribatur à pro , &  
videre , quod est ante operis execu-  
tionem videre , & præordina-  
re : in posteriori autem sensu  
propriùs dicitur creatio , con-  
servatio , vel gubernatio , quæ  
est propria providentiæ execu-  
tio : quapropter providentia in utra-  
que acceptione solùm agentibus

2 Providentiam autem in  
priori acceptione sumptam di-  
vidunt omnes cum Philosopho  
6. Ethicor. cap. 8. in tres par-  
tes , scilicet , in *Monasticam* ,  
quæ quis res factibiles sibi ipsi  
convenientes , ritè , sapienter  
que disponit. Certum est autem  
in Deo nullam esse providen-  
tiā Monasticam ; hæc enim so-  
lū est de rebus contingentibus ;  
quæ autem Dei sunt , necessaria  
sunt , & omnino immutabilia ;  
adeoque nullatenus Providentia  
subesse possunt. Aliam *Econo-  
micam* ; quæ est providentia , quæ  
quis disponit de rebus factibili-  
bus convenientibus Domui , &  
familia particulari. Tertiam de-  
nique in *Politicam* ; quæ est Pro-  
videntia , quæ quis disponit de  
rebus factibilibus convenienti-  
bus Reipublicæ : Et qualibet ex  
jis subdividi potest in natura-  
lem , & moralē : naturalis est ,  
quæ res ordinat in suos fines  
naturales , sive sint necessarij ,  
ut nutritio , & augmentatio , in  
homine ; sive liberi , ut guber-  
natio. Moralis est , quæ dirigit  
opera moralia , & honesta , &  
hæc dicitur Prudentia. Deinde  
providentia politica dividitur  
Theologicè in naturalem , & su-  
pernaturalē , penes directio-  
nem ad finem naturalem , vel  
fa-

Supernaturalem per supernaturalia media. Et deinde dividitur in generalem, & specialem; Specialis est, quam habet Deus de speciali gradu creaturarum, ut specialis cura de prædestinatis: generalis est, quæ ordinat media pluribus gradibus creaturarum communia. Hoc supposito, Sit:

3. Conclusio 1. de fide tenenda: in Deo datur providentia, quæ potest appellari Politica, & quasi œconomica; & dico quasi, quia cum sit providentia superioris eminentiæ, nullum nomen humanum ei adæquare potest. Conclusio non solum de fide tenetur, sed lumine naturali dignoscitur. Quod sit de fide, probat. ex Ecclesiast. 5. *Ne dicas coram Angelo non est providentia.* Et Lucæ 12. Et Math. 6. dicitur: *Multa esse, quæ prouidentiam Dei, etiam circa minutissima, proclaimant, ut quod Deus curam habet fore, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur.* Ut attinet ad lumen naturale, adeò verum est, Deum habere providentiam de creaturis, ut Clemens Alexandrinus lib. 5. asserat trium questionum genera esse, quibus stultum esset rationibus respondere: sed ad primam, scilicet utrum, ignis calefaciat? dicit esse remittendum ad sensum. Ad secundam videlicet, utrum hono-

randi sint Parentes? dicit, respondendum esse increpatione. Ad 3. scilicet, utrum sit Providentia? dicit, respondendum esse supplicio: ac proinde omnes Sophi, qui sophorum nomine digni sunt insigniti, & condecorati, providentiam primi motoris, & causa agnoverunt; licet Cicero, Demoeritus, & Cratil. in luce meridiana cœcuentes, in hac parte erraverint. Prob. ratione naturali à priori, Deus est causa per se libera, agens per intellectum, & voluntatem: g. quidquid operatur in tempore ab æterno fuit previsum & determinatum per decretum sua voluntatis, & judicium sui intellectus: sed perfectissime operanti repugnat omnis causalitas: erg. de omnibus, & singulis habet Providentiam.

4. Conclusio 2. Deus prouidet omnibus, & singulis entibus immediatè, immedietione virtutis, & suppositi. Sic Socr. in 2. d. 37. §. contra istam opinionem. Et communiter Theologici, & PP. pro quibus omnibus sufficiat. Gregor. 24. moralium, ubi ait: *Mundum per se ipsum regit, quem per se ipsum condidit.* Prob. ratione, quæ in authoritate Gregorii continentur; ad omnia per se, & immediate, se extendit divina providentia, ad qua se extendit divina causalitas: sed Deus omnia.

& singula entia creata, quantumvis minima producit immediate, immediatione virtutis, & suppositi: erg. de omnibus immediatione virtutis, & suppositi haber providentiam. Consequentia est legitima; quia non produceit immediate, nisi dirigen-  
do, & ordinando terminum causalitatis in proprium finem: sed hoc est providere: g. &c.

5 Confirm. per singula dis-  
currendo, nam Cœli enarrant  
Dei gloriam, & providentiam.  
Et Psal. 118. dicitur: Ordina-  
tione tua perseverat dies: erg.  
in Cœlestibus motibus divina  
providentia lucefecit. Nec obstat,  
si dicas providentiam esse de con-  
tingens, motum autem Cœli  
esse necessarium, & invariabili-  
lem; nam respectu Dei nihil  
est necessarium, sed contingens,  
& quod talis motus sit necessa-  
rius, & invariabilis solum in-  
fert, quod circa ipsum non de-  
tetur nova providentia, & dis-  
positio, sed eadem antiqua, qua  
in principio fuit conditus, gu-  
bernetur, & dirigatur. De sub-  
lunaribus etiam patet; Tum ex  
illo Sap. 6. Equaliter est illi cu-  
ra de omnibus. Tum etiam ex  
Psal. 146. Qui dat jumentis es-  
cam ipsorum, & pullis corvo-  
rum invicantibus eum. Et Math.  
6. & 10. Respicite volatilia Cœ-  
li, quoniam non serunt, neque  
metunt, neque congregant in-

borrea, & Pater vester valsis,  
pascit illa. Nonne vos magis pluris  
estis illis? Et post pauca: Consi-  
derate lilia agri quomodo cres-  
cent: non laborant, neque nent.  
Dico autem vobis, quoniam nec  
Salomon in omni gloria sua coo-  
pertus est sicut unum ex ipsis. Si  
autem fænum agri, quod hodie  
est, & cras in ciborum mittitur,  
Deus sic vestit: quanto ma-  
gis vos modice fidei?

6 Nec obstat dic. illud 1.  
ad Corinth. 9. Nunquid de bo-  
bus cura est Deo? & illud Hiero-  
nym. in Abac. 1. Absurdum  
est ad hoc deducere divinam pro-  
videntiam, ut sciat per momen-  
ta singula, quot nascantur pulli-  
ces, quot moriantur: Et illud  
axioma commune: De minimis  
non curat Prætor. Resp. ad 1.  
Apostolum id non dixisse, ut  
negaret Deo providentiam de  
bobus; sed ut significaret, le-  
gem veterem Deuteronom. 25.  
quam ibi immediatè antecedenter  
refert: Non alligabis os bo-  
bi trituranti; non tam latam  
fuisse pro bobus, quam pro Mi-  
nistris Ecclesiæ de ipsorum mi-  
nisterio vieturis. Ad secundam  
dicitur; Div. Hieronym. ibi so-  
lum negare eandem omnino in  
specie providentiam cum omni-  
bus; nam addit: Non simus fal-  
si adulatores Dei, ut dum poten-  
tiā ejus ad ima detrahimus, in  
nos ipsos injuriōs simus, eandem

*rationabilium*, & *irrationabilem providentiam esse dicentes.* Ad 3. respond. quod de minimis non curat Prætor, scilicet, ut præcipiat, aut prohibeat; curat tamen, ut permittat, secundum regulas prudentia, & perfectæ providentia.

7 Circa 3. quod inquirit quæstio: tenent communiter Thomistæ, quibus plures ex neutralibus adhærent, providentiam formaliter adæquate consistere in actu intellectus. Scotistæ autem econtra sentiunt, adæquate consistere in actu voluntatis, præsupposito necessario, & prærequisito actu intellectus. Alexander de Ales, quem communiter sequuntur Neutrales, constituit providentiam æquæ, & simul in utroque actu intellectus, & voluntatis. Nostram sententiam docuit noster subtilis. Doct. pluribus in locis apud Scotistas videndis. Prob. 1. Ex dictis in 3. de Anima; nam voluntas obtinet primatum in regno animæ, ut ibi probavimus: sed providentia est actus formaliter nobilioris potentia: g. &c. Præterea; quia non dicitur pauperibus providere, qui cognoscit illorum miseriæ, nec qui media ad illam sublevandam oportuna comprehendit; si non vult efficaciter illa media adhiberet: g. signum est, quod providentia consistit in actu vo-

luntatis, & non intellectus. Deinde, si esset actus intellectus, vel esset cognitio mediiorum ad finem proportionatorum; vel esset judicium practicum dictans talia media congruè eligenda, vel certe imperium quodam dicens voluntati hoc, vel illud esse facendum: Sed nullum horum est. Non quidem primum, ut ex ratione antecedente patet; non etiam secundum, quia judicium illud (quod superfluum, & fictitium judicamus) dirigeret divinam voluntatem, quæ nullatenus dirigit regulatione, & directione, cum sit prima sui, & aliorum regula. Non denique tertio, quia imperare non est intellectus, sed voluntatis. Unde usus invaluit, ut providentia idem sit, quod cura, quæ est actus voluntatis; & Provisor dicitur in Monasteriis, qui habent curam virtutia subministrandi. Et Sacra Scriptura exprimit providentiam per curam, dum Sap. 6. dicit: *Aequaliter est illi cura de omnibus.* Quapropter parvipendenda est nominis etymologia grammaticalis, in qua Thomistæ fundantur; quia inquit, quod vox *providentia*; idem est, ac *prævidentia*; quia etiam *invidentia* derivatur à videre, & est actus voluntatis; & etiam homo etymologicè dicitur ab humo, & essentialiter est animal rationale.

8 Prob. 2. quia providentia est formaliter actus liber: sed actus formaliter liber non est actus intellectus, adhuc partialiter: g. divina providentia nec partialiter consistit in actu intellectus. Minor est evidens; quia et si ad actum liberum necessario præquiratur actus intellectus, nam *nihil volitum, quin præ cognitum*; tota tamen libertas, in sola voluntate consistit, & ab ipsa sola derivatur adæquate. Prob. mai: Providentia est ordinatio mediorum ad finem: Sed hæc ordinatio est actus formaliter liber: g. &c. Minor patet; nam si media sunt æqualiter utilia, ordinare unum, & non aliud ad consequendum finem, est quid formaliter liberum, & ex solo nutu voluntatis pendens. Confirm: actus, quo intenditur finis, non est actus intellectus, adhuc partialiter, sed solius voluntatis: g. neque actus, quo ordinantur, sive eliguntur media ad consequendum finem. Probat. antec; actus, quo intenditur finis, est volitio efficax finis: Atqui volilio efficax finis non est actus intellectus, adhuc partialiter: g. &c. Urgetur; finis intenditur adæquate propter ipsius bonitatem: sed intellectus, adhuc partialiter, non attingit objectum propter suam bonitatem: g. &c. Nunc sic: media eliguntur, vel propter bo-

nitatem finis tantum, vel simul propter utilitatem eorum ad finem consequendum, & nullatenus propter eorum intelligibilitatem, seu veritatem in essendo: g. sola voluntas ordinat media ad finem; et si prærequisitur necessario cognitio finis, & mediorum.

9 Ex quibus sequitur, quod divina providentia, iuxta Scoticam mentem, sic debet definiiri: „Est actus divina voluntatis, quo res omnes gubernat, „& in suos fines dirigit. Seu, „Est æterna ordinatio rerum in „suos fines. Cui definitioni consonat ista. Damasc. lib. 2. de Fide, cap. 29. „Est voluntas „Dei, per quam res omnes ap- „tè, congrueque gubernantur. Et Div. Aug. inquit, quod pro-videntia divina est preparatio mediorum, quibus Deus diri- git creaturas in suos fines. Nec obstat, quod etiam dicat, esse præscientiam, & preparationem beneficiorum; nam præscientia prærequisitur ad preparationem, in qua essentialiter consistit pro-videntia; quia nihil volitum, quin præcognitum. Dicitur, quod est *actus voluntatis*, ut satis abunde est probatum. Et dicitur: *Quod Deus res omnis*, intelligi- tur ab ipso distinctas; quia Deus non habet providentiam sui, cum ipse, utpote omnium finis, ad nullum finem sit ordinabi- lis.

lis. Dicitur *in suos fines*; quia Deus res omnes in fines sibi proportionatos dirigit; naturales quidem in fines naturales, ut cibum ad sustentationem; medicinam ad sanitatem, &c. Supernaturales vero in fines supernaturales, ut gratias actuales ad justificationem, & ad meritum, & gloriam &c. Denique dicitur, *dirigit*: & non perducit, ut distinguatur providentia etiam supernaturalis circa non electos, à prædestinatione, quæ finis affectionem includit, non sic providentia; nam licet semper assequatur finem sum generalem nempe divinæ majestatis, sapientiæ, aut alterius attributi declarationem & manifestationem; non tamen semper finem particularem, ad quem dirigitur. Et certè nunquid luciferum nunc inferni victimam ad gloriam celestem direxerat tanquam ad finem particularem? Nunquid, & gratiæ actuales, seu auxilia in nobis ordinantur particulariter ad nostram conversionem, ad meliorem vitam, &c.? Et tamen quoties, heu! suo frustantur effectu.

10. Ex quibus sequitur, quod cum Deus sit author, & provisor naturæ, & gratiæ, providentia illius alia est naturalis, & alia supernaturalis. Naturalis est illa, qua tanquam provisor naturalis res naturales in fi-

nem naturalēm dirigit, v. g. solēm ad illuminandum; ignem ad calefaciendum; terram, & arbores ad producendum &c. Supernaturalis vero, qua tanquam provisor supernaturalis res naturales vel supernaturales ad finem supernaturalem ordinat, v. g. morbos, afflictiones, iacturam, lites, mortem Parentis, & amicorum, &c. quæ sunt naturales, ad vitæ emendationem, virtutis exercitium, gratiæ augmentum, &c. vel gratias actuales, seu auxilia interna, quæ sunt supernaturales, ad penitentiam justificationem, &c.

11. Arg. contra 1. concl; boni provisoris est avertere mala ab his, quorum curam suscipit: Sed Deus econtra mala permittit, & immitit creaturis morbos, afflictiones, immò creat animalia ipsis nociba, & molesta, ut sunt scorpiones, mures, pulices, muscaæ &c. g. &c. Deinde, si esset in Deo providentia, non permetteret justos opprimi, & impios prosperare, regere, & gubernare; ut vetus est quæra, & conquæri videatur Ierem. 12. dicens: *Iustus quidem tu es Domine, si disputerem tecum: virum tamen iusta loquar ad te; quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus, qui prævaricantur, & ini- què agunt?* Et Job. 12. v. 7. *Quare ergo impij vivunt, suble-*

*yate*

v. tifunt, confortatique divitijs? Et Abac. 1. Quare respicis super iniqua agentes, & ta es, devorant impio tu storem? ergo, vel non est in Deo providentia, vel deest aequitas, dum haec permittit. Resp. ad 1. majorem esse veram de Provisore particulari, non autem de universali; qui aliquando permittit certos defectus, ne impediatur bonum totius communitatis, & cursus causarum. Et certe si omnia mala impedirentur (inquit D. Thomas) multa bona deessent universo: non enim esset vita Leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia Martyrum, si non esset persecutio Tyranorum. Quantum ad animalia praefata dicendum est, Deum illa creasse: Tum ob specierum diversitatem, & pulchritudinem universi, quæ cedere debent certa incommoda rerum particularium: Tum, ad exercendam hominis patientiam. Deinde, quod uni malum videtur, alteri bonum est: Sic & corruptio unius est generatio alterius. Ceterum nefas est negare providentiam Dei, quia consilia ejus non intelligimus.

12. Resp. 1. ad 2. inde tandem sequit, non esse hic proprium locum præmij, & suplicij, sed agonis, & certaminis, post quod, qui gloriose pro Christo tem-

pore belli, id est, miseriaram, paupertatis, afflictionum, persecutionum, &c., certaverint, ascendent in celos in aeternum regnaturi: qui autem sredo certamine, duxerint in bonis dies suos, id est, in prosperitatibus, in divitijs, mollitiae voluptatibus, &c., ad inferna descendunt in aeternum assuri. Resp. 2. hoc potius magnam denotare Dei providentiam; cum enim sit justus, & debeat unicuique præmium, aut supplicium juxta merita, aut demerita decernere, impios (quorum aliquæ actiones moraliter bonæ præmio aeterno privantur, quia in statu peccati factæ) temporaliter remunerat divitijs, voluptatibus, prosperitatibus, prælaturis, aut alijs hujusmodi. Iustos autem (quorum opera bona, quia in statu gratiarum facta aeternitatis laurea coronabit) temporaliter corripit, punit, & affigit propter aliquos leves defectus, à quibus nemo potest dicere: Mundum est cor meum.

13. Sunt, & aliae plurimæ rationes, Cur Deus permittat iustos sic optimi. Primo; ut eorum meritum, & præmium augetur; nam ut ait Apost. 2. ad Corinth. 4. *Momentoneum, & leve tribulationis nostræ supremum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur.* Secundo;

do; ut illorum virtus probetur,  
& perficiatur: *Dum exercetur,*  
*flare*, *dum oprimitur*, *crescit*,  
*dum contemnitur*, *proficit*, *dum*  
*cœditur*, *vinicit*, inquit D. Hilar.  
Tertio, ne afficiantur bonis hu-  
jus vita, & viam loco patriæ di-  
ligant; *Via quippe est via præ-*  
*sens* ( inquit D. Gregor. ) *qua*  
*ad patriam tendimus*, & id cir-  
co *bis occulto iudicio frequenti*  
*perturbatione conterimur*, *ne*  
*viam pro Patria diligamus*. Et  
August. : *Ideo Deus felicitatibus*  
*terrnis amaritudinibus miscet*,  
*ut illa queratur felicitas cuius*  
*dulcedo non est fallax*. Quarto  
denique, omittendo alias ratio-  
nes ( apud AA. videndas ) ut  
ferventius Deum querant; nam  
in Psal. 15. *Multiplicata sunt*  
*infirmitates eorum*, *postea acce-*  
*leraverunt*. Et quidem D. Greg.  
Magn. apud D. Antoninum, p.  
4. tit. 3. c. 7. §. 10. *Continuus*  
*successus temporalium est certum*  
*futurae calamitatis indicium*.  
Boet. 2. de cons. prof. 4. ait:  
*In felicissimum genus est infor-*  
*tunij fuisse felicem*. Immò Seneca  
lib. de provident. plures ratio-  
nes assignat, cur bonis accident  
mala, & inter alias cum Deme-  
trio philosopho ait: *Nihil sibi*  
*videri infelicius eo, cui nihil*  
*unquam evenit ad-*  
*versi*.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*

## QUÆSTIO II.

*AN, ET QUOMODO DEFEC-*  
*tus tam naturæ, quam morum*  
*divinae Providentiae sub-*  
*sint?*

1 **S**ensus questionis est, an  
peccata, monstra, &  
quilibet creatæ voluntatis, aut  
naturæ aberrantis defectus à di-  
vina providentia congruum ali-  
quem in finem justè, sapienter  
que ordinentur? quod ut pateat  
evidenter.

2 Notandum est 1. ex Sera-  
ph. Bonavent. ia 1. d. 46. q. 5.  
Quòd quemadmodum aliquid  
dicitur esse sanum tripliciter;  
aut *subjectivè*, ut animal dici-  
tur sanum; aut *dispositivè*, ut  
potio dicitur sana; aut *ostensi-  
vè*: ut urina sana: Sic aliquid  
ordinabile dicitur tripliciter:  
aut sicut ordinis susceptivum,  
aut sicut dispositivum; aut sicut  
ostensivum. Sicut *Susceptivum*,  
non est aliquid ordinabile nisi  
quod est ens, & natura aliqua;  
& ita malum non est ordinabile  
nisi per accidens, scilicet ratio-  
ne boni. Sicut *dispositivum*, ma-  
lum est ordinabile, sed non sicut  
dispositio ponens, sed privans.  
Duplex enim est ordo, scilicet  
naturæ, & justitiae. Ordo naturæ  
est institutus: Ordo justitiae est  
acquisitus; malum autem privat  
or-

ordinem specialis naturæ , & illum privando incurrit in ordinem justitiae , quia offendit. Unde ratio ordinandi sicut dispositio in ordine justitiae est meritum , vel demeritum. Sicut *offensivum* ; malum est ordinabile , & ordinatum , quia manifestat ordinem bonorum per oppositum: opposita autem juxta se posita magis elucentur.

3 Notand. est 2. ex eodem q. 6. malum ex accidenti conferre aliquid ad decorum universi , non quidem per se , sed per accidens. Decor enim universi , *inquit* , quidam est substantialis , sive quantum ad esse : quidam accidentalis , sive quantum ad benè esse. Quantum ad primum mala non faciunt ad decorum , nec per se , nec per accidens: sed quantum ad aliquem decorum accidentalem , mala benè ordinata faciunt ; non quia mala , sed quia benè ordinata : & ita per accidens , sicut per accidens ordinantur ; & illo decore circumscripto , adhuc esset universum decorum , & perfectum , quavis hunc decorum non haberet. Ad hunc decorum faciunt mala non ratione sui , sed ratione subjecti , quod ordinatur in pœna ad divinæ justitiae manifestationem ; vel ratione oppositi , quia decor magis clarescit ex praesentia mali , sicut opposita iuxta se posita magis elucentur.

sicut communiter dicunt ; vel ratione boni eliciti , multa enim bona Deus fecit , & facta sunt , quæ non essent facta , nisi peccatum præstisset occasionem , sicut illa , quæ gesta sunt in nostra reparatione : tamen sine his omnibus esset universum compleatum.

4 Notand. est 3. ex nostro Alensi 1. part. quæst. 38. Aliquid cooperari in bonum tripli citer. Primo modo ut per se ordinatum in bonum , ut virtus , & gratia : alio modo quod velotius facit moveri in bonum , ut paupertas , & infirmitas: Tertio modo sicut oppositum recedens confert ad intensionem sui oppositi , sicut vehementia frigoris , ac caloris , ut frigus nivis recedens ad calorem : hoc modo peccatum recedens inducit vehementiam doloris , & ardorem majorum benè operandi , sed hoc est ex consequenti. His suppositis , sit.

5 Conclus. 1. Defectus naturæ , pro materiali sumpti , subsunt divinæ providentiae , seu sunt juxta positivam Dei providentiam. Hæc conclusio est communis inter Catholicos. Diximus pro materiali , quia pro formali sunt quid privativum , & non ens ; & sic formaliter , & per se nequeunt terminare divinam volitionem. Prob. conclusio ; nam Joann. 9. dixit Chris-

uis D. de illo cœco nato : Ut manifestentur opera Dei in illo. Deinde subsunt divine providentiae ad patientiam nostram. Ulterius , ad pulchritudinem universi ; nam, ut habet D. Ambros. lib. 3. Exam. cap. 9. Singula eorum , quæ generantur in terris specialem quandam rationem habent , quæ complent universi pulchritudinem : nihil vacat , nihil inane germinat terra. Quod tibi putas inutile , alijs utile est : & sapè eadem , quæ tibi noxia sunt , avibus , aut feris innoxium ministrant pabulum. Et D. Aug. lib. 11. de Civit. cap. 18. demonstrans pulchritudinem universi per Dei ordinationem ex oppositione contrariorum , inquit : *Sicut ergo ista contraria contrarijs opposita sermonis pulchritudinem reddunt: ita quodam non verborum, sed rerum eloquentia contrariorum oppositione facili pulchritudo componitur.* Apertissimè hoc possum est in lib. Ecclesiastici , c. 33. v. 15. hoc modo : *Contra malum bonum est, & contra mortem vita; sic & contra virum justum peccatur, & sic intu re in omnia opera altissimi. Duo contra duo, & unum contra unum.*

Ex hac conclusione sequitur , quod ea , quæ eveniunt casu , & fortuitò , & præter intentionem nostram , cadunt sub objecto providentiae divinae ref-

*Tom. I.*

pectu cuius nihil est casuale , aut fortuitum ; nihil enim evenit in rerum natura præter intentionem Dei , omnia cognoscit , & & ipse causas contrarias applicat , quibus aliquando quædam impediuntur ; unde contingit nasci monstra ; Deus enim per se intendit illa , quia etiam conductunt ad decorum , & pulchritudinem universi ; nam ex varietate conformium , & disformium decor universi resultat ; ob quod communiter dicitur , quod opposita juxta se posita magis elucentur. Videat. nost. Philosoph. Cursus , lib. 2. Physic. disp. 4. quæst. 9. Ex quibus , etiam constat quantum errarunt Priscillianæ hæretici ; putantes nasci unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum , à quibus sua fata proveniunt ; quos impugnat D. Greg. Mag. homil. 10. in Evang. Et D. Aug. impugnat alios , qui dixerint , stellas cuique sua fata distribuere , lib. 5. de Civit. Dei , cap. 1. Etiam patet error quam plurim. Astrologorum , qui censent , Deum in astris providentiam suam certis notis signasse , & quasi scripsisse ; ut in his legentes Astrologi , ortum hominum , & interitum , moresque , eventus , & & defectus eorum possent anuntiare. Universalis autem consensus Ecclesiæ profitetur , omnia quacumque in mundo sunt eve-

*L*

*nire*

ire secundum æternam præordinationem à divina providentia.

7 Dices : Prædicti defectus naturæ sunt privationes modi, speciei, & ordinis : sed nullo privatio participat rationem illius cuius est privatio : erg. si præfati defectus naturæ sunt privationes ordinis nequent ordinari à divina providentia. Resp. cum nostro Seraph. Doct. S. Buenav. in 1. d. 46. quæst. 5. disting. maj. prædicti defectus naturæ sunt privationes ordinis concernentis naturam particularem conceditur ; concernentis dispositionem universalis providentiae, neg. nam, ut inquit Boetius : *Ordo cuncta complectitur, quo sit, ut si aliquis ab assignata sui ordinis ratione discesserit, necesse sit, ut in alteram differentiam relabatur.* Vel ut inquit noster Alexander Alens. quæst. 38. num. 2. art. 1. dicendum est, quod est ordo naturæ particularis, & universalis : sive ordo naturæ, aut providentiae. Defectus igitur naturæ est privatio ordinis particularis, sive ordinis naturæ ; non verò est privatio ordinis universalis, sive ordinis providentiae.

8 Conclusio 2. Peccata etiam subsunt divinæ providentiae. Hæc conclusio etiam est communis. Ex probat, nam ut inquit D.

Aug. Melius judicavit Deus de malis bona facere, quam nulla esse mala permittire. Et in Enchirid. cap. 100. inquit : *Miro, & ineffabile modo nec sit præter ejus voluntatem, quod etiam sit contra ejus voluntatem : quia non fieret, si non fineret : nec utique nollens finit. Sed volens: nec finiret bonum fieri malum, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bonum.* Item lib. 11. de Civit. Dei, cap. 17. *Malorum voluntatum justissimus ordinator, ut cum male illæ voluntates utantur naturis bonis, ipse benè utatur etiam voluntibus malis.* Deinde, Deus permittit peccata ob altissimos fines suæ providentiae, scilicet, ut det occasionibus hominibus superandi tentationes cum gratia, ac proinde merendi ; & ut non insolecant illi, qui purant stare ; & ut misericordia divina pateat in remissionem peccatorum, vel justitia in punitione illorum.

9 Dices : Si peccata subsunt providentiae divinæ : erg. Deus illa vult : atqui hoc est magnum absurdum : erg. &c. Deinde, providentia tantum se extendit ad quæ se extendit creatio ; quia providentia est directio creaturarum ad finem : atqui creatio non se extendit ad peccata : erg. peccata non subsunt divinæ providentiae. Resp. ad 1. Quod duplíciter potest aliquid subesse di-

vinæ providentia, vel tanquam effectus, vel tanquam materia. Effectus providentia divinæ sunt media, quæ præparant ad obtinendum finem; materia vero est id, ex quo facto per divinam permissionem, Deus elicit aliquid bonum. Nunc resp. Si peccata subsunt divinæ providentia: erg. Deus illa vult? Distinctio. Si subessent, ut effectus, conc. si subessent, ut materia, neg. Peccata ergo subsunt providentia, non tanquam effectus, quia non sunt à Deo positivè intenta; sed tanquam materia, quia posito, quod fiant per libertatem hominis, Deus permittit illa, ut inde eveniant bona. Unde Aug. in cap. 2. primæ Thimothi. dicit: *Nulla creatura est, sive quæ manet in charitate, dans gloriam Deo; sive quæ in veritate non stetit, querens gloriam suam; quæ, velit, nolit, non serviat divinæ providentia:* g. sive male vivant, sive bene, utrumque respicit Deus per providentiam; illud, ut deputet ad pœnas; istud, ut ordinet ad præmia. Ad aliud resp. neg. maj. nam creatio, cum sit actio productiva, solum ad res positivas se extendit; Providentia vero, cum sit actio ordinativa, non solum respicit, quod fieri potest; sed etiam fertur circa effectus, quos permittit, vel prohibet, vel punit, vel ordinat ad aliud.

## QUÆSTIO III.

**I**N QUAE RESOLVUNTUR aliqua dubia circa dicinam providentiam.

**D**ubitabis 1. An divina providentia sit de medijs tantum; an etiam sit de fine? Resp. communiter, contra aliquos ex Neutralibus, providentiam propriè, & strictè sumptam solum esse de medijs; nam finis *cui*, & finis *qui* debent præsupponi ad actum providentia. V. g. providentia quæ Deus prædestinat Petrum ad gloriam respicit tria; scilicet Petrum, qui est finis *cui* gloria procuratur; ipsam gloriam quæ est finis *qui* assequendus; & auxilia gratia, quæ sunt media per quæ finis ille consequendus est. Ex his ergo solum dicitur actus providentia propriè, & strictè, qui ordinat auxilia tanquam media, ut Petrus consequatur gloriam. Ratio desumitur ex Damasc. ubi supra quæst. antec: nam providentia est rerum procuratio, quæ omnia gubernantur: g. providentia supponit rem, quæ est finis *cui*, & finem *qui*, in ordine ad quem gubernantur. Deinde ex Aug. providentia est præscientia, & preparatio beneficiorum, seu mediorum: g. est de medijs. Prae-

terea , quantum ad providentiam , se habuit Deus ab æterno in ordine ad res futuras , sicut se habet in tempore in ordine ad existentes : Sed providentia , seu gubernatio rerum existentium supponit eas , & fines : in ordine ad quos gubernantur: g. &c. Prob. min : Deus non providet circa hominem , aut eum gubernat , quando producit illum ; sicut nec Pater quando filium generat , nec dominus quando emit servum ; sed postea , quando proposito fine consequendo , media procurat , ut finem consequatur.

2 Dices 1. quod omnis actio , quæ verè est propter finem est effectus providentia: sed rei productio , & ipsa res cui providetur est à Deo propter finem: g. &c. Secundo ; quia judicium de fine , ut assequibili per media spectat ad providentiam : g. & volitio finis , ut assequibilis. Tertiò ; quia prædestinatio est species , seu pars providentia: sed prædestinatio est ipse actus intentivus gloriae: g. &c. Resp. dist. mai ; est effectus alicujus providentia , conc. est effectus providentia de eo , qui tunc producitur , neg. & concessa min. neg. conseq. Ratio est , quia rām finis cui , quām qui , possunt esse medium in ordine ad alium finem : unde productio , seu existentia Petri , v. g. non

constituit providentiam de Petro , quia non dicitur governari quando producitur : constituit tamen providentiam de alijs rebus , ad quam fines ordinat Deus , tanquam medium ad existentiam Petri. Ad 2. dicimus spectare ut prærequisitum ; non verò , ut providentia formalis. Ad 3. concedimus de prædestinatione quoad executionem ; & negam. quoad intentionem: nam prædestinatione solum est pars , aut species providentia ex D. Aug. quatenus est præparatio beneficiorum Dei , quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.

3 Instabis ; Deus intendens gloriam Petro bene vult ipsi , & bene providet de ipso : erg. actus intentivus finis est actus providentia. Prob. antec. Pater in creatis jam bene providet , & gubernat filium , dum ipsi præfigit statum vita honorificum: erg. &c. Confirm. actus providentia est causare finem per media : erg. & intendere finem , quia ejusdem virtutis est intendere finem , & assequi. Deinde , qui eligit media propter finem ; intendit finem propter se ; sicut , qui amat proximum propter Deum , amat Deum propter se: erg. &c. Resp. dist. antec. bene vult ipsi , tanquam Pater misericordiarum , conc. tanquam Provisor , neg. & etiam conseq. Unde

ne ad prob. similiter dist. antec.  
quia talis designatio status, potius spectat ad Patrem, ut est Pater, quam ut gubernator filij. Ad confirm. conc. antec. & neg. conseq. quia & si sunt ejusdem virtutis universalis, scilicet charitatis, misericordia, aut liberalitatis, non sunt ejusdem virtutis particularis; nam intendere finem specificat puram benevolentiam; assequi autem ultra specificat providentiam. Ad aliud dicimus, quod qui eligit media propter finem, & intendit finem propter se; vel habet duos actus, unum ad finem propter se, & alium ad media propter finem; vel tantum habet unicum? Si tantum unicum; spectat ad providentiam, quia est de medijs. Si duos; pertinebit ad providentiam qui respicit media; quia sicut tunc specificantur intentio, & electio, quorum unus non est alter, pariter specificabuntur in ratione puræ benevolentiae, & providentiae. Paritas de amore proximi propter Deum non tenet; quia proximus non est objectum nec paritale, motivum talis amoris: bonitas autem utilis mediorum, specificat electionem. Vel si manvis, dicemus, actum erga finem etiam spete ad providentiam in sensu magis lato, licet non prout definita fuit ab Aug. & Damasc.

4. Dabit ab. 2. quænam scientia prærequiratur in Deo ad providentiam? Respond. quod ad omnem divinam providentiam prærequiritur essentialiter scientia simplicis intelligentiae. Prob. quia per hanc scientiam cognoscitur conducentia, quam res naturaliter habent in ordine ad hunc, & alium finem, & utilitas, quam possunt habere ex divino beneplacito; sed omnia ista debet Deus cognoscere, ut recte provideat: erg. hæc scientia prærequiritur ad omnem divinam providentiam. Deinde, prærequiritur etiam scientia visionis necessaria, qua videt Deus esse potentem ad ponenda talia media in executione; quia absque hac notitia, imprudenter decerneret, & eligeret media. Resp. 2. quod non prærequiritur scientia visionis mediorum ad divinam providentiam. Prob. quia scientia visionis supponit futuritionem rerum a decreto pro priori exercito: atqui futuratio mediorum non supponitur ad divinam providentiam; sed potius econtra divina providentia de medijs supponitur ad illorum futuritionem: g. &c. Confirm. scientia visionis non est causa rerum; siquidem non ideo res sunt futurae, quia Deus videt; sed econtra, Deus videt, quia sunt futurae: erg. scientia visionis mediorum non præ-

requiritur ad divinam providentiam.

5 Resp. 3. Quod ad providentiam stricte sumptam, quæ tantum versatur circa media, ut diximus, prærequiritur scientia visionis de fine. Prob. quia nullus rationabiliter eligit media, aut cogitat de illis, nisi quatenus conducere possunt ad consecutionem finis intenti : erg. providentia debet supponere finem intentum, & præcognitum, ut dirigat media ad illum consequendum. Unde inferes, quod ad providentiam latè sumptam, quatenus hæc potest comparari ad finem, ut tales, non præquiritur scientia visionis de fine; alias daretur providentia ante ipsam providentiam: nam scientia visionis de fine supponit ipsum finem intentum, & futurum: erg. hæc scientia visionis supponit providentiam de fine: g. si scientia visionis de fine præquireretur ad hanc providentiam latè sumptam, daretur providentia de aliqua re determinata ; ante hujusmodi providentiam.

6 Dubitab. 3. An finis præsupponatur efficaciter intentus ad providentiam de medijs? Resp. 1. quod non præquiritur intentio efficax finis, ut detur providentia de medijs in efficacibus, seu sufficientibus. Hæc resolutio est ferè commun-

nis inter Catholicos contra Lutherum & Calvin. Et patet ex Apost. 10. ad Timoth. cap. 2. Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et subt. nost. Doctor in 1. d. 46. §. Ad primum, inquit : Deus vult voluntate antecedente omnes homines salvare, & salvos fieri, quantum est ex parte sui, & voluntate sua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, leges rectas, & adjutoria communia sufficientia ad salutem. Et D. Aug. lib. 83. Question. quest. 68. ait : Nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent, vocati sunt. Sic etiam loquuntur plures alij Sancti PP. apud AA. vindend. Ergo ex sola intentione inefficaci finis datur in Deo circa reprobos providentia de medijs sufficientibus, seu inefficacibus.

7 Resp. 2. quod adhuc ad providentiam de medijs efficacibus remotis, non præquiritur intentio efficax finis. Hæc resolutio est contra aliquos. Prob. tamen breviter sic; nam reprobi elicunt plures actus meritorios cum gratia efficaci: at qui hæc gratia efficax datur a Deo ex illa intentione inefficacandi illis gloriam, & talis gratia efficax, & actus meritorius est medium remotum ad conse-

quendam gloriam: erg. non prærequisitur intentio efficax finis ad providentiam de medijs adhuc efficacibus. Notanter diximus de medijs remotis , quæ non habent infallibilem connexionem cum fine , ut sunt prædicti actus meritorij reproborum ; quia non conjunguntur cum pœnitentia finali ; at verò ad providentiam de medijs efficacibus proximis , prærequisitur intentio efficax finis; quia prædicta media connectuntur infallibiliter cum ipso fine , qualis est pœnitentia finalis : erg. si Deus vult efficaciter , seu prævidet prædicta media, etiam vult efficaciter finem , seu gloriam, infallibiliter connexam cum finali pœnitentia. Atqui ordinate volens prius vult finem quam media: erg. ad providentiam de præfatis medijs prærequiritur in Deo intentio efficax , seu efficax volitio finis.

8 Dices , cum nostro acutiss. Ant. Perez : Ex præintentione inefficaci finis , non potest Deus eligere medium efficax , ut efficax. Prob. nam effectus infert causam sibi proportionatam ; sed positio medij est effectus finis intenti : erg. positio medij efficacis , ut talis , infert evidenter , finem esse intentum efficaciter. Ergo ex præintentione inefficaci finis , nequit Deus ponere medium efficax ; vel mu-

taretur de intentione inefficaci ad efficacem. Resp. quod hoc argum. tantum probat de medio infallibiliter connexo cum fine; non vero de medio remoto, quod sic non connectitur cum illo. Vel aliter resp. quod effectus infert causam sibi proportionatam in naturalibus , & necessarijs; non vero in liberis , ut est divina providentia. Quod aperte patet adhuc in medijs , seu auxilijs inefficacibus , seu sufficientibus, quæ quidem non proportionantur in omnibus cum fine intento , nec finis intentus cum illis; nam finis intentus , seu gloria intenta reprobis non datur defacto illis ; bene vero de facto dantur illis auxilia sufficientia. Gloria est illis futura conditio natæ : auxilia vero sunt futura absolutæ ; quia illis defacto dantur.

9 Dubitat. 4. quot , & qui sint divinæ providentiae fructus? Resp. quod quatuor principiū fructus numerantur , & considerantur ab AA. Primus est magnum animi solarium , & jucunda mentis tranquillitas in varia rerum agitatione , & perturbatione: cum enim quisque perpendit omnia quæ eveniunt, sive bona , sive mala , non nisi Deo ita ordinante contingere , facile suos omnes motus continet , ratu s, quod nihil horum fieret nisi Deus specialiter illud permette ret;

ret; non permetteret autem, nisi justissimæ rationes ei suscepserent, atque adeò nisi melius esset id permettere, quam impedire. Hac ipsa cogitatione re-creatus S. Job, dum omnium suorum bonorum jacturam audisset, has in præclaras voces erupit: *Dominus dedit, Dominus absolvit.* Illud ipsum ponderabat David cum diceret: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.*

10 Secundus fructus est omnium etiam adversitatum grata acceptatio, neconon, & omnis murmurationis represio, & cohibitio; facile namque divinæ ordinationi acquiescimus, dum attenta mente perpendimus, Deum sapientissimè, benignissimè, & ob justissimas rationes immittere, vel permittere omnes illas corporis, aut animi molestias, quæ nobis interdum accidunt, quæque conferunt, vel ad exercitationem virtutum, vel ad uitiationem peccatorum, vel ad assecutionem æternæ felicitatis: *Momentaneum enim, & levie tribulationis nostra, supra modum in sublimitatem, at rnum gloriae pondus operatur in nobis.* Quas rationes ubi quis perpendit, omnis murmurationis motus comprimit.

11 Tertiò illa divinæ providentia consideratio anxiam re-

rum hujus vitæ sollicitudinem removet, nam ut meritò moneret Christus Salvator Matthæi 6.: *Nesolici sitis anima vestre quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est, quam esca, & corpus plus quam vestimentum?* Respicite volatilia cœli quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa, nonne vos magis pluri estis illis. Unde concludit: *Nolite ergo solliciti esse dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* hac enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Unde admonebat Regius Vates: *Iacta in Domino curam tuam, & ipse te enutriet.* Quod ipsum repetit S. Petrus primæ 5. cap. *Omnem inquit sollicitudinem vestram profluentes in ipsum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

12 Quarto denique, hæc ipsa divinæ providentia cogitatio maximam in periculis ingruentibus affert animi constantiam, & fiduciam. Cum enim Deus omnium, maximè Piorum curam habeat, & nihil sine ipsius nutu, & consilio fieri possit, non est quod timeamus, vel sœvientium hominum terriculamenta, vel dæmonum insidias, vel quidvis aliud molestum à qualibet creatura inferendum. Ipsa con-

fideratione velut impenetrabili Clypeo armatus , & animatus Regius Vates ajebat Psal. 28. *Dominus illuminatio mea, & salus mea ; quem timebo ? Dominus protector vite meæ, &c.* Et meritò quidem , ut expendit S. Aug. *Protegitur enim Imperator scutatis, & non timet, protegitur a mortalibus mortalis, & securus est : protegitur mortalis ab immortali, & timebit, ac trepidabit ?* Et hæc de quæstione.

## QUÆSTIO IV.

*AN DEUS PRÆDEFINIE-  
rit ab æterno omnes operationes  
nostras liberas distinctè, &  
in particulari?*

**1** C eleberrima est in Scholis controversia hæc de prædefinitionibus, & predeterminationibus actuum liberorum voluntatis creatæ, intelligendo nomine predefinitionis decretum efficax simpliciter , & absolutum intentibum , quo Deus decernit positionem alicujus actus liberi ; nomine verò prædeterminationis decretum etiam æternum executibum de applicando in tempore omnipotentiam ad producendum simul cum voluntate creata actum liberum. Circa quæ decreta, ita diversimode discurrunt AA. ut ferè sint quoq; capita , tot senten-

*Tom. I.*

riæ. Pro indaganda hujus difficultatis veritate perspicacissima hominum Dei , & illustrium Theologorum ingenia ad miraculum infudarunt ; nec tamen omnino invenerunt ; fatentibus cunctis cum Magno Aug. difficultatem istam ex illis esse, quas in altitudine divitiarum sapientiæ , & scientiæ Dei reposuit Apostolus. Sed divino favente numine , ut claritate possibili procedamus , quæstionem hanc in tres sectiones divido , in quærum Prima aliqua notabilia proponam ; in 2. verò , quid sit tenendum aperiam. Et in 3. præcipua argumenta solvam. Sit ergo

## SECTIO PRIMA.

*IN QUA ALIQUA SCITU  
dignissima proponuntur.*

**2** N otandum est 1. quod verbum *Prædefinio*, seu *definio* , ( idem sunt in usu Scripturæ , & Patrum ) in significatione non distinguuntur à verbo *præfesto* ; nam indifferenter illis utuntur PP. ad idem significandum. Quia tamen hæc verba ex simplicibus compœcta sunt, addita particula *præ* , ad tollendam omnem æquibocatiōnem circa verborum significatiōnem, est advertendum , quod verbum *destino*, aut *definio*, po-

*Mm*

est applicari ad actus internos animæ, vel ad externos, qui ab illis procedunt; nam *destinare*, idem est, quod proponere, vel intra se constituere aliquid faciendum. Ad Corinth. 2. cap. 8. *destinatam voluntatem nostram*. Et cap. 9. prout *destinavit in corde suo*. Et ad Ephes. 1: qui *prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum secundum propositum voluntatis sue*. Apud Latinos verò sèpè applicatur hoc verbum ad significandas exteriores actiones, & significat *mittere*, & designare exterius aliquem ad aliquid munus. Idem est considerandum in verbo *definio*; nam communiter significat, aut verbis describere, seu declarare rei naturam, & essentiam, aut certis terminis, & limitibus rem aliquam terminare. Frequenter verò referatur ad animum, ut patet ex illo Actor. 2. *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum*. Et cap. 17. *definiens statuta tempora*. Et Luca 22. *Filius hominis scut definitum est vadit*. Idem notari potest in verbo *determino*, in rigore enim significat exteriorem actionem ponendi terminum certum, vel loci, vel temporis: transfertur verò etiam ad animum, quia cum voluntas de se indifferens sit, quando aliquid eligit, vel proponit, determinare dicitur. Et

ita proportione servata idem est *Prædeterminare*, quod *prædefinire*; & utrumque verbum potest Deo attribui, vel ratione interni, & æterni propositi; vel ratione externæ temporalis actionis, qua causam secundam de se indifferentem ad unum determinat, ut nunc moderni Theologi, frequenter loquuntur.

3. Unde verbum *Præfinio*, seu *Prædefinio*, ex vi propriæ significatioñis non significat voluntatem Dei per modum exequentis, nec per modum proximi principij efficientis ad extra, sed sufficit ad prædefinitionem propositum per modum intentionis, seu electionis. Id enim propriè significat verbum *Prædefinio*; ut ex D. Paulo sup. notavimus. In nobis etiam id ipsum constat; nam rectè dicimur nobiscum definire, quæ facere intendimus, vel eligimus. In hoc sensu dicitur 1. Machab. c. 1. *Multi de populo Israël definierunt apud se, ut non manducarent immunda, & elegerunt magis mori, &c.* Et c. 6. *Destinavit non admittere illicita*. Et 1. Reg. c. 20. *Intellexit Jonathas, quod definitum esset à Patre suo, ut interficeret David*. Habemus igitur, quod hæc vox *definitio*; seu *prædefinitio*; propriè, & in rigore verificatur de quodam proposito voluntatis, quod de se potest antecede-

re usum, exercitium, seu executionem, & effectiōnem, præcindendo ab hoc, quod illam inclinet, moveat, & inducat physice, vel moraliter propriè, vel metaphoricè. Si quis autem dicat, quod illa æterna Dei voluntas executiva, qua in tempore operatur, etiam est prædefinitio, seu definitio, non contendamus de verbis, dummodò non afferatur illam solum esse voluntatem prædefinitivam, nam in ordine intentivo, seu intentionis sufficienter salvatur, ut ex dictis constat.

4 Nunc superest præcipue difficultas in explicando quid denotetur per illam particulam *præ*, ex qua verba, *prædefinitio*, *prædestinatio*, *prædict. rmino*, & similia componuntur. Quidam novi Theologi volunt, quod in toto rigore solum significat antecessionem decreti divini ad omnem præscientiam futuronrum secundum ordinem rationis. Alij verò dicunt, quod non significat ordinem durationis, aut antecessionis, sed excellētiā dignitatis, sicut patet in nomine *Prælati*, aut *Præpositi*; Et sic de Virg. dicit Ecclesia: *Elegit eam Deus, & præelegit eam*; id est, ad singularem dignitatem elegit, seu destinavit. Alij dicunt, quod illa particula *præ* in dictis verbis Deo attributis significat antecessionem

æternitatis ad tempus. Alij verò afferunt, quod non solum significat antecessionem æternitatis, sed etiam significat aliquem ordinem antecessionis secundum quem à nobis apprehenditur unus actus Dei prior alio, vel in ordine objectorum, vel alia simili ratione. Sic enim, quia cognitio objecti præcedit volitionem eius, dici potest *præscientia*; quia ad volitionem præcedit talis scientia, seu cognitio: sic etiam, quia intentio finis antecedit electionem mediiorum, ideo propositum salvandi electos, dicitur prædestination ad gloriam, non solum, quia præcedit executionem meritorum, sed etiam, quia antecedit ipsam aeternam electionem mediiorum. Similiter, quia effectus, quos Deus est facturus, facturi non sunt, nisi ex decreto absoluto, vel conditionato voluntatis Dei; ideo tale decretum potest dici *Prædefinitio*, per comparationem ad præscientiam ejusdem objecti prædefiniti, ut futuri, & etiam per comparationem ad ipsam rem futuram; quia in hoc sensu ideo est futura, quia est prædefinita, seu à decreto prædefinitivo accipit quælibet res futuritionem suam.

5 Denique apud eximios nostri ævi Theologos, usus, & sensus hujus vocis *Prædefinitio*, est, quod significat decretum

intentivum efficax , & absolutum Dei circa nos tristis actus liberos , quo , scilicet , Deus se solo decernit actum liberum amoris in voluntate mea ; ex quo decreto praedicti actus , ut finis , movetur ipse Deus ad decernendum per modum electionis praeparare voluntatem meam omnibus requisitis , & applicare illi suam omnipotentiam , ut constituatur in actu primo proximo , ex quo sequitur actus secundus communis ambarum voluntatum. In hoc ergo sensu , qui mihi videtur legitimus , & magis rigorosus praesentis difficultatis , sic potest praedefinitio describi : *Prædefinitio est decretum Dei efficax , & absolutum , quo vult actum liberum ponit à voluntate creatæ , antequam sciat determinationem ipsius creatæ voluntatis , & antequam velit media , per qua talis actus debet fieri , seu ponit in executione.* Vel melius sic comprehendendo omnes divinas praedefinitiones : *Est voluntio Dei efficax , vel in efficax , qua vult esse in voluntate creatæ operationes bonas.*

6 Nunc igitur queritur , an datur in Deo tale decretum ? Circa quam difficultatem quam plurima inveniuntur AA. placita ; nam ferè omnes Thomista pro viribus defendunt , Deum non solum præfinire actum liberum praedic-

to decreto intentivo antecedenter ad determinationem voluntatis creatæ , sed etiam prædeterminare physice ipsam voluntatem creatam ad ponendum tam actum ; quia ab ipsis decretis æternis , ( inquit ) quod oritur in tempore physica qualitas prædeterminativa voluntatis , tanquam ribulus à fonte , & tanquam radius à sole . Quam sententiam late impugnant nostri , & neutrales ex Mar. Doct. in 4. d. 49. q. 6. s. dico . Et quam plurimis alijs locis , inquisibus explicando suam Subt. mentem inquit : *Nunquam causa secunda preventa à causa superiori agente ad unum oppositum , potest potentia propinqua exire in aliud oppositum.* Deinde hoc rejicitur illis fundamentis , quibus in Phys. probavimus non dari physicam præmotionem . Videantur ibi .

7 Et rursus breviter sic , ex illa celeberrima Scotti maxima : Quando aliquod consequens sequitur necessariò ad aliquod antecedens ; in cuius potestate non est illum antecedens , nec in illius potestate est illud consequens : Sed actus prædefinitus necessario sequitur ad prædefinitionem Thomisticam : g. in cuius potestate non est talis prædefinitio , nec in ejus potestate erit actus prædefinitus . Atqui prædefinitio Thomistica , seu prædefinitio Dei in sensu Thomis-

tarum est antecedens ad usum liberum nostrę voluntatis , ac proinde nullomodo in ejus potestate : g. nec in potestate ejus erit actus prædefinitus. Deinde talis prædefinition non est necessaria , nec ad infallibilitatem scientie Dei , nec ad perfectam providentiam , nec ad prudenterissimam gubernationem divinam : g. non est admittenda. Antecedens patebit ex positione nostræ sententiae.

8. Neutrales verò ; iam communiter admittunt istas prædefinitiones efficaces intentivas, sed recurrendo semper ad asylum scientiæ mediæ : nam , inquiunt , quod prædefinition connectitur cum actu prædefinito duplice connexione: una media-ta , seu mediantibus auxilijs, per quæ definit Deus positionem actus liberi. Altera immediata, ora-ta á natura ipsius decreti prædefinitivi, cui repugnat frustrari; unde quanvis attenta prima , & mediata connexione, sit prædefini-tio compatibilis cum diffisu, ac per conseq. infrastrabilis: Sed tunc est difficultas; quomodo potest consensus esse liber, si posita prædefinitione, impossibile est , quod ponatur dissensus , vel carentia consensus? Ad hoc respondent, recurrendo ad scientiam medianam, per quam vidit Deus , quod si ponerentur media, poneretur consensus liber,

quo viso per scientiam infrastrabilem in statu conditionato, prædefinivit Deus illum actum, qui licet posita prædefinitione , non possit non esse, conservat tamen libertatem, quam habuit voluntas in statu conditionato ad ponendum dissensum ; & per con sequens ad vitandam , & impediendam prædefinitionem. Ponunt exemplum in scientia visionis , quæ licet falsificari non possit per exercitium libertatis, quod jam supponit ; potuit tamen impediri, quando voluntas in actu primo poterat omittere talem actum , qui nunc est objectum talis scientiæ.

9. Sed hanc sententiam de scientia media jam supra negavimus , & impugnavimus ; & nunc denū , prout ad præfens attinet , impugnatur sic. Ideo non admittunt prædefinitiones intentivas absque scientia media de consensu conditionato nostræ voluntatis ; quia existimant, prædictas prædefinitiones antecedentes , seu præscidentes à præfata conditione tollere nostram libertatem: sed non auferunt libertatem, absque tali conditione; vel cum ipsa etiam auferunt : erg. &c. Probat. min. Status conditionatus non est status , in quo verè , & realiter exercetur libertas : Sed tantum est status objectibus , quasi imaginarius representatus , & pic-tus

tus ab intellectu: erg. nihil obstat, quod in statu conditionato possint impedire existentiam prædefinitionis, si alias in statu ab soluto ipsam non posunt impedire, ut libertas in hoc statu absoluto salvetur, vel desperatur. Cœterum, vera, & realis libertas exigit, ut dum verè, & realiter exercetur, ita exerceatur, ut sit potestas realis ad positionem utriusque extremi: Sed si post prævisionem conditionata, & ante statum absolutum ponitur præfinitio, in statu absoluto non est potestas ad conjungendum dissensum cum illa præfinitione, nec ad omittendum consensum præfinitum, nec ad impediendam ipsam præfinitionem: g. scientia conditionata, non evincit difficultatem. Mirum sane est, quod potestas ad ponendum dissensum, sit impeditiva præfinitionis, & quod in statu absoluto sit potestas vera, & realis ad positionem dissensus; & denique, quod non in statu absoluto, sed solum in statu conditionato sit potestas impeditiva præfinitionis.

10 Præterea, si fur non furatus fuisset, non esset carceratus: g. in sensu conditionato habuit libertatem ad non esse carceratum: Dùm autem est carceratus, non potest audire Missam; nonne erit imputabile audire,

vel non audire Missam, quia habuit libertatem conditionatam ad impediendum carcera-  
tionem, nempè, si non furatus fuisset? durus est hic sermo. Alter arguo sic: vel in statu conditionato prævidetur; quod si voluntas excitetur auxilio ef-  
ficaci, & præfiniatur ejus con-  
sensus, elicit consensum libe-  
rum? vel prævidetur, quod si  
ita constituatur, elicit consen-  
sum necessarium, & non libe-  
rum? si secundo; g. tām in sta-  
tu conditionato, quam in statu  
absoluto, præfinitio est destruc-  
tiva libertatis. Si primum: g.  
neque in statu absoluto, neque  
in statu conditionato lēdit li-  
bertatem præfinitio: g. innuti-  
liter recurrent Jesuitæ ad statum  
conditionatum, & ad suam  
imaginatam scientiam medium,  
ut admittant præfinitiones in-  
tentivas.

11 Urgetur amplius, præ-  
cludendò aliquas solutiones; vel  
sufficit, quod per exercitium  
pure conditionatum possit vo-  
luntas impedire existentiam præ-  
definitionis, licet non possit  
eam impedire per exercitium  
absolutum, ut exercitium absolu-  
tum sit liberum, & ipsa præ-  
finitio sit absolute libera res-  
pectu voluntatis creatæ, vel  
non sufficit? Si non sufficit: g.  
ad nihil deservit recursus ad  
statum conditionatum: nam  
quan-

quando operamur absolute , non operamur liberé , & meritorie. Si sufficit : g. sufficit exercitium purè conditionatum , ut respectu habentis præfinitionem , sit laudabile illam habere : & respectu non habentis præfinitionem ; sit vituperabile illam carere. Hæc consequent. est legitima in doctrin. Jesuitar. Tunc sic : g. sufficient merita purè conditionata , ut sit laudabile alicui esse prædestinatum : & sufficient de merita purè conditionata , ut alicui sit imputabile esse reprobum ; licet in statu absoluto nec sint merita , nec sint demerita : quod est error Pelagianorum afferentium ; Deum parvulos aliquos glorificare , & alios damnare propter merita , & de merita purè conditionata in ipsis prævisa , si vixissent , & in talibus , & talibus circumstantijs positi fuissent.

12 Subtiliss. nost. Doct. in 1.d. 39. contra scientiam medium, seu conditionatam , ita arguit. Se quæla patet : quia si exercitium purè conditionatum sufficit , ut prædefinitione sit libera voluntati , eo , quod in tali statu conditionato prævidetur homo sub hac vocatione responsurus , quando posset sub illa non responde re : cùr similiter non dicent hæretici , quod sufficit , ut huic parvulo decernatur gloria , & alteri poena , quod Deus prævi-

deat per scientiam conditionatam , quod si unus parvulus vi veret , eliceret merita , altero parvulo sub eisdem cogitationibus perpetranti peccata ? Ceterum , licet in casu præfinitionis detur consensus , aut dissensus absolutus : at consensus , aut dissensus , ut absolutus , & ut absolute exercitus , non est ad structivus , nec impeditive respectivè ipsius prædefinitionis ; quia in hoc statu absoluto iam supponit existentem prædefinitionem ad consensum , vel ad dissensum , ad meritum , vel ad demeritum : erg. solum est ad structivus , vel impeditive consensus , aut dissensus , ut sub conditione prævisus. Perpendantur bene hæc omnia , & quæ in superioribus sparsim dicta relinquisimus , & quæ amplius infra dicemus contra opinionem Jesuitarum , quia maximam , nif fallor , ingerunt difficultatem.

13 Notandum. insuper est , quod actus humani sunt in tri plici differentia , alij sunt moraliter boni , alij sunt moraliter mali , alij indifferentes. Et rursus , actus moraliter boni , alij sunt ordinis naturalis , & alij ordinis supernaturalis. Nunc autem , Scotistarum Schola circa di vinas prædefinitions istorum actu um est valde diversa ; aliqui enim admittunt illas ad omnes actus , cum recursu ad scientiam me-

median; alij admittunt illas, & quidem in sensu riguroso, licet non Thomistico, ad solos actus supernaturales; alij ad omnes actus, sive bonos, sive malos; Alij ad solos bonos, sive ordinis naturalis, sive supernaturalis; Alij reducunt hanc difficultatem ad scrutabilia judicia Dei: Communior verò pars mediat inter prædefinitiones Thomisticas, & Iesuiticas; seu inter prædefinitiones antecedentes, & subsequentes, admittendo solùm condefinitiones (ut ita loquamur) nempe decreta concomitantia: quibus voluntas divina simul cum creata virtualiter, & eminenter in ipsa contenta, vult omnes prædictos actus; quæ quidem decreta nequeunt appellari proprie, strictè, & rigorose, prædefinitiones; quia nullam dicunt antecedentiam ad determinationem virtualem voluntatis creatae; sed solum dicunt antecedentiam aeternitatis ad tempus, quo exercentur prædicti actus.

## SECTIO II.

*IN QUA DECIDITUR QUID  
circa præfinitiones intenti-  
vas defendere debemus.*

14 **C**onclusio I.: Deus ab aeterno aliqua prædefinitione præfinivit omnes ope-

rationes nostras liberas distinc-  
te, & in particulari. Hæc con-  
clusio est communis inter DD.  
& præcipue inter Scotistas cum  
Subt. Doct. quām pluribus in  
locis citatis supra pro cognitio-  
ne futurorum ex liberis decre-  
tis, sive absolutis, sive condi-  
tionatis divinæ voluntatis. Pro-  
bat. autem 1. ex Sac. Script:  
nam Prob. 21. *Cor Regis in ma-  
nu Domini: quocumque volue-  
rit, inclinabit illud.* Sapient. 8.  
*Attingit à fine usque ad finem  
fortiter, & suaviter disponens  
omnia.* Et Sapient. 14. *Tu au-  
tem Pater gubernans omnia,  
providentia.* Ad Ephes. 1. *Om-  
nia operatur secundum consilium  
voluntatis sue.* Prob. etiam ex  
SS. PP. nam D. Aug. Tractat.  
104. in Joann. Inquit: *Osten-  
dit omne tempus, & quid, &  
quando faceret, vel fieri sineret  
ab illo esse dispositum, qui tem-  
poris subditus non est.* Et in Soli-  
loq. cap. 26. inquit: *Præparasti  
mibi semitas, quibus incede-  
rem, & venirem ad gloriam  
domus tue.* Priusquam me for-  
mares in utero, novisti me, &  
antequam exirem de vulva, quid  
quid tibi placuit, præordinasti  
de me. D. Gregor. lib. 12. mo-  
ral. c. 2. *Cuncta Deus præsens-  
ante sæcula decrevit, qualiter per,  
sæcula dispositus.* Et Concil. Va-  
lent. sub Lotar. cap. 3. adducit  
ex Aug. hanc insignem authoris-  
tat:

rat. : Apud Deum de omnibus rebus tam fixa est sententia, quam certa præscientia.

15 Prob. 2. ratione deducta ex subordinatione essentiali causæ secundæ ad primam : Ad ea omnia se extendit divinum decretum, seu præfinitio divina, ad quæ se extendit divina causalitas ; nam ut inquit Subt. Doct. in 2. d. 1. q. 2. §. quantum ad istum vers. respondeo : Agens liberum , u test Deus , eadem voluntione antiqua effectum novum producit pro tunc , pro quando vult effectum novum esse ; non enim est necesse , si sempiterniter vult , quod pro sempiterno etiam velit : atqui ex vi subordinationis essentialis secundæ causæ ad primam , divina causalitas se extendit ad omnes operationes liberas , non solum in communi , & in confuso , sed etiam distinctè , & in particulari : g. similiter ob eandem rationem , & eodem modo se extendit ad illas divina præfinitio. Confirm. quidquid Deus in tempore verè , & realiter efficit , veré etiam ab aeterno efficere decrevit , seu præfinivit ; alias in tempore nova decreta faceret , & sic esset mutabilis ; & quia Deus in tempore agit per realem influxum immediate exhibitum a virtute sua causativa per decretum liberum suæ voluntatis ad agendum applicata,

Tom. I.

ut docet Doct. in 1. d. 45. §. Respondeo : Ergo præcesserunt in Deo ab aeterno decreta libera, seu divinæ præfinitiones respectu omnium effectuum à quavis causa secunda futurorum in particulari , & quoad omnes circumstantias ; quia causa omnes, sicut in essendo , ita in operando essentialiter à prima causa dependent.

16 Prob. 3. concl. ratione deducta ex divina providentia, qua cum sit ratio , seu ordinatio rerum , seu mediorum in finem , necessario supponit voluntatem præfinentem finem , ut quæst. antec. diximus : atqui Deus habet perfectissimam providentiam omnium actuum nostrorum , ut nullus negavit : g. à Deo sunt præordinati , & præfiniti. Hæc ratio deducitur ex D. Iræneo lib. 2. adversus Hæreses ubi ait : *Per Dei providentiam unumquodque eorum , quæ facta sunt , & quæ fiunt , & fiunt à Deo , ordinem , numerum , & quantitatem accipere , & accepisse propriam.* Confirm. quia divina providentia non solum includit actum intellectus , quo Deus feratur in omnes , & singulas creaturas in particulari ; sed etiam actum voluntatis , quo eas distinctè , & in particulari velit : sed si humanos actus etiam in individuo ab aeterno non decerneret , ac præfiniret ,

Na

pro-

profectò fierent præter ipsius voluntatem , & intentionem : ergo &c.

17 Conclusio 2. Probabilius est in via Scoti , prædictas Dei præfinitiones non esse antecedentes usum nostræ libertatis, nec consequentes , sed præcise concomitantes. Hæc conclusio est communior inter Scotistas cum Mastr. 1. Sentent. disp. 4. quæst. 2. art. 1. num. 13. & cum Ant. Perez de *Providentia Dei*, disp. 1. sect. 4. sub sect. 4. & de *Intell. Divino*, disp. 5. sect. 6. ubi inquit , hanc sententiam esse opinionem Patriam Scotistarum. Prob. & priùs explicatur ab ipso Mastr. disp. 3. quæst. 3. art. 8. num. 174. ubi inquit : Constituto igitur hanc esse veram Scoti sententiam , nunc ostendendum est , quam sit rationabilis , & commoda pro concordia divini decreti , & præscientiæ cum nostra libertate ; & quia tota negotiij difficultas consistit in hoc, quomodò Deus præfiniendo aliquem effectum futurum à voluntate creatæ ; potuit coincidere in eandem determinationem cum illa , ita ut simul cum ea determinaverit , cum tamen nec voluntas creatæ in te ab æterno realiter præextiterit , nec determinatè præcesserit saltem in divina scientia; possibilitem , & rationabilitatem concomitantæ divini decreti

cum humano sic declaro ; nam stante illo generali decreto de administratione causarum secundarum , & præsertim liberarum, ut ita earum actionibus adsistere velit , quod unamquamque suos motus agere sinat , ut loquitur Aug. 7. de *Civit. cap. 30. Res quas condidit* , ita administrat Deus , ut eas suos motus agere sinat. Ex hac generali dispositione tenetur , tam in decernendo ab æterno effectus ab eis futuros , quam actualiter concurrendo in tempore ita se se illis acomodare , ut sicut in tempore non efficit , nisi effectum illis placitum , ita , & ab æterno non decernat in tempore futurum ab eis , nisi quod eis placuerit , & ad quod in tempore se se ex sua libertate determinabunt : atqui hoc nequit efficere præfiniendo actiones voluntatis creatæ antecedenter ad illius consensum; quia sic præveniendo ejus consensum , non præfineret quod voluntati creatæ libet , seu placet : ergo hoc tantum efficere potest præfinitione concomitanti, id est , aliquomodò concerneat consensum creatæ voluntatis.

18 Quod autem hoc sit possibile probatur ab Scotistis ex ipso Mastr. Primo à posteriori sic : Quidquid perfectionis est in rebus creatis , ad Deum transferendum est , omni imperfectione sublata : sed estimatur perfectio

inter

inter homines , quod unus interdum incidat omnino in determinationem alterius , nulla existente in illo præscientia determinationis alterius , ex sola similitudine , ingenio , vel complexione , vel mero casu : ergo , quod in nobis à casu est , si sine prævia cogitatione conformemur cum voluntate alterius , aut ex intentione , si ex prævia cognitione determinationis illius , ei conformemur ; in Deo hoc totum suppletur , sublati hisce imperfectionibus , continentia illa eminentiālī , supposito quod decreverit voluntatem creatam suos motus agere ; quia enim voluntas divina est infinita , & eminentēr continens voluntatem creatam , secundum omnem ejus inclinationem , bene potest , cum ab intellectu suo infinito oblati fuerint omnes rerum ordines , cum quibus ipsa ponit potest , necnon , & omnes determinaciones , quas ipsa potest facere , licet non sine Deo , ex vi talis eminentiæ , ita se conformare cum voluntate creata , ac si eam expectasset , aut decretum illius , seu futuram inclinationem cognovisset .

19 Prob. etiam à priori : Quia sicut Deus ex quo est primum ens , continet eminentēr omnia entia , & non minus sine illis , quam cum illis esse potest ; ex quo est primum efficiens ,

continet eminentēr virtutes effectrices omnium causarum secundarum , & non minus , sine illis , quam cum illis producere potest effectus illarum , & cum eadem perfectione ; & ex quo est primum intelligens , & primum intelligibile , continet eminentēr omnia intelligibilia , & non minus se , quam illa natum est representare : ergo pariter ex quo est primum liberum , continet eminentēr omnia libera , & secundum omnem modum agendi eis possibilem ; & ex quo ejus divina voluntas est infinita in genere potentia volitiva , non tantum præfinire potest effectus omnes , quos Deus immediate se solo efficit , sed etiam quos vult efficere , interventu causarum secundarum , coincidendo prorsus in eandem determinationem , in quam ipsæ causæ secundæ caderent , si ab æterno forent , & simul cum Deo ad agendum se se determinarent , absque ullo prorsus libertatis detimento . Prob. conseq. quia sicut divinus intellectus , qui est infinitus in genere potentia intellectiva , potest virtute essentiæ divinæ omnia intelligibilia intelligere , perinde ac si ab æterno , illi præsentia forent , & divinum intellectum moverent in propria existentia , & ad eorum propriam intellectionem ; ita divina voluntas , quia est infinita in gene-

re potentia volitiva; & liberè potest ab æterno omnes effectus velle, & eodem prorsus modo, quo vellet creata voluntas, si Deo ab æterno coexisteret, & se cum divina voluntate condeterminaret ad omnes suos effectus in tempore ponendos. Patet consequent. à paritate rationis: alias divina voluntas non esset infinita, sicut est divinus intellectus. Ecce aptiorem (ne unicum dicam modum) conciliandi nostræ libertatem voluntatis cum divinis præfinitionibus.

20 Explicata jam, atque stabilita possibilitate præfinitionis concomitantis; suadetur, hanc esse unicè eligendam; tūm, quia per illam evitantur incommoda, quæ ex alijs præfinitionibus sequuntur. Tūm etiam, quia est magis conformis Subtilis. Mar. Doct. menti, quam plurimis in locis apud Scotistas videndis, præcipue Mastr. citatum. Sendin  
tra&t.4. de Libero Arbit. disp. 6.  
sect. 3. Ant. Perez controv. 2.  
de Intellectu Divino, disp. 5.  
sect. 4. sub sect. 1. & 2. Et tom.  
2. controv. 5. de Divina Provid.  
disp. 1. sect. 4. Incomoda autem aliarum præfinitionum sunt, quod præfinitiones antecedentes ponunt, & probant in Deo perfectissimum dominium, & perfectissimam rationem causæ primæ; sed videntur enervare, & tollere libertatem nostram. Præ-

finitiones vero subsequentes ab opposito ponunt, & demonstrant libertatem nostram: sed in Deo lādunt rationem causæ primæ, ejusque perfectissimum dominium. Atqui ista incommoda evitantur per concomitantes præfinitiones: erg. has unicè amplectere debemus. Prob. min; quia per concomitantes præfinitiones tollitur nimia fortitudo decreti prædeterminantis, quo prævenitur voluntas creata independenter à suo libito; & etiam tollitur nimia suavitas præfinitionis subsecutæ ad determinationem conditionatam nostræ voluntatis, qua vulneratur dominium Dei; nam ponit actualem veritatem contingentem ante actuale decretum Dei: erg. in medio consistens, concomitans præfinitio, vitat incommoda aliarum præfinitionum; ostenditque viam, qua melius posset expōni, & intelligi illud de providentia divina. Sap. 8. *Attīngit à fine, usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, quia ita vult, effectus ab æterno præfinitos fieri à voluntate creata, ut repugnet non fieri, stante præfinitione; dicitur, eos attingere *fortiter*; & quia vult, eos fieri præfinitione virtualiter, ac eminenter involvente libitum, & usum voluntatis creatæ, dicitur eos attingere *suaviter*.

21 Confirm. ex D. August.  
lib.

lib. i. ad simplic. quæst. 2. dicente : *Deus ut velimus, & suum esse voluit, & nostrum.* Nunc sic : Si Deus præfiniret antecedenter nostrum velle, potius esset Dei, quam nostrum; quia Deus nos determinaret ad volendum : Si autem præfiniret sublequenter, seu post determinationem nostræ voluntatis prævisam, tale velle potius esset nostrum, quam Dei ; quia nos determinaremus Deum ad volendum : erg. ut æqualiter sit suum, & nostrum, debet poni præfinitio concomitans. Urget. ex D. Chrysost. homil. 12. in Epist. ad Hebræos , ubi ait : *Non antecedit libertates nostras, ne lèdatur arbitrium nostrum.* Ergo si antecederet præfiniendo, lèderetur arbitrium nostrum. At qui si subsequeretur, lèderetur arbitrium Dei : erg. ut hæc incommoda vitentur, ponenda est præfinitio concomitans.

22 Præterea : Noster actus liber sic debet poni, ut sit perfectè voluntarius Deo, & nobis: erg. sic debet poni, ut sit immediatè à Deo, & immediatè à nobis, ita ut à nullo sit magis immediatè. Antec. est certum; quia non appareat caput ex quo negari possit, cum Deus sit perfectissimè, & infinite Dominus omnium, & nostra voluntas sit perfectissimè domina suorum actuum; alias non esset perfec-

tissimè libera ; & conseq. sequitur, nam ille, a quo non esset immediate actus liber, vel esset minus immediate, non esset perfectissimè Dominus illius, nec haberet voluntarietatem omnino perfectam. Nunc sic : ergo actus liber debet præfiniti per decretum condeterminans. Prob. conseq. si præfiniretur per decretum antecedens Thomistarum, magis immediate esset à Deo, quia voluntas creata sequeretur voluntatem Dei : si autem per decretum subsequens Neutrarium, magis immediatè esset à voluntate nostra, quia Deus sequeretur nutum voluntatis creata. Primò modo, esset magis voluntarius Deo, quani nobis ; & secundo modo, esset magis voluntarius nobis, quam Deo : g. attendentes ad utramque libertatem, & voluntarietatem, quia utraque debet attendi, debet poni actus liber à quæ indivisiibiliter præfinitus ab utraque voluntate, seu à voluntate divina condeterminante.

23 Quam plurimis autoritatibus Marianis nost. Doct. probant Scotistæ præfinitiones istas concomitantes, quæ possunt videri apud Mæstrum; & Ant. Perez, locis supra citatis; illasq[ue] adducemus pro argumentis contra conclusionem sequentem; & probationes illias ex Subt. Doct. delumptæ, erunt præcipua ar-

gumenta Scotistarum contra istam ; & benē perpensis unius, & alterius principijs , facilē respectivē solventur. Sit ergo.

24 Conclusio 3. Satis probabile est etiam in via Scotti, Deum præfiri actiones nostras bonas præfinitione rigorosa , seu præfinitione antecedente usum nostræ voluntatis. Pro hac conclusione citantur à nostris ex nostris Bricen. Sghem. Felix. tom. de Gratia , cap. 3. & quam plurimi alij in manuscriptis citantur à Doctissimo , & Admod. Rev. Patr. Picazo totius Seraphici Ordinis Secretar. Generali , videatur in suo tom. 2. disput. 6. quæst. 6. num. 635. & quæst. 11. §. incidente , per totum , ubi pro decreto antecedenti stant sapientiſ. Magist. Fr. Carolus del Moral , atque ejus dilectus Discipul. Pater Fr. Joannes Moraleda. Etiam stat pro nostra concl. Smising , dicens , quod necessariò illam amplectere debent omnes , qui cum Subtil. Magist. defendant, præfinitionem , seu prædestinationem ad gloriam fuisse ante prævisione meritorum. Etiam militat pro illa Doctissim. Pater Hieronymus Soasa in sua Scala Theologica , dubio magno Appendice. Immò & Doctissim. atque Illustris. Merin. tom. 1. disp. 3. quæst. 4. sect. 4. stat pro nobis , dicens , quod hanc sententiam , utpote Scotti , & D.

Thomæ communiter sequuntur Scotistæ , & Thomistæ.

25 Ante probationem hujus conclusionis , sic illius sensus explicò : Igitur Deus ab aeterno præfinivit , seu decrevit , non tantum nobiscum , concurrere ad omnes nostras actiones bonas & salutares , sed etiam præfinivit , seu decrevit absolute , efficaciter , & simpliciter , ut illas ponamus , antequam voluerit media necessaria ad positionem illarum , & pro priori quam voluntas nostra se condeterminavit ad illas : ita taliter , quod illas non determinavit ut cumque , neque prædefinitione Thomistica , nempè inducente necessitatem physicam in nostra voluntate , sed solum inducente necessitatem moralem , relinquento in illa indifferentiam physicam ad oppositum , modo quo in positione auxiliij efficacis dicimus , & modo quo posito decreto de danda gloria per merita , ante determinationem voluntatis nostræ ad facienda merita , dicimus Disputatione sequenti , quod voluntas nostra necessario necessitate morali , & infallibili positura erat merita. Et ratio est ; quia sicut medium , per quod ordine executivo acquiritur iste actus bonus , & salutaris , tanquam finis prætentus , est prædeterminativum morale ; quo posito , ponitur actus ne-

necessario necessitate morali, cum potentia physica ad non ponni, & per consequens est vera metaphysice ista propositio: voluntas prædeterminata moraliter, necessario habebit actum liberum, seu potentem non esse, potentia physica, ut de auxilio efficaci loquendo abunde probabimus: Ita decretum intentivum, seu prædefinitio intentiva, à qua procedit electio mediumrum, quibus actus prædefinitus exequitur, debemus ponere hac forma: Volo efficaciter, (dixit Deus ab æterno) & absolute simpliciter, actum amoris ponì à voluntate Petri necessario moraliter, sed cum potentia physica, & metaphysica ad non ponni; & per consequens remanet vera metaphysice, & infallibilis ista propositio: Quia Deus decreto intentivo efficaci, & absolute simpliciter decrevit actum amoris ponendum à voluntate Petri liberè, ideo enim talis actus potest non esse potesta te physica, & metaphysica, nunquam reducenda ad actum, propter necessitatem moralem ad illius positionem semper implendam.

26 Probat. iam conclusio:  
1. cum nostro Philipp. Fabro in addit. ad 1. disp. 56. cap. 4. dicente esse tentationem Scoti in 1. d. 46. §. ad primum. Ubi ait Subt. Doct. ex 1. ad Timoth.

2. „ Deus vult omnes homines salvos fieri: id est, vult omnes homines salvare, & salvos vos fieri, quantum est ex parte te sui, & voluntate sua antecedente, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adjutoria communia sufficientia ad salutem. Nun sic; Deus vult bona opera, & consensus salutares in voluntatibus omnium hominum: atqui hoc velle Dei est præfinitio antecedens: g. ex mente Scotti Deus præfinivit antecedenter nostra bona opera, & salutaria. Maior constat ex verbis Scotti, nam ex eo, quod Deus vult omnibus dare gloriam, vult media, ut est bonus consensus, vult dare, & de facto dat auxilia sufficientia. Minor Prob; nam præfinitio nihil aliud est, nisi decretum, quod Deus vult positionem alicujus actus; & quando Deus vult, omnes homines salvos fieri, vult positionem bonorum operum. Quod autem sit antecedens, præterquamquod ipse subtilis Doct. sic illam vocat laudatis verbis, probatur; quia si Deus velet concomitenter bona opera in omnium hominum voluntatibus, omnes voluntates hominum haberent concomitanter talia bona opera: atqui non ita habent, alias omnes salvarentur: g. non concomitanter, sed antecedenter,

ter, & ex se solo habet Deus volitionem, seu præfinitionem bonorum operum. Solùm est ad vertendum discriminem inter electos, & non electos, seu reprobos; quod circa electos habet voluntatem, seu volitionem, aut præfinitionem antecedentem efficacem bonorum operum; circa reprobos autem habet præfinitionem antecedentem, sed non efficacem, sed solum sufficientem bonorum operum.

27 Confirmat; ex eodem Doctore Subtili in 2. d. 47. q. 2. §. ad solutionem, ubi inquirens acutissime, an Deus sit causa peccati? & resolvendo contra Durand, quod ad materiale illius concurrit efficienter cum voluntate creata, inquit; quod non ob hoc potest adscribi peccatum Deo, nec dici, Deum causam esse peccati; & inter alias, hanc adducit rationem: Quidquid Deus vult antecedenter, velet consequenter, quatenus est ex se. Universaliter enim, quidquid Deus dat antecedenter, daret illud consequenter quantum ex se, nisi esset impedimentum: dando autem voluntatem liberam, dedit antecedenter opera recta, que sunt in potestate voluntatis; & ideo quantum est ex parte sui, dedit rectitudinem omni actui voluntatis. Ecce quomodo Deus, iuxta mentem Scoticam, vult antece-

denter actum rectum, seu bona, & salutaria opera in omnivolumtate creata: g. illa præfinivit ab eterno præfinitione stricta, & rigorosa, vel efficaciter, vel sufficienter respective ad electos & non electos.

28 Confirmat 2. nam in eodem 1. sententiis dist. 41. quæst. unica §. sed contra istud arguitur inquit: *Deus non prævidet ipsum bene usurum libero arbitrio, nisi quia vult, vel præordinat ipsum bene usurum, quia sicut dictum est dist. 39. certa prævisio futurorum, contingentium est ex determinacione voluntatis divinae si ergo offerantur voluntati divinae duo æquales in naturilibus, quero quare ipsum præordinat bene usurum libero arbitrio, & illum non? Non est hujus, ut videtur assignare rationem nisi voluntatem divinam.* Et hoc est prima distinctione inter eos; g. in prima distinctione, pertinente ad prædestinationem, sola ratio est divina voluntas.

29 Præterea querens ibidem causam, seu occasionem prædestinandi, & reprobandi, inquit; quod ex parte creaturarum non datur causa, seu occasio, ut Deus illas prædestinet, bene verò, datur causa, seu occasio, ut illas reprobat. Primum probat illa sua celeberima

maxima : Volens ordinate finem , & ea , quæ sunt ad finem , prius vult finem , quam aliquod entium ad finem , quia propter finem alia vult , ergo eum in toto processu , quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectum finem ultimus sit beatitudo perfecta , Deus volens huic aliquid istius ordinis , primo vult huic creature beatificabili finem , & quasi posterius vult sibi alia , quæ sunt in ordine illorum , quæ pertinent ad illum finem , sed gratia , fides , merita , & bonus usus liberi arbitrij omnia ad istum finem sunt ordinata , licet quadam remotius , & quadam propinquius . Ergo primo isti vult Deus beatitudinem quam aliquod istorum , & prius vult ei quocumque istorum quam prævideat ipsum habiturum quocunque istorum ; igitur propter , nullum istorum prævisum vult ei beatitudinem .

30 Nec mirum , ( prosequitur Doct. ) quod non ponitur similis processus prædestinationis , & reprobationis , quia bona omnia attribuuntur principi alter Deo ; mala autem nobis , & ita Deum prædestinare sine ratione , congruit bonitati sue ; sed ipsum vel e dammare non videtur sibi immediate posse attribui respectu objecti , ut cogniti in suis puris naturalibus , sed tantum respectu objecti , ut cog-

Tom.I.

niti in peccato mortali finali . Ex quibus authoritatibus , & alijs apud nostrates videndis , plusquam probabilis videtur hæc nostra conclusio in via Scoti , taliter , ut Pater Dupasquier , qui strenue militat pro concordantia , facetur , quod re vera si hoc dicit Sub. Doct. in favorem prædestinationis gratuitæ , seu ex imprævisis meritis ; dicaret aliter in favorem opinionis de prædestinatione ex prævisis meritis , quam etiam proponit quasi problematicè . Sed nos primam partem , disputatione sequenti amplectemur . Deinde ex primo loco constat , quod ante decretum non cognoscit dominus intellectus quid determinatè habebitur à voluntate creatæ ; non videt , istum benè usurum libero arbitrio , nisi quia ipse Deus vult , & præordinat benè usurum . Notetur igitur ly quia vult ; & ly præordinat . Insuper , nullam facit mentionem de con-determinatione , seu compræfinitione voluntatis creatæ ; immò apertè ait , quod prima radix , & prima ratio bonorum operum , seu futuritionis illorum , est sola divina voluntas . Si ergo est sola , quomodo habet comitem voluntatem creatam ?

31 Rursus , ex prædictis verbis habemus , quod bonus usus , seu actus bonus liberi arbitrij se habet tanquam finis , &

Og

ap-

applicatio divinæ omnipotentia, & auxiliorum, immo, & ipsa applicatio voluntatis creatæ se habent tanquam media ad exequendum talē actum: g. Deus prius vult, seu præfinit talē actum bonum, quām detur determinatio voluntatis creatæ, & determinatio omnipotentia, & positio auxiliorum; ac per consequens talis præfinitio est antecedens. Denique, ex prædictis verbis Marianī Doctoris habemus, quod in processu reprobationis, & circa mala opera datur contrarius ordo illi, qui datur in processu prædestinationis, & circa bona opera; quia bona omnia (inquit Doct.) specialiter tribuuntur Deo; mala autem nobis. Ex quo deducit, quod prius vult gloriam electis, quām in ipsis videat opera meritaria; & prius vult opera meritaria, quām videat voluntatem creatam illa habere: prius vult ei quocumque istorum (ubi ingreditur bonus usus liberi arbitrij) quām prævideat, ipsum habiturum quocumque istorum. Unde econtra debemus Theologizare circa reprobationem positivam; nam prius videt Deus peccatum finale, quām decernat damnationem; & non prius vult mala opera, quām voluntas proba habeat illa: g. de primo ad ultimum, juxta Scoticam mentem possumus admittere, sicut

admittimus, saltē problematicè, præfinitiones strictas, seu antecedentes circa opera salutaria, ob specialem providentiam Dei circa illa; non verò circa mala opera, nec circa opera indifferentia; nam circa ista omnia minime habet Deus illam specialem curam, ac providentiam.

32 Prob. 2. Conclusio, enermando præcipuum fundamentum Scotistar. nobis adversantium. Fundamentum est, quia existimant, præfinitionem antecedentem lēdere creatam libertatem; nam, ut ait Subt. Doct. in 2. d. 25. q. unic. g. contra conclusionem, & alibi sāpē: Quandocumque aliquod consequens sequitur necessariō ad aliquod antecedens, in cuius potestate non est illud antecedens, nec in ejusdem potestate erit illud consequens. Quæ maxima est principium naturale, illudque applicant ad præfinitiones antecedentes, & ob hoc illas renunt concedere. Hoc non obstante.

33 Probatur, præfinitionem antecedentem minime se opponi cum nostra libertate: Si præfinitio antecedens tolleret libertatem hominis quoad actum præfinitum, vel id faceret per se immediatè, vel per media ad actus præfiniti executionem necessaria, vel certè per qualia-

tatem Thomisticam ; nihil aliud potest excogitari : sed nullo modo ex dictis tollit libertatem præfinitio antecedens : g. &c. Probat. min. non quidem per se ipsam immediate; quia cum præfinitio divina sit quid mere extrinsecum humanæ voluntati, nec ipsam realiter afficiat, non potest ipsam ad unam partem realiter, & intrinsecè determinare, seu necessitare. Quis ergo nostrum non vult, ut omnes infideles convertantur, & habeant opera bona, & salataria? Et quid per hanc nostram volitionem suis voluntatis imponitur?

34 Deinde, præfinitio divina non connectitur immediate cum consensu præfinito, nec cum illa elicit nostra voluntas consensum; sed solùm connectitur medijs auxilijs efficacibus, quibus voluntas elicit illum: ergo non magis lădit libertatem præfinitio antecedens, quam ipsa auxilia; nam quando aliqua extrema connectuntur medio aliquo tertio, non majorem connexionem habent inter se, quam cum tertio: ergo vel auxilia nocent libertatem, vel illam non nocet præfinitio antecedens. Subsumo; atqui auxilia effacia non nocent libertatem nostram, ut satis abunde probant Scotista in materia de gratia: g. præfinitio antecedens, nec per

se ipsam immediate, nec per media tollit libertatem. Atqui nec per qualitatem Thomisticam tollit; quia illam non admittimus, nec ad præfinitionem antecedentem sequitur, ut benè adverrit noster Mastrius, disp. 3. de div. intell. q. 3. art. 6. dicens: Cæterū nescio, an Scotistæ tenentes præfinitiones æternas intentivas, seu decreta antecedentia, à tali sententia recedere debeant ob paritatem de prædeterminationibus Thomisticis; quanvis enim Thomistæ ex præfinitionibus æternis deducant per necessariam consequentiam, physicas prædeterminationes in tempore; negabunt tamen Scotistæ, & forte rationabiliter: g. &c.

35 Confirmat; posita præfinitione ad consensum, remanet voluntas creata cum potentia propinqua ad dissensum: g. præfinitio non aufert libertatem illius. Prob. antec.; Tunc voluntas habet potentiam propinquam ad actum, quando concipitur cum omnibus requisitis essentialibus ad illum: sed posita præfinitione ad consensum, intelligitur voluntas cum omnibus requisitis essentialibus ad dissensum: erg. &c. Prob. min. nam, ut supra insinuavimus, præfinitio antecedens non requiritur essentialiter ad positionem consensus, nec ex dependentia,

aut subordinatione voluntatis creatæ ad divinam , nec ad perfectam providentiam Dei ; alias daretur etiam præfinitio antecedens ad opera pecaminosa , de quibus datur in Deo perfecta providentia , ut supra diximus : sed solum admittimus præfinitionem antecedentem ob specialem providentiam , & curam Dei circa actus salutares , & meritorios. Unde adhuc intellecta carentia præfinitionis ad dissensum , remanet potentia in voluntate cum omnibus essentialibus requisitis ad illum ; quia ex hac parte nullum esse entiale prærequisitum deficit illi , cum habeat omnipotentiam paratam per decretum de concursu simultaneo ad quodcumque ipsa voluntas voluerit.

36 Præterea , posita præfinitione , homo non aliter mouetur ad consensum , ac si illa non esset : sed si illa non esset , esset liber : g. & illa posita remanet liber. Prob. mai. ; Tum , quia ex vi præfinitionis nihil in se recipit homo , nisi auxilium efficax. Tum etiam , quia præfinitio intentiva consensus solum determinat voluntatem divinam ad ponenda ea media , cum quibus infallibiliter ponatur in re consensus. Tum ultrius , & à priori ; quia consensus , ut sit , tantum æget suis causis debite applicatis , & so-

lum suæ causæ influunt in illum ; quod verò applicentur causæ , ex hoc , vel illo fine , cum hoc , vel illo amore , nec requiritur ad positionem consensus , nec ex indigentia consensus oritur : sed causa illius solum sunt voluntas creata , & divina omnipotētia per simultaneum concursum , non aliter influentes in consensum , ac si præfinitio esset decretum temporale , & concomitans : erg. &c.

37 Denique , ut planè raditus diluatur fundamentum Scotistarum , sic argumentor: Stat bene in doctrina Scoti , quod detur aliquid antecedens , ad quod necessario sequatur aliquid consequens , & quod sit tale consequens in potestate nostra , quin sit in nostra potestate antecedens : g. illa celeberrima maxima , vel non est universaliter vera , vel , ut melius loquamur , non est universaliter intelligenda. Consequentia est innegabilis. Prob. antec ; stat bene in doctrina Scoti , quod detur decretum prædestinativum antecedens , & antecedens auxilium efficax , ex quorum positione necessario sequitur consensus salutaris finalis , tanquam consequens ; & quod talis consensus sit in nostra potestate , quin sit in potestate nostra auxilium efficax , & decretum prædestinativum : g. in via Scoti stat

stat bene, quod detur aliquod antecedens, ad cuius positionem necessario sequatur consequens, & quod in nostra potestate sit consequens, quin sit tale antecedens. Tota hæc doctrina patebit in disp. sequenti, & in tract. de auxil. efficaci; ubi, Deo dante, dicemus, quod posito decreto prædestinativo, necessario necessitate morali ponenda erunt merita tanquam media ad consequendum finem prædestinatum; & quod posito auxilio efficaci, necessario eadem necessitate morali ponendus erit consensus noster salutaris, quin ob hoc libertas nostra aliquomodo lèdatur. Videatur Illustriss. Merin. loc. cit. & Doctiss. Pat. Sendin. tract. 4. de libero arbitrio, disp. 4. per totam. Ubi fusé, & eruditissimè, defendit, & propugnat hanc concl.

## SECTIO III.

**IN QU A PROPONUNTUR,**  
Et diluuntur præcipua Argumenta.

## §. I.

38 **A** RG. contra 1. conclusionem; præfinitiones divinæ nostrorum actuum non sunt necessariae: g. nec sunt afferendæ: aliàs frustra ponerentur. Prob. autem; si essent ne-

cessariae, eo esset, ut salvetur divina providentia in Deo de omnibus; vel ut salvetur subordinationis causa secundæ ad primam, & dependentia nostrorum actuum à divina voluntate: atqui ad nullum istorum sunt necessariae: g. &c. Prob. min; quia ut salvetur providentia Dei, qua dirigit singula in suos fines, non est necesse, ut omnia præfiniantur: ut pater de peccato, ex quo elicit gloriam suam per ostensionem suæ justitiae, & non illud præfinitur. Deinde subordinationis causa secundæ ad primam, & dependentia nostrorum actuum non consistit in hoc, quod à Deo præfiniantur, sed sufficit, quod creatura habeat à Deo omnem virtutem causandi, & quod nihil possit esse in rerum natura absque concurso Dei immediato: g. præfinitiones divinæ non sunt necessariae.

39 Resp. neg. antec; nam, ut diximus in probat. nostræ conclusionis ex nostro Mastr. & Ant. Perez; præfinitiones divinæ sunt necessariae ad salvandam rationem perfectissimæ providentiae ex parte Dei, & ad salvandam dependentiam actuum nostrorum à divina voluntate, & ad salvandam essentialiem subordinationem causæ secundæ ad primam; nam si ante divinas præfinitiones aliquis actus

tus esset futurus, tunc aliquid creatum esset independens à Deo, & talis actus non ordinatur à divina providentia. Ad probat. de peccat. dicimus; quod licet respectu malitiae formalis non habeat Deus præfinitionem; habet tamen respectu entitatis materialis, & positivæ talis actus. Vel hoc omisso pro nunc, & de quo postea, adhuc datur maxima disparitas inter actus malos, & bonos, ut istorum Deus habeat altiorem providentiam; quia potiori quodam iure actus boni subjiciuntur divinæ providentiae, non vero peccata; nam ex varijs Sacrae Scripturæ, & PP. testimonij habemus, quod Deus operatur in nobis velle, & perficere; facit, ut faciamus; ut in vijs ejus ambulemus, convertamur, perseveremus, voluntates nostras trahit, immutat, flectit; & quidem ita indeclinabiliter, & insuperabiliter, ut nullum humanum resistat arbitrium, ut inquit D. Aug. Atqui hic modus loquendi plius importat, quam merum Dei concursum, quem habet ad materiale peccati; g. quanvis de isto non daretur præfinitio, adhuc necessaria sunt ad nostros actus bonos, & præcipue salutares, seu superios. Ad aliud respond. quod benè salvatur dependentia, & subordinatio in eo, quod crea-

turæ dependeant à Deo in esse, conservari, & operari à concursu Dei; sed cum talis concursus simultaneus Dei cum voluntate nostra exhibeat ex vi præfinitionis æternæ, hinc est quod æternæ persinitiones sunt necessaria ad essentiali subordinationem, & dependentiam essentialiem; quia ut sè, quidquid Deus operatur in tempore ab æterno decrevit, seu prefiguit; & eadem volitione, qua ab æterno prefiguit, operatur in tempore, pro quo præfiguit.

## §. II.

40 **C**ONTRA 2. conclusio-  
nem Arguit. 1. sic;  
prædefinitio concomitans est chi-  
merica, & insufficiens ad præ-  
sentem difficultatem superan-  
dam: g. non datur præfinitio  
concomitans. Prob. antec; non  
videtur possibile, quod quando Deus ab æterno præfiguit aliquem actum à voluntate creata  
causandum, ipsa voluntas crea-  
ta coincidat cum ipso Deo ad  
comprædefiniendum talem ac-  
tum: g. est chimera talis co-  
incidentia, seu præfinitio con-  
comittans. Prob. antec: qui  
compræfiguit, seu simul cum alio  
præfiguit, debet habere aliquod  
esse in se; quia operari sequitur  
ad esse: atqui voluntas creata,  
ut virtualiter contenta in divi-  
na ab æterno, non habet esse in  
se;

fel; nam esse virtuale effectus, est ipsum esse formale causa: g. voluntas creata non potuit ab æterno compræfinire, seu simul cum voluntate divina præfinire suum consensum liberum.

41 Confirmat. effectus formaliter liber, est à causa formaliter libera: sed voluntas creata virtualiter contenta in divina ab æterno non est formaliter libera: g. non potest condecornare, seu compræfinire cum voluntate divina; nam præfinitio est actus formaliter liber. Vel aliter sic: ex nihilo nihil fit: g: ex nihilo reali, cuiusmodi est in se voluntas creata in illo tunc æternitatis, nihil fit reale, cuiusmodi est actus liber in esse objectivo. Urgetur, voluntas creata, ut virtualiter contenta in divina ab æterno ex se ipsa, non minus est potens ad compræfinendum amorem, quam ad compræfinendum odium; quia ut virtualiter contenta; æquè continet amorem, & odium virtualiter: Unde ergo provenit, quod se determinet ab æterno ad compræfinendum cum divina voluntate amorem, & non odium? Hoc opus, hic labor est. Quo probatur; quod hæc doctrina de prædefinitionibus concomitantibus, est insuficiens ad superandam, & enucleandam præsentem difficultatem. Præterea; Deus

pro priori ad præfinitionem actus amoris in Petro, cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ, possibile esse Petrum pro instanti A. elicere talcm actum amoris, & etiam cognoscit possibile esse elicere pro eodem instanti A. actum odij; & possibile esse, suspensum manere, & nullum actum elicere. Interrogo nunc: an cognoscat per eandem scientiam Deus, se posse coincidere cum voluntate Petri pro illo instanti A. in solum actum amoris; vel etiam cognoscat possibile esse coincidere in actum odij per suam præfinitionem? Si primum, voluntas Petri non erit libera pro illo instanti A. cum non sit æquè potens ad utrum libet, nec ad utrumque habeat concursum, seu præfinitionem Dei paratam. Si secundum; quero, quare magis determinatur Deus ad præfiniendum coincidentiam ad amorem, quam ad odium? Non enim ille amor, nec illud odium sunt plasquam possibilia pro illo priori ad divinam præfinitionem.

42 Hæ sunt præcipue difficultates, & quidem gravissimæ, nostrorum Scotistarum contra præfinitiones concomitantes. Respondetur tamen communiter ad illas sic: Ad primam negatur primum, & secundum antec. ad cuius probationem disting. maj. Qui compræfinit debet habere esse

esse in se, si compræfinit formaliter, conc. si tantum compræfinit virtualiter, neg. & eadem distin. distincta minori, neg. consequentia. Etenim verum est, quod voluntas creata non habuit ab æterno aliquod esse in se, seu esse formale; habuit tamen esse virtuale in divina voluntate, quod sufficit, ut virtualiter compræfiniret; quando divina voluntas præfinivit formaliter. Illud esse virtuale est esse formale Dei, non præcisè, ut esse formale Dei, sed, ut esse formale Dei, & esse virtuale voluntatis creata. Illa virtualis compræfinitio est virtualis operatio voluntatis creata, & hoc operari virtualiter sequitur ad esse virtuale. Si dicant, hoc esse difficile intellectu; respondetur cum. D. Aug. *Ego dixi, istam queſt. esse difficultem ad discernendum; non autem dixi, non posse discerni;* quia potest utique valde congruenter, & probabiliter intelligi; nam, ut jam sæpè diximus, negari non potest, nostram voluntatem, & libertatem cum omnibus actibus liberis, & differentijs eorum contineri virtualiter in voluntate divina, & in volitione essentiali Dei, vi cuius continentia, nullus actus est determinatè futurus, & omnes sunt possibles; quia voluntas divina, & ipsius essentialis volitio sunt actus primus respectu om-

nium actuum nostrorum. Hoc supposito, non est penitus imperceptibile, quod in determinato decreto, seu in actu secundo divina voluntatis respectu determinati extremi nostræ libertatis sit comes etiam nostra voluntas virtualiter juxta modum libertatis ipsius: erg. divinum decretum liberum involvit virtualiter liberam determinationem nostram, & modum libertatis, quia secundum omnia continetur: ergo præfinitio divina est utique virtualiter nostra, & nos comitati sumus libere, & si virtualiter illam præfinitionem.

43 Inquires: quomodo potuit mea voluntas libere velle hoc præ alio, dum solùm erat virtualiter in voluntate divina. Et quomodo mea voluntas potuit nolle, seu vitare præfinitionem concomitantem, dum nihil erat in se? Præterea, velle virtualiter aliquid, est velle illud implicitè; velle aliquid implicitè, est velle explicitè, & formaliter aliud cum quo illud connectitur: atqui nostra voluntas non potuit velle formaliter aliquid ab æterno: quomodo ergo potuit virtualiter, aut implicitè velle? Insuper, omne liberum supponit cognitionem: quām ergo cognitionem habuit homo ab æterno? Respond. hoc esse quod difficilius intelligitat, immo penè non valet intelligi, potest ta-

men aliqualiter discerni hoc exemplo causæ necessariæ: Deus ab æterno præfinivit, ignem comburere lignum si approximaretur illi; & quia ignis continebatur virtualiter, secundum suam virtutem, & secundum modum agendi sibi proprium in voluntate divina, quæ est omnipotencia, (ut supra diximus) compræfinivit, seu condeterminavit virtualiter comburere lignum sub eadem conditione approximationis; vel ipsa præfinitio divina fuit virtualis compræfinitio ignis ad comburendum. Hoc facile percipitur, quanvis ignis solum virtualiter fuerit in divina voluntate, & nihil in se ipso formaliter ab æterno.

44 Sic similiter dicimus de causa libera in sua linea; continentur enim in divina voluntate virtualiter secundum omnes actus, & modum liberum agendi; quia non minus est infinita illa continentia respectu causæ liberae, ac respectu necessariæ, ut per se patet. Deinde, modus liber agendi essentialiter dicit, posse utrumlibet in actu primò cum potestate ad quodlibet pro suo libito: erg. Deus præfiniens secundum hanc continentiam, & secundum illam legem, quod causæ liberae agant motus suos, voluntas creata compræfinit virtualiter, & liberè, potens virtualiter vitare comprefinitionem;

Tom.I.

quia sic potens virtualiter continebatur: erg. divina præfinitio est virtualiter nostra, & nobis virtualiter libera, etsi voluntas nostra in se sit nihil ab æterno. Sic enim minus difficile, & satis congruenter, & probabiliter percipitur præfinitio concomitans, & nostra libertas; nec aptior modus apparet conciliandi illam cum præscientia, & prædefinitionibus, ac decretis Dei.

45 Ad aliud dicimus, quod multipliciter potest quis velle aliquid virtualiter; primò, personaliter, ut in casu dubitacionis; secundò, per procuratorem, juxta leges, & jura positiva; tertio, ex aliquo pacto ab habente potestatem, ut per Adànum omnes homines comedimus ex pacto Dei; quartò, naturaliter, per continentiam virtualem naturalem unius voluntatis in alia, ut continentur omnes voluntates creaturarum rationalium in voluntate divina; & huiusmodi virtualis volitio alicujus, non præsupponit formalem volitionem alterius; quia solum datur ratione virtualis continentia: Unde velle virtualiter, seu implicitè, supponit velle formaliter nunc de facto, & in tempore existens; non verò velle virtualiter ab æterno. Ad aliud dicimus, quod illud velle liberum virtuale supponit, & habuit cognitionem

virtualēm , contentām in divina intellectione infinita , qua comprehendit Deus omnia motiva creatā , quā potest habere nostra voluntas ad suas operatio-nes , sub omni occasione , & auxilio , ad comprafiniendum cum nostra libertate , inqua quidem divina infinita intellectione continentur , etiam virtualiter omnes nostrā intellectiones . Nec ex hoc inferas , illud velle virtualiter ab aeterno cum cognitione virtuali , esse nobis meritorium , aut demeritorium ; quia meritum , & demeritum essentialiter supponunt existentem personam merentem , aut demerentem ; & quia non datur meritum , vel demeritum propter solam volitionem virtualem , si non praecedit formalis volitio meritoria , aut demeritoria , ut patet in allatis exemplis . Quae restant ad perfectiorem hujus difficultatis intelligentiam , relinquenda sunt Thesauro sapientiae , & scientiae Dei , & inscrutabilibus judiciis ejus cum Apostolo , & Sanctis PP.

46 Ad 1. confirmationem , eu ad 2. difficultatem Scotistar . Respondetur concedendo majorem , & minorem , & negando consequent . in sensu virtuali ; quia præfinitio , ut est ab aeterno à voluntate divina , ex se est formaliter libera ; ut autem est à voluntate divina , ut contentiva

virtualiter nostra voluntatis , seu , ut est à nostra voluntate , ut contenta virtualiter in divina , solum est virtualiter libera ; & ex hoc provenit , quod quando exercetur in tempore actus præfinitus , sit formaliter liber à nostra etiam voluntaretur . Ad aliud responder verum esse , voluntatem creatam virtualiter contentam in divina , & pro priori ad præfinitionem , esse æquè potentem , & indifferenter ad amorem , & odium , idem dicimus de divina voluntate in illo priori ; unde , quod se determinet pro signo posteriori ad comprafiniendum amorem , & non odium , provenit à se ipsa virtualiter , prout eminenter contenta in divina , & simul formaliter à divina voluntate , prout contentiva eminenter voluntatis creatæ . Nec oppositum nunquam probabitur .

47 Ad ultimum respondetur ; omnia illa cognoscere Deum , ut possibilia per scientiam simplicis intelligentiae , & posteà magis determinatur ad coincidentiam in amorem , & non in odium ; quia sic volunt voluntas divina formaliter , & voluntas creata virtualiter , secundum continentiam , quam habebat in voluntate divina , tām quoad libertatem , quam quoadmodum in tali occasione , & sub talibus auxilijs : ex qua concomitantia volitionum manet amor præ odium

odium præfinitus , & futurus , & posita hac præfinitione , & comprefinitione voluntatis divinæ , & creatæ , cognoscitur jam talis amor à divino intellectu per scientiam visionis , movente ad illam divina essentia . Hæc doctrina fit manifesta exemplo adducto à Maſtr. in concursu ſimultaneo , quem communiter admittunt Scotistæ in tempore ; & ut clarius fiat , præſcindamus ab æterna divina præfinitione , & ſupponamus impossibile , nemipè , Deum nihil præfinire ab æterno de actibus noſtræ voluntatis ; nihilque cognovisse uſque dum voluntas noſtra amat , vel odio habet . Rebus ſic ſtantibus , voluntas noſtra ſe determinat ad volitionem , vel ad nolitionem , vel omittit utramque ; tunc Deus ſimul concurrit , vel ſe condeſerminat . Quare ergo coincidit in amorem , v.g. & non in odium ? adæquata ratio eſt ; quia voluntas noſtra ſimul cum Deo vult , ita quod aliter eveniret , ſi aliter vellet . Sic ſimiliter diſcurrimus de voluntate creata ab æterno , quatenus virtualiter contenta in voluntate divina ; condeſerminat enim ſe ſic , quia virtualiter vult , Deo ſimul ſe condeſerminante formaliter , quia formaliter vult , ſtatuta illa lege , quod voluntas agat motus ſuos . Si ſic non percipis præfitionem concomitantem , non

viſ illam amplectere , ſed antecedentem deſideras , vel uſſequentem . Si hoc eſſet evidens , nulla remaneret difficultas in hac quæſtione , & ſemper diſſicillima remanebit .

48 Arg. 2. Scotistæ ; præfinition divina , quæ dicitur à vo- bis concomitans , eſt re ipsa antecedens : erg. non datur talis præfinition concomitans . Prob. antec. Tùm , quia decreta Dei nequeunt habere comitem voluntatem creatam ; præfinitiones enim ſunt Dei , non mei ; quia Deus præfinivit fine nobis , ut liberè ageret nobiscum : erg. Deus debet eſſe cauſa prima , & non comes in præfinitionibus cum ſecunda : erg. præfinition Dei ſingitur concomitans , & re ipsa eſt antecedens . Tùm etiam , quia præfinition Dei dicitur concomitans , per continentiam virtua-lem voluntatis creatæ in voluntate divina : ſed hæc continentia virtualis eſt antecedens ad noſtrum actum liberum : erg. præfinition Dei eſt antecedens , & non concomitans . Prob. min. Tùm , quia actus noſter liber nunc eſt , continentia verò erat ab æterno : erg. continentia hæc eſt antecedens ad noſtrum ac-tum liberum . Tùm etiam , quia actum liberum nos facimus ; continentiam verò non facimus : g. actus noſter liber non eſt ſimul-taneus cum continentia . Deni-

que , præfinitio Dei facit consentire voluntatem creatam: ergo ipsa est antecedens. Prob. antec. si loco præfinitionis ad consensum , possisset Deus præfinitionem ad dissensum , voluntas creata dissentiret : ergo divina præfinitio facit consentire , vel dissentire voluntatem creatam; ac per consequens est antecedens; nam semper est verum : quia Deus præfinivit , ideo voluntas creata vult.

49 Respondetur neg. antec. ad cuius primam probat. dicimus , quod præfinitiones divinæ sunt Dei actualiter , & formaliter , & mei saltem virtualiter; nam , ut advertit Mastr. si in tempore prima causa est comes , & socia secunda , & econtra , quia simul concurrunt ad eundem effectum , servata tamen essentiali subordinatione secundæ ad primam , quia prima agit independenter à secunda , non vero econtra ; cur implicabit , & erit absurdum , causam secundam , seu voluntatem creatam esse comitem primæ , seu divinæ voluntatis in præfinitionibus aeternis saltem virtualiter , quandoquidem non aliter præfiniat ab aeterno , quam faciat in tempore ? Præfinivit ergo Deus sine nobis formaliter concurrentibus , sed non sine nobis virtualiter comitantibus. Ad secundam prob. responder. disting.

majorem ; præfinitio divina dicitur concomitans per continentiam virtualem voluntatis creatæ in divina voluntate , per continentiam virtualem in essendo , neg. in operando , conc. Etenim , voluntas nostra continetur in divina voluntate , tam quoad esse , quam quoad operari ; & licet continentia virtualis , quoad esse sit antecedens ; continentia vero virtualis , quoad operari est simultanea cum præfinitione divina : quia quando divina voluntas ponit præfinitionem formaliter , etiam nostra voluntas compræfinit virtualiter. Hoc patet in tempore. Quia nostra voluntas antecedit , quoad esse ad suum velle , & quando est , necesse est esse ; immò , & divina voluntas quoad esse antecedit divinum velle , ut supra diximus , & tam velle divinum , seu volitio essentialis Dei , quam ipsa divina voluntas antecedunt ad omnia decreta , & præfinitiones ; sed præfinitiones , & decreta non antecedunt ad operari virtuale nostræ voluntatis , quæ simul cum divina condecernit , & compræfinit virtualiter. Ad probat. minoris dicimus ut supra , quod noster actus liber nunc est actualiter , & formaliter , sed ab aeterno fuit virtualiter ; & sicut nunc non facimus voluntatem nostram , & facimus actum nostrum

actual-

actualiter, & formaliter; sic ab eterno non fecimus nostram voluntatem, nec continentiam ejus quoad esse; fecimus tamen virtualiter actum nostrum concomitanter, & fecimus continentiam nostræ voluntatis quoad operari, seu quoad compræfinire cum voluntate divina.

50 Ad ultimum. Respondet. disting. antec. præfinitio Dei facit consentire voluntatem creatam, quatenus est compræfinitio creatæ voluntatis, conc. alter, neg. Etenim, sic nos facit consentire præfinitio divina, sicut nos facit consentire noster ipse consensus liber, quo denominatur Deus extrinsecè præfiniens liberè, & nos liberè compræfidentes. Ad probat. resp. similiter, quia si loco præfinitionis ad consensum, posuisset Deus præfinitionem ad dissensum, eo esset, quia voluntas nostra pro libito suo, loco consensus posuisset dissensum, ut liberè poterat illum ponere. Hoc patet etiam, in eo, qui de facto amat liberè, qui liberè odio haberet, si loco amoris posuisset odium, ut poterat illud ponere secundum suam libertatem. Unde solum potest inferri, quod dissensus, præconsensu; aut consensus prædissensu, continebatur in voluntate divina, aut in ejus volitione essentiali, juxta nostrum libitum. Qua propter in bono

consensu sunt vera hæ propositiones: *Quia Deus præfinit consensum, nostra voluntas consentit.* Rursum: *Quia nostra voluntas consentit, Deus præfinit consensum;* quia per illas non significatur mutua causalitas, sed tantum significatur simplex concomitantia, cum sola prioritate perfectionis, independentia, & à quo ex parte Dei. Sicut de facto, & in tempore dicimus: ego volo, quia Deus vult, & econtra; quia in vi hujus concomitantia nequit Deus habere præfinitionem concomitantem circa meum consensum, nisi etiam detur compræfinitio, seu determinatio meæ voluntatis ad illum. Et similiter, nec possum ego meum consensum determinare, seu exercere virtualiter, quin intelligatur condeterminatio, seu compræfinitio divina decernens illum.

51 Arg. 3. & ultimò; Deus potius, & magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas, ut inquit D. Aug. Ergò Deus secundum prædictam continentiam, & legem de eo, quod causæ liberae finantur agere motus suos, non debet se accomodare nostro libero modo operandi, neque illum comitare, neque cum illo debet coincidere; immò, econtra, nos debemus coincidere cum libero modo operandi Dei: alioquin non

non magis essent voluntates nostrae in sua potestate, sed econverso; voluntas divina esset magis in potestate nostra, quam in sua. Confirm. Deus omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, ut habetur ad Ephes. 1. Ergo non secundum consilium voluntatis creatæ: ergo non compræfinit, sed præfinit antecedenter; sic enim sentire videntur quamplures Sancti Patres, super hunc textum Apostoli, & præsertim loquendo de bonis operibus: immò, & hoc ipsum videtur intendere Subtil. nost. Doct. dum ait, quod bona opera, seu bona omnia attribuuntur principaliter Deo; & ad hunc finem tendunt ejus authoritates, & probationes pro tertia conclusione aductæ: erg. &c.

52 Respond. conc. antec. & negando conseq. nam salva libertate nostra, nullo modo potest August. aptius intelligi, quam juxta præfinitionem concomitantem; quia licet per antecedentem præfinitionem expressius videatur, Deum in sua potestate habere nostras voluntates, quam nos ipsi; tamen hæc præfinitio antecedens nocet libertati nostræ, ut patet ex dictis, & D. Aug. libertatem nostram voluit servare indemnum. Eodem modo respondetur ad confirmationem, & ad Subt. Doct.

quia tam iste textus, quam textus confirmationis, & verba Doctoris Subt. aperte videntur repugnare opinioni de scientia media, & non aptius possunt explicari, quam juxta opinionem nostram; nam etsi Deus, & creature simili compræfiniant ab æterno, & simili concurrant in tempore, Deo se accomodate nostro libero modo agendi, & coincidendo suum consilium cum consilio voluntatis nostræ; tamen hoc, & præcipue opera bona potius, & principalius sunt in voluntate Dei, quam in nostra, propter rationes sequentes, quæ sunt valde notandæ.

53 Prima est; quia consilium voluntatis Dei fuit, constitutere hominem ab initio in manus consilij sui, ut ait Sacra Script., & consilium Dei fuit, sinnere causas liberas, motus suos agere, & se libertati nostræ accomodare: g. quanvis sit secundum consilium utriusque voluntatis, semper est secundum consilium voluntatis suæ. 2. quia ab æterno opera nostra fuerunt formaliter in potestate Dei, & in nostra tantum virtualiter; unde potius, & magis fuerunt in divina, quam in nostra. 3. quia ab æterno, & in tempore nequit nostra voluntas se condeterminare, quin prius origine se condeterminet Deus: g. potestas ad condeterminationem, seu com-

præfinitionem magis , & potius est in voluntate Dei. 4. quia nostra libertas , & modus operandi liberè per concursum simultaneum , & ipse concursus, quatenus continentur virtualiter in divina voluntate , perfectius sunt ibi , quam in se ipsis : g. ad efficiendum quidquid voluerit Deus nobiscum , perfectius , & magis habet in potestate sua voluntatem , & libertatem nostram , quam nos ipsi. 5. quia Deus habet omnipotentissimam potestatem ad coincidendum cum libera operatione nostra ; nos autem non habemus propriè potentiam ad coincidendum cum operatione Dei ; quia voluntas divina non continetur in nostra , sed econverso : erg. magis habet Deus nostras voluntates in sua potestate, quam nos ipsi. Ultimò dicimus , quod bona omnia attribuuntur principaliter Deo , juxta Subt. Magist. juxta CC. , & PP. quia ad opera salutaria præmobilis Deus moraliter voluntatem humanam per auxilia excitantia , & prævenientia , per consilia , per præcepta , & per allientiam ad bonum, sicut dicemus in tractatu de gratia ; non verò intendit Doctor præmotionem physicam , nec præfinitionem antecedentem.

s. III.

54

**C**ontra 3. conclusio-  
nem, quæ propug-  
nat præfinitiones strictas , in sen-  
su rigoroso, seu antecedentes,  
Arg. 1. nostri Scotistæ : Deus  
sic ab æterno præfinivit facere  
in tempore , sicut in tempore  
facit ; sed facit in tempore con-  
comitanter cum nostra voluntate : erg. & concomitanter præfinivit ab æterno ; ac per conse-  
quens adhuc ad bona , & salu-  
taria opera non datur præfinitio  
antecedens. Defectus hujus syl-  
logismi aperte patet in alijs ter-  
minis, v. g. Ego fui cum Petro  
ad Ecclesiam : erg. cum Petro  
præfinivi ire ad Ecclesiam. Ego  
scripsi hoc manu mea : erg. mea  
manu præfinivi hoc scribere.  
Deus sic præfinivit facere, sicut fa-  
cit: sed concomitanter cum igne  
facit , seu causat calorem : erg.  
concomitanter cum igne præfinivit calorem. Distinguenda est  
igitur illa propositio major , in  
qua maxima latet æquivocatio:  
sicut facit , ita præfinivit facere,  
si ly si ut , sumatur pro adæqua-  
tione effectus præfiniti ad præfi-  
nitionem , ita , ut nec aliud in  
substantia , nec in modo repe-  
riatur in effectu , quod decretum  
non fuerit per præfinitionem,  
conc. si ly sicut , denotet mo-  
dum , quo Deus per præfinitio-  
nem

\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*

319

nem dat esse futurum effectui , seu concursui , neg. quia juxta hanc conclusionem , Deus se solo præfinivit ab æterno , & non se solo concurrit in tempore ; hoc est , per modum causæ totalis dat esse futurum concursui ; & per modum causa partialis concurrit in tempore ; quia in concurrendo admittit sotiam voluntatem creatam , non verò in præfiniendo. Deinde , ex illis præmissis non sequitur illa consequentia ; sed ista : Sicut facit in tempore , præfinivit ab æterno facere ; sed facit concomitanter : g. ab æterno præfinivit facere concomitanter. Quod , ut clarius appareat , exponamus ly *sicut* , per ly *eo quo* , dicendo : eo modo , quo facit , præfinivit facere : sed facit comitanter , seu per modum causa partialis : g. solus , & per modum causa totalis ab æterno præfinivit facere in tempore concomitanter , & per modum causa partialis.

55 Arg. 2. Ex Subt. Doct. qui in 1. d. 40. q. unica §. ad secundum , inquit : „ Sicut voluntas creata mereri potest damnationem , ita etiam potest concomitanter sequi , quod voluntas divina non preordina , naverit ipsam ad gloriam : g. præfinitiones divinæ , iuxta Scotum sunt concomitantes , seu habent comitem voluntatem

creatam. Respond. neg. conseq. nec video quomodo ex tali testimonio deducatur. Etenim , in tantum potest homo mereri damnationem , potentia reducenda ad actum , in quantum ista potentia est connexa cum parentia præordinationis ad gloriam , & cum parentia electionis ad gratiam efficacem : sed quando ex duobus connexis , & se comitantibus ponitur unum , etiam in eodem instanti , ponitur necessario aliud : g. si homo potest mereri damnationem , concomitanter sequitur , quod poterat carere præordinationem ad gloriam. Hic est discursus Mar. Doct. sed unde sequitur concomitantia voluntatis creatæ in præfiniendo cum voluntate divina ? Alias authoritates addicunt Scotistæ , quæ solunt intendunt , non dari præfinitiones antecedentes in sensu Thomistico , seu inducentes in tempore præmotionem physicam , seu physicam necessitatem , quod & nos libentissime fatemur , nec ad illam amplectendam compellimur ex præfinitionibus antecedentibus , ut supra diximus ex nostro Mastr.

56 Ex alijs , ergo , Scoti principijs removendi sunt præfati Scotistæ ab ea sententia de præfinitionibus antecedentibus usum creatæ voluntatis. Et præfertim ex eo redargui debent , quod

quod docet Subt. Doct. in 4. dist. 49. q. 6. §. dico ergo ubi habet : causam secundam præventam à causa superiori agente ad unum oppositum non posse , potentia proxima exire in aliud oppositum , idque dicit, ut ostendat, beatos esse impeccabiles , id est , non habere proximam potentiam peccandi. Deinde , ex eodem Scot. in 2. d. 25. q. unic. §. contra conclusionem , & alibi sæpè deducitur maxima illa ab omnibus recepta : Quandocumque aliquod consequens sequitur necessario ad aliquod antecedens , in cuius potestate non est illud antecedens , nec in ejusdem potestate erit illud consequens ; sed actus salutaris est consequens , quod necessario sequitur ad præfinitionem illius , quæ est antecedens : g. in cuius potestate non est ista præfinitio , nec in ejus potestate erit actus salutaris. Atqui in potestate nostri liberi arbitrij non est præfinitio æterna intentiva antecedens , alias non esset antecedens usum nostræ libertatis : g. nec in potestate nostri liberi arbitrij erit actus salutaris. In hac unica ratione tantam vim agnovit Iesus ( inquit Mastr. ) ut merito dixerit : si hæc ratio non convincit , ingenuè fateor totum hoc negotium libertatis magis mihi esse obscurum , quam ullum

Fidei nostræ Mysterium. Et ego audeo dicere ( inquit Mastr. ) quod si hæc ratio intentum non demonstrat ; libertas nostra , vel est de solo nomine , vel saltem ejus conceptum explicare non possumus pro hoc statu. Et post pauca concludit , hoc esse nodum Gordianum penitus indissolubile. Terribilis confictus ! Si Leo rugit , quis non timebit ?

57 His vero clamoribus non obstantibus , Resp. ad 1. arg. Mastrij : causa secunda præventa à prima ad unum extremum , non potest potentia propinqua in alium extremum , disting. præventa præventione , illam necessitante physicè ; conc : illam necessitante solum moraliter , neg. Et disting. min; posita præfinitione , prævenitur voluntas nostra à voluntate divina , præventione illam necessitante moraliter , conc : illam necessitan- te physicè , neg. Etenim ibi loquitur Doct. de impeccabilitate Beatorum ; & probabiliter habet , quod sunt simpliciter impeccabiles , hoc est , quod non habent potentiam propinquam , & liberam ad peccandum ; quia illorum voluntas , inquit , est præventa à voluntate divina. Sed qua præventione ? per manutinentiam divinam conser- vando semper actum beatificum , & denegando concursum simul- taneum ad peccatum , & hoc

modo sunt necessitati physicè ad non peccandum. Aliter inquit ipse Subt. Doct. potest dici, quod sunt simpliciter peccabiles, hoc est, quod habent potentiam propinquam ad peccandum, & non idèò est minus beata illorum voluntas, quamvis in potestate propinqua ejus habeat, quod eveniat peccatum, quod tamen nunquam eveniet; & idèò nunquam eveniet, quia voluntas divina semper præveniet. Ecce quomodo est dabilis aliqua præventio voluntatis crætæ à voluntate divivina, quin ob hoc lœdantur jura libertatis illius.

58. Ad aliud Resp. eadem distincta. sub hac forma: quando ad aliquod antecedens necessario sequitur aliquod consequens, in cuius potestate non est illud antecedens, nec in ejus potestate est consequens, disting. Si consequens sequitur necessario, necessitate physica ad antecedens, conc. Si tantum sequitur necessario, necessitate morali, neg. Et disting. min; divina prefinitio est antecedens, & ad illam sequitur necessario tanquam consequens salutaris consensus, sequitur necessario necessitate morali, conc. sequitur necessario necessitate physica, neg. & neg. conseq. Quia in hoc sensu bene stat, quod antecedens non sit in nostra potestate, & in nostra potestate sit

consequens, ut patet in auxilio efficaci, & in decreto prædictivo, quæ antecedunt; & non sunt in nostra potestate, & tamen in nostra potestate est consensus salutaris, qui tanquam consequens ab illis sequitur necessario necessitate morali. Nec possum credere, quod hæc doctrina aufugerit N. D. Mastrio. Audiamus igitur illum Disp. 5. de divina prædest. quæst. 2. art. 10. num. 228. abi ait.

59. Demum adverto, hoc argumentum ex libertate deductum, quod est adversariorum Achiles, probare universaliter, non posse Deum absoluta voluntate, & efficaci aliquem intendere finem interventu causæ liberæ exequendum ante præscientiam absolutam liberi usus ejus. Quod licet ipsi consequenter ad sua principia libenter admittant; manifeste tamen Aug. adversatur in Enchirid. c. 95. ubi valde indignum esse censet, Deum aliquid velle efficaciter, etiam interventu causæ liberæ exequendum, idque non sequi, seu in executione non poni, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impeditivit. Rationem reddit cap. seq. dicens: Neque enim ob aliud vocatur omnipotens, nisi, quia quidquid vult potest; nec voluntate cuiuscumque creaturæ im-

peditur effectus omnipotentis. Hinc addit cap. 98. Quis porro desipiat tam impie, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere? nec minus evidenter has divinas prædefinitiones absque libertatis nostræ lassione significavit, lib. de correctione, & gratia, cap. 14. ubi inquit: Deo volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium; sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec supererit potestatem illius: de ipsis hominum voluntatibus, quod vult facit sine dubio habens humanorum cordium, quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Hucusque Aug. Quæ licet mirabilia videantur, non tamen omnipotentissimam divinæ voluntatis excedunt potestatem.

60 Hoc idem (prosequitur Mastr.) manifesta suadent exempla; nam videmus in alijs, Deum absolute sua voluntate interdum efficaciter aliquem prædefinire effectum interventu causæ liberæ necessario execundum; nam efficaciter prædefinivit B. Annam esse Matrem B. V. Dei genitricis, ut loquitur Ecclesia in oratione officij. Et rursus B. V. prædefinivit, futuram esse Fi-

lij sui Matrem ante prævisum ejus consensum, & ad hunc finem à labo originali præserbavit, & innumerabiles alias gratias contulit: Ergo potest efficaciter aliquem finem intendere, & prædefinire, etiam interventu causæ liberæ execendum, ante præscientiam liberi usus ejus: Cùr id facere possit, absque violentia, & libertatis lassione? Resp. August; quia magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas: sicut ergo nos liberè agimus, quidquid agimus, quia in nostra potestate habemus voluntates nostras, ita eadem ratione poterit prædefinire Deus ab æterno, quod sumus volituri in tempore. Hucusque Mastr. Redit tandem Mastrius ad Scotum (inquit nost. Maccdo) maluitque à se ipso, quám à Scoto dissentire: Egregitis ille Scotista est, ad Scotum reducator.

61 Aliter respond. alii, recurrente cum nostro illustrissimo Merlin. ad necessitatem consequentem; dicunt enim, quod ex prefinitionibus Dei, quanvis sint antecedentes usum nostræ libertatis, non inferunt nisi necessitatem consequentem in nostra voluntate. Tum, quia tales præfinitiones, quanvis antecedentes, habent pro termino effectum contentum in libera potestate voluntatis, prout in illa.

continetur. Est dicere , quod præfinitiones Dei non tantum sunt de substantia operationis, sed etiam de modo libertatis illius ; unde præfinit Deus antecedenter, quod nostra voluntas liberè operetur , quando operatur ; qua propter, sicut necessitas , quæ oritur ex positione nostræ liberæ operationis , est consequens , & non noxia libertati , ita discurrunt de necessitate , quæ oritur ex præfinitionibus Dei antecedentibus. Tum etiam , quia licet præfinitio Dei non sit in potestate nostra , tanquam in causa , per quam sit; tamen est in potestate nostra , sicut in medio , sine quo illa non erit certa , & infallibilis , seu efficax ; & in hoc sensu , dicunt, inferre necessitatem consequentem. Vel aliter sic : divinæ præfinitiones, inquiunt, non sunt in nostra potestate , quantum ad esse ; sunt tamen , quantum ad operari ; quia non operabitur sine nostro libero consensu. Videat. Merlin. disp. 3. de efficac. divinæ voluntatis q. 4. Sect. 5. Ita tamen responsio potius Thomisticæ , quam Scoticæ mihi videntur ; ob quod stando in explicatione divinæ præfinitionis a nobis , ex nostro Doc-  
tissimo Sendin, superius data, nostra responsio est magis efficax , magisque germana. Alia quamplurima argumenta , in-

venientur apud Mastrium locis citatis , quæ ex dictis facile solvuntur. Plura etiam sunt soluta in nostro Philosophico cursu , lib. 2. physic. disp. 4. q. 5. ibi videantur.

## QUÆSTIO V.

*AN ETIAM ACTUS NOSTRI MALI SINT A DEO PRÆDEFINITI?*

1 **H**ÆC quæstio , inquit noster Dociss. Sendin , est cœlebris hac nostra tempestate , in cuius resolutio- ne summopere digladiantur AA. Nobis tamen ad examinanda illorum placita , nec suppetunt vires , nec tempus iubat , nec hujus operis permittit brevitas , pro ejus tamen resolutione.

2 Notandum est , quod quæstio non procedit de præfinitione purè permisiva ; de hac enim non dubitatur , cum Aug. doceat , non fieri aliquid , nisi omnipotens velit , vel sinendo ut fiat , vel ipse faciendo : procedit ergo de prædefinitione positiva , quæ est voluntas efficax alicujus rei , ut fiat ; nec etiam vertitur quæstio de actibus moraliter malis , quoad formalem illorum malitiam , sive hæc consistat in sola privatione , ut tenet Scot. in 2. d. 37. sive impositivo op- posito in genere moris bonitati

contrariae, ut nonnulli opinantur Thomistæ. Non igitur procedit quæstio de hac malitia formalib[us], nam inconcussum est apud Catholicos, Deum talem malitiam etsi permettere, non tamen prædefinire, iuxta Ps. 5.  
 „ Quoniam non Deus volens „ iniquitatetem tu es. Et sap.  
 14. „ Odiu[m] enim sunt Deo „ impium, & impietas. Et iux-  
 ta illud Conc. Arauf. 2. capit.  
 ult. „ Aliquos ad malum divina „ potestate prædefinitos non so-  
 lum non credimus, sed etiam „ si qui sunt, qui tantum ma-  
 lum credere velint, cum om-  
 ni detestatione illis anathema „ dicimus. Et iuxta Conc. Va-  
 lent: „ Deum in malis ipsorum „ malitiam præscribisse, quia ex „ ipsis est non prædestinasse, quia „ ex ipso non est. Et denique iuxta illud Conc. Trident. ses.  
 6. can. 6. „ Si quis dixerit, non „ esse in potestate hominis vias „ suas malas facere, sed mala „ opera, ita, ut bona Deum ope- „ rari, non permisive solum, sed „ etiam propriè, & per se, adèo „ ut sit proprium ejus opus, „ non minus proditio Judæ, „ quam vocatio Pauli, anathema „ sit. Ergo esto Deus circa ope- „ ra bona positivè se habeat, circa „ mala tamen, quoad ipsorum for- „ malem malitiam, tantum se ha- „ bet permisive. Solum ergo est „ controversia de actu moraliter

malo, quoad illius entitatem ma- „ litia substracta, quod dici so- „ let materiale peccati: de hac enim queritur, an sit à Deo præ- „ definita, & positive volita; an autem solum permisive? Et, ut totaliter difficultate innitamur, procedit de actibus malis intrin- „ sece malis, de illis, scilicet, cujus malitia est ab objecto, & non ab aliqua extrinseca cir- „ constantia, & à quibus proinde malitia inseparabilis, si fiant liberé, & cum advertentia ra- „ tionis, cujusmodi sunt blasfemia, odium Dei, mendacium, & alia hujusmodi. Hoc supposito sit.

3 Conclusio 1. Deus non præfinivit præfinitione stricta, seu antecedente actus pravos à nos- tra voluntate futuros. Hæc con- „ clusio est de Fide, loquendo de actibus pravis pro formali, ut patet ex notabili; sed loquendo de illis pro materiali, est contra ferè omnes Thomistas, & con- „ tra illos, qui adstruunt præfini- „ tionem antecedentem, ut essen- „ tialē ad subordinationem crea- „ turæ ad Deum. Contra omnes tamen militant plura loca Sacrae Scripturæ, ut sunt posita in no- „ tabili, & illud Jeremiæ 19. Re- „ p[ro]everunt locum istum sanguine „ innocentum, & edificav[er]unt ex- „ celsa Baalim: que non præ- „ ceipi, nec locutus sum, nec as- „ cenderunt in cor meum. Quo- „ testimonio excluditur in primis He-

Hæreticorum distinctio , scilicet , quod Dens hæc nolit voluntate signi ; velit autem , ac præfiniat voluntate beneplaciti ; prædictis enim verbis non solum voluntas signi , quæ omni p ræcepi , indicatur , sed etiam voluntas beneplaciti excluditur , per illa verba : *Nec ascenderunt in cor meum.* Quomodo enim dici potest , non ascendere in cor Dei , quod absolute decreto præfinitur , & absolute , atque efficaci amatur voluntate .

4. Probatur 2. conclusio auctoritatibus CC. in notabili laudatis , quæ non solum videntur loqui de actibus malis , pro formalis sumptis , sed etiam pro materiali inspectis ; nam quid est , quæso , prædefinire Deum antecedenter peccatum Judæ , quoad materiale , nisi æterno suo consilio , ac voluntate intra se statuisse , & efficaciter voluisse , ut Judas venderet , seu velet vendere Christum libero , & humano modo ? Non est enim aliud materiale in illo peccato , nisi hæc prava volatio , & hæc actio . Interrogo igitur , si vellet Deus prædefinire peccatum Judæ , quoad formale , quomodo id esset factus , nisi præfiniendo materiale , cui est annexa malitia formalis , quæ consistit in carentia rectitudinis debitæ ? Nec aliter intendit illam ordinariæ peccator ; quia non vult , nec appetit

expressè talem carentiam , sed solum ipsum opus pro materiali ; nam juxta D. Anselm. *Nemo aspiciens ad malum , operatur , & ipsa ratio convincit :* erg. Deus non præfinit antecedenter actus pravos voluntatis creatæ , adhuc pro materiali sumptos ; alias proditio Judæ , tam proprium Dei opus esset , quam ipsius Judæ . Præterea , si Deus eodem modo præfinit antecedenter opera mala , sicut bona : erg. mala opera , ita ut bona Deus operatur ; & proprium ejus opus erit , non minus proditio Judæ , quam vocatio Pauli , quod damnat Tridentinum .

5. Probat. 3. conclusio : in lege divina scriptum , & p ræceptum est , non occides , non concupisces , &c. erg. non solum prohibitur deformitas , aut malitia formalis istorum actuum ; sed etiam actus ipsi , quibus inest : erg. nequit Deus eos præfinire strictè , & antecedenter . Prob. hæc conseq. ex D. Fulgentio , lib. 1. ad Monim. ubi ait : *Nunquam hoc potuit Deus prædestinare , quod ipse disposuerat p ræcepto prohibere.* Et certè , quid magis vanum , & dissonum appareat , quam prohibere id , quod independenter à nostro consensu libero præfinivit infallibiliter exercendum ? Deinde idem Fulgentius ibidem : *Possit peccatum ex prædestinatione Dei esse ,*

*esse , si posset aliquis hominum justè peccare : erg. si Deus ab æterno præfinivit antecedenter, Petrum peccatum esse , justè peccat , seu non peccat ; quia se conformat divinæ voluntati determinanti , seu præfinitioni existentiam peccati pro priori ad consensum Petri : unde , vel peccatum non est , vel Deus est author illius , quod nefas est dicere; non est Deus author ejus (inquit Fulgentius) cuius est ulti- tor. Et concludit : *Præscivit vol- luntates bonas , & malas ; præ- dñsinavit autem non malas , sed solas bonas.* Atqui in sensu PP. idem est prædestinare , ac præ- finire : erg. si Deus non prædes- tinavit malas voluntates , seu voluntates ad malum , nec illas præfinivit.*

6 Expenditur hoc amplius , & confirmatur : Quid enim pro- dest ad non peccandum , quod Deus non intendat malitiam for- malem , si unit hominem cum eo , ex quo essentialiter necessariò sequitur malitia ? erg. con- cedere tenentur Thomistæ , quod et si Deus non det , nec præfi- niat malam voluntatem formaliter , confert tamen malam vol- luntatem materialiter. Atqui ex hoc modo materiali , resultat ne- cessariò malitia formalis : erg. præfiniendo Deus antecedenter malam voluntatem materialiter , præfiniret etiam malam volunta-

tem formaliter. Urgetur , qui ponit aliquem in occasione pec- candi , peccat , & præbet illi malam voluntatem ; sed nulla occasio potest esse , ita connexa cum peccato , sicut est materia- le peccati cum malitia formalis: erg. si Deus præfinit , & dat ho- mini malam voluntatem mate- rialiter , seu ad materiale pec- cati , dat etiam illi malam vol- luntatem formaliter , seu præfi- nit illam ad formale peccati. Ulterius sic ; posito materiali peccati , ad quod præfinit Deus , juxta Thomistas , jam non ma- net in homine libertas ad aliud novum exercitium , quoad for- male peccati. Patet hoc ; quia formalis malitia , vel est priva- tio rectitudinis , vel modus po- sitivus necessariò resultans ex materiali peccati : erg. si Deus præfinit antecedenter ad mate- riale peccati , præfinit etiam ad formale ; ac per consequens erit author ejus , cuius est ulti- tor. Vel aliter ; si Deus consulteret , & præcipiteret peccatum sub cir- cunctantijs malitiæ , esset author ejus : atqui minus est , & minor- rem connexionem habent cum peccato consilium , & præcep- tum , quam præfinitio antece- dens sub eisdem circumstantijs: ergo si antecedenter præfinit , erit author ejus , cuius est ulti- tor.

7 Prob. denique conclusio,  
ex

ex nostris DD. Seraph. & Subtil: nam Seraphicus, in 2. d. 37. art. 1. quæst. 1. inquit: *In operibus indifferentibus, vel etiam malis, non est nisi sola cooperatio divinæ virtutis, que existens in creatura potentialiter, essentialiter, & presenti aliter, sicut conservat eam in effendo, sic adiubat in operando; propter quod conceditur ibi cooperatio, non preventio, vel subsequentio.* Et ibidem ait: *Deum non excitare, nisi ad opera bona, & meritoria; non ad mala, & indifferentia.*

8. Veniamus jam ad Subt. qui in 1. d. 41. quæst. unic. §. *Contra istud, vers.* Nec mirum, inquit: *Nec mirum, quod non ponitur similis processus predestinationis, & reprobationis, quia bona omnia attribuuntur principaliter Deo, mala autem nobis.* Ex quibus verbis, & alijs ibi videndis constat, quod in processu predestinationis datur contrarius ordo illi, qui datur in processu reprobationis, & circa mala opera; quia bona omnia principaliter tribuuntur Deo, mala autem nobis. Ex quo dediticet Doct. quod prius vult gloriam electis, quam in ipsis videat opera meritoria; & prius vult opera meritoria, quam videat voluntatem illorum habere illa. Unde econtrario debemus Theologizare, circa re-

probationem positivam; ~~etiam~~  
prius videt Deus peccatum finale, quam decernat damnationem; & non prius vult mala opera, quam voluntas prava habeat illa: erg. juxta Scoticam mentem datur præfinitio antecedens, circa opera bona, & salutari; quia bona omnia attribuuntur principaliter Deo; non vero datur præfinitio antecedens, circa mala opera; quia mala attribuuntur nobis, seu sunt à nobis, non autem à Deo antecedenter præfinita.

9. Confirmatur; ex eodem Subtil. Doct. qui in 2. d. 37. q. unic. alias 2. §. ad solutionem istorum, ubi ait; ideo divinam voluntatem non peccare, nec esse causam peccati, quanvis cum voluntate creata concurrat in tempore ad materiale illius; quia voluntas divina, quantum est ex se causaret, & daret rectitudinem actui, si voluntas creata eam daret: universaliter enim quidquid Deus dat antecedenter, daret illud consequenter, quantum est ex se, nisi esset impedimentum; dando autem voluntatem liberam, dedit antecedenter opera recta, quæ sunt in potestate voluntatis, & ideo quantum est ex parte sui, dedit rectitudinem omni actui voluntatis; & voluntati ex consequenti daret, si ipsa voluntas quemcumque actum elicitum recte age.

ageret ex parte sui. Est igitur defectus in effectu duarum causarum, non propter defectum causa superioris, sed inferioris; non quia causa superior causet reëstitudinem in effectu, & inferior obliquitatem; sed quia causa superior, quantum est de se, causaret, si causa inferior secundum suam causalitatem causaret. Subsumo: atqui si Deus præfiniret antecedenter materiale peccati, non daret antecedenter reëstitudinem omni actui voluntatis creatæ, & vellet materiale peccati, antequam aliquod impedimentum videret ex parte creaturæ, ut per se patet: g. vel Deus antecedenter, & quatenus est ex se, non vult actum rectum in omni voluntate creata, quod est idem, ac non velle, omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quod quidem est hereticum; vel Deus non præfinit antecedenter materiale peccati, ac per consequens, juxta Subtil. Magist. & juxta citatum textum Sacrae Scripturæ, minimè potest concedi præfinitio antecedens ad materiale peccati.

10. Expenditur hoc amplius: Hæc bona est consequentia (ut abunde probat Felix tract. de Prædestinat. cap. 6. diffic. 3.) Deus vult antecedenter, quatenus est ex se omnium hominum salutem: g. Deus non reprobat

positive antecedenter, seu ante prævisa demerita. Ergo etiam hæc est bona consequentia: Deus vult antecedenter, quatenus est ex se, quod omnis actus voluntatis creatæ sit rectus: g. Deus non vult antecedenter, quod aliquis sit obliquus, seu peccaminosus. Consequentia est innegabilis; quia sicut reprobatio opponitur salvationi, ita actus pravus opponitur actui recto: sed quia Deus vult antecedenter, quatenus est ex se, omnium hominum salvationem, implicat, Deum velle antecedenter alicujus hominis reprobationem: g. similiter, quia Deus vult antecedenter omnium actuum reëstitudinem, implicabit etiam, quod antecedenter velit Deus alicujus actus pravitatem, seu turpidinem. In Deo est vera, propria, & seria voluntas salvandi omnes homines: sed talis voluntas non compatitur, cum voluntate positiva antecedente, illos reprobandi, seu ante præsum peccatum finale, quod est impedimentum liberè positum ex parte creaturæ: g. similiter voluntas vera, propria, & seria, quæ est in Deo de reëstitudine omnium actuum voluntatis creatæ, non compatitur cum voluntate antecedente, seu cum antecedente præfinitione de obliquitate, seu pravitate alicujus actus illius. Hæc est catholicis-

sima mens Subtilissimi nostri Doctoris, & est ratio finalis, cùr non imputatur Deo actus pravus frangens divinam legem; quia quatenus est ex se, daret omni actui rectitudinem consequenter; sicut dedit antecedenter, præfiniendo ab æterno, quatenus est ex se, omnes homines salvos fieri, & quod omnia opera sua essent recta, & bona.

11 Conclusio 2. Deus præfinivit ab æterno prædefinitione lata, sed positiva cooperari ad entitatem actuum voluntatis creatæ, qui sunt peccata. Hæc conclusio est expressa Scotti, & communis Scotistarum; quanvis inter illos sit aliqualis dissensio, an talis præfinitio vocanda sit concomitans, vel non? Mihi tamen videtur hæc dissensio potius de nomine, quam de re; nam omnes convenient in eo, quod Deus, & creatura simili, & concomitanter producunt substantiam actus, qui est peccatum; & aliqui negant concomitantiam propriè dictam in prædefinitione, vel quia Deus concurrit ad substantiam talis actus, ut determinatus à voluntate creata; vel non propter idem motivum, quo concurrit voluntas creata. Probatur tamen conclusio ex Subt. Doctore in 1. d. 41. q. unic. 6. sed adhuc. ubi ait: Contra istud instatur, quia Deus certitudinaliter non prævideret, Iu-

dam esse malum; nam sola permisio alicujus actus, & certitudo de permissione non facit certitudinem de illo actu; quia oporteret habere aliquam causam effectivam: igitur ex hoc solo, quod Deus præscit, se velle Iudam permettere peccare, non erit certus de Iuda peccatum, vel Iudam esse peccatum. Vel loquamur de Angelo malo, qui non erat in peccato originali: ex hoc, inquam, solo non videtur, quod sciat, Luciferum esse peccatum: & ex hoc solo, ut videtur, non offertur sibi Lucifer, ut peccator.

12 Ad quod respondet. sic  
 „ Solvitur per hoc, quod Deus  
 „ præscit, se cooperaturum Lu-  
 „ cifero ad substantiam illius  
 „ actus, qui erit peccatum: hoc  
 „ autem præscit, quia vult coo-  
 „ perare illi, si est peccatum  
 „ commisionis; vel præscit, se  
 „ non cooperaturum ad actum  
 „ aliquem; si non vult ipsum, &  
 „ hoc si iste actus primus, est  
 „ peccatum omissionis: & scien-  
 „ do, se cooperaturum ad ta-  
 „ lem substantiam actus cum non  
 „ circunstantijs debitiss; vel non  
 „ cooperaturum ei ad actum ne-  
 „ cessarium; & per consequens,  
 „ quem omittet, sciet illum pec-  
 „ catum: ita, quod scit, hunc  
 „ peccatum, non solum quia  
 „ scit, se permisum; sed etiam  
 „ quia

„quia scit, se cooperaturum  
„hunc ad substantiam actus non  
„circumstantiati, & per con-  
„sequens iste committet: vel  
„non cooperaturum ei ad actum  
„necessarium; & per conse-  
„quens iste omittet. Hoc ipsum  
„repetit Doctor dist. 47. q. unic.  
„vers. ad primum, dicens: Dic-  
„tum est distinct. 41. quomodo  
„non est prævisio Dei de pec-  
„cato futuro, per hoc solum  
„quod scit, se permisurum,  
„hunc peccare finaliter:: sed  
„cum hoc requiritur, quod sciat,  
„se cooperaturum isti in actu  
„peccandi; vel non cooperatu-  
rum ad actum illum, cuius  
„omissio erit peccatum omis-  
„sionis; concomitatur tamen  
„utramque istarum permisio-  
„num, Deum prævidere, se  
„non velle prohibere hunc pec-  
„care. Hucusque Doctor.

13 Nunc sic: Deus scit, se cooperaturum ad entitatem ac-  
tuum, qui sunt peccata, quia vult cooperari: ergo vult suam cooperationem: sed sua coope-  
ratio est entitative, & terminative eadem, ac cooperatio creaturae: g. vult operationem creaturae. Sed talis volitio est præfinitio entitatis positivæ peccati: ergo Deus præfinivit positivæ entita-  
tem materialem peccati. In super, actus peccati in tantum est futurus, in quantum Deus est concursurus ad illius physicam

entitatem simul cum creatura:  
Sed per solam præfinitionem  
permisivam, non est Deus con-  
cursurus ad tales actum: ergo  
per solam præfinitionem permisivam, non est futurus actus pec-  
cati; ac per consequens, requiri-  
tur præfinitio positiva.

14 Prob. 2. conclusio ex dependentia, & subordinatione essentiali causæ secundæ ad pri-  
mam: ad illa omnia extenditur divina præfinitio positiva, ad quæ se extendit divina causalitas: sed divina causalitas se ex-  
tendit ad naturales, materiales, seu physicas entitates actuum malorum: g. &c. Minor conces-  
dit. ab omnibus Theologis, ex-  
cepto Durand. ut diximus in physica, aliás daretur aliquod ens creatum independens à Deo, quod adhuc divinitus est impos-  
sibile. Prob. mai: Tum, quia ut docet Doct. in 2. d. 1. q. 2.  
g. ad primum principale; Deus eadem volitione antiqua pro-  
ducit effectum novum in tem-  
pore; quia licet voluerit ab æterno producere illum, non tamen pro æterno, sed pro tali tempore determinato: g. ab æterno præfinivit producere, seu causare, quidquid in tempore causat, & producit; ac per conse-  
quens, ad ea omnia se exten-  
dit divina præfinitio, ad quæ se extendit divina causalitas.  
Tum etiam, quia nihil Deus

agit in tempore, quod non ab æterno præfinierit, seu decreverit, se facturum; alioquin nova ex tempore adveniret. Deo deliberatio, cum nihil, absque prævia suæ voluntatis determinatione, Deus operetur. Hæc doctrina est Div. Aug. lib. 3. de liber. arbit. dicentis: „ Jam se- „ mel statuit quemadmodum fe- „ ratur ordo ejus universalita- „ tis, quam condidit; neque „ enim aliquid nova voluntate „ administrat. Sed si divina præ- finitio ab æterno non se extenderet ad ea omnia, ad quæ se extendit divina causalitas, iam aliquid nova voluntate admini- straret Deus, erg. &c.

15 Probat. 3. conc. Deus de facto concurrit immediate immediatione virtutis, & suppositi ad materiale peccati, non tantum permisivè, sed etiam positivè: ergo etiam ab æterno potuit talem actum præfinire pos- sitivè, ac positivè velle. Patet conseq. quia currit eadem pa- ritas, & nulla difficultas urgeri potest contra secundum. Asum- tum, præter quam quod ab ad- versarijs, etiam à nostro Sen- din, conceditur contra Duran- dum, probatur sic: Concurrere permisivè, vel est non concur- rere immediate ad actum pec- cati; vel non excludit hunc im- mediatum concursum? priori modo dici non potest, quod Deus

concurrat permisivè, quia nega- tione nemo dicitur concurrere physicè ad aliquod opus, licet possit dici, non impedire opus; quare si permisive tantum con- curreret ad actum peccandi, ve- ré in ipsum non influeret, & solum diceretur, quod Deus non impediens, ut creatura per se solam causaret talem ac- tum; atque ita dabatur, aliquid ens creatum positivum in rerum natura, absque influxu immedia- to D. i. & extra suum dominium, quod est contra dignitatem pri- mæ causæ, & neque à se ipso po- test Deus abdicare dominium suum, & ratione sui perfectissi- mi, & absolutissimi dominij exigit, (inquit, & benè, nos- ter Sendin) ut nil existat inde- penderet à suæ voluntatis de- terminatione. Hinc D. August. apud Mastr. loquens etiam de actibus malis, inquit: „ Et quia „ non potest homo à se facere „ quidquam, nisi datum illi „ fuerit d'èsuper, non hoc agit „ Deus, summè bonus, mali- „ tia, sed justitia. Et Epist. 146. q. 2. ait: „ Quomodo negare „ poterimus, Deum etiam nunc „ operari cuncta, quæ fiunt, „ cum Dominus dicat: Pater „ meus usque modo operatur? g. dicere, quod Deus concur- rit ad materiale peccati permi- sisivè, non excludit suam imme- diatam cooperationem ad en-

titatem physicam illius. non  
 16. Nunc sic : Deus opera-  
 tur , ut perfectissimum agens ; &  
 per consequens , ut agens per  
 intellectum , & voluntatem, hoc  
 est , ut sciens , & volens : g. si  
 Deus cooperatur positivè , & im-  
 mediatè , ad actum pravum, pro  
 materiali , concurrendo cum vo-  
 luntate creata , necessario sequi-  
 tur , quod Deus vult talem en-  
 titatem physicam actus pravi.  
 Patet conseq. Tum , ex D. Aug.  
 lib. 85. qq. quæst. 3. , Hoc est  
 „ aliquid fieri Deo agente , quo  
 „ Deo volente. Alias ageret  
 Deus, non volens agere , & per  
 conseq. involuntariè ; & coacte,  
 quod est sibi valdè indecorum,  
 & contra illud Sapient. 11. , Di-  
 „ ligis omnia , quæ sunt , &  
 „ nihil odisti eorum , quæ se-  
 „ cisti. Ergo cum omnes enti-  
 tates positivas , etiam actuum  
 pravorum , faciat Deus immedia-  
 te ; sequitur , quod illas diligit,  
 & non odit , ut tales. Atqui illas  
 non vult , aut diligit dilectione,  
 & volitione nova , sed illamet  
 antiqua , & ab æterno voluit,  
 & dilexit entitates positivas ac-  
 tum pravorum. Talis dilectio,  
 & volitio est præfinitio positiva:  
 g. ab æterno præfinivit positivè  
 Deus entitates positivas actuum  
 pravorum. Tum etiam , quia  
 Divina omnipotentia , quæ est  
 ipsa voluntas Divina , non mi-  
 nus est sancta in operando , seu in

execundo , quam in amando;  
 sed per vos Divina voluntas , ut  
 est omnipotentia , immediate pro-  
 ducit simul cum voluntate crea-  
 ta actus pravos absque præjudi-  
 catio sanctitatis : g. & absque ma-  
 culæ sanctitatis potuit Divina vo-  
 luntas ab æterno diligere , ama-  
 re , seu velle simul cum volon-  
 tate creata in ipsa virtualiter  
 contenta , prædictas positivas  
 entitates actuum pravorum.

17. Nunc autem videamus  
 breviter , qualis circa hoc sit  
 Scotistarum dissensio ? Omnes  
 quidem convenient in hoc , quod  
 nihil operatur Deus in tempo-  
 re , quod non voluerit ab æterno : Etiam convenient in hoc ,  
 quod quidquid futurum est , ha-  
 bet futuritionem à decreto Di-  
 vinæ voluntatis , quodquidem  
 decretum est præfinitio , seu vo-  
 litio , qua Deus vult , & decer-  
 nit positionem rei in rerum na-  
 tura , & extra causas , ab æterno ,  
 sed non pro æterno , sed pro  
 aliquo determinato tempore.  
 Et insuper convenient in hoc ,  
 quod quidquid scit Deus per  
 scientiam visionis ab æterno ,  
 supponit prædictum decretum ,  
 præfinitionem , seu volitionem ;  
 & hoc , sive talis scientia visio-  
 nis sit conditionata à condi-  
 tione ponenda , aut non ponenda  
 in rerum natura ; sive sit scien-  
 tia visionis absoluta ; cum hac  
 tamen dierentia , quod ad hanc  
 sup-

supponitur præfinitio absoluta; ad illam verò, præfinitio conditionata ex parte creaturarum; nam ex parte Dei est vera, propria, feria, & actualis voluntio, ut est, quam habet de salute omnium hominum. Ergo iuxta omnes Scotistas datur positiva præfinitio ab æterno in sensu dicto, & positiva cooperatio Dei in tempore, nam iuxta Subt. Doct. non est prævisio Dei de peccato futuro per hoc solum, quod sciat, se permisurum, sed ultra hoc requiritur, quod sciat, se cooperatum cum voluntate creata, ad entitatem positivam actus peccandi: Et cur, vel unde scit Deus, se cooperetur? Respondeat Doctor: quia vult cooperari. Cooperatio ad actum peccandi est in tempore; velle hanc cooperationem fuit ab æterno: ex hoc velle vidit Deus futurum peccatum: ergo ex hoc velle habuit peccatum futuritionem suam: atqui ab illis causis, à quibus in tempore exequitur effectus, accipit futuritionem ab æterno: ergo cum actus peccandi exequatur in tempore à voluntate creata, & divina, insertur quod in illo velle Dei, quo voluit ab æterno cooperari in tempore erat eminentialiter, & virtualiter contentum velle voluntatis creatæ, quo virtualiter voluit ab æterno operari in tempore si-

mul cum voluntate divina ac tam peccandi.

18 Nunc autem dicunt aliqui, quod hæc volitio, & convolitio; hæc operatio, & cooperatio non debent vocari concomitantes: Communiter autem resolvunt quod sic, cui dictamini libenter subscribo. Quare ergo prædicta cooperatio, & convolitio non debent vocari concomitantes? Quia motivum cooperationis, & convolutionis non est idem, sed valde diversum pro utraque voluntate. Si hæc conditio esset necessaria ad veram, & propriam concomitantiam, certum est, quod cooperatio, & convolitio Dei, & creaturae non essent veræ, & propriæ concomitantes; nam certum est, quod motivum creature est bonum deletabile, & commutabile; motivum vero Dei est ipsem Deum, qui omnia propter semet ipsum operatus est. Mihi tamen videtur, quod talis conditio non est necessaria; quia talis concomitania in rigore nihil aliud est, quam simultatem: Si ergo simul convenient, & simul concurrunt, quod habeant diversa motiva, diversa principia, & diversos fines, quid obest ad veram, & propriam concomitantiam? Deinde Subtil. Doctor. vocat operationem Dei cooperationem, cooperatio autem quid est, nisi concomitare in

in operatione? Præterea, si ad veram, & propriam concomitantiam esset necessaria identitas motivi, raro Deus, & creatura concomitarentur in suis operationibus etiam bonis; nam actus virtutum moralium sunt boni, honesti, & supernaturales, si in gratia, efficiantur: at qui ad tales actus concurrunt Deus, & creatura per distincta motiva: g. non concurrerent ad illos cum vera, & propria concomitantia, quod non admittunt adversarij. Minor ab ipsis conceditur, qui in Deo negant virtutes morales formaliter acceptas, quia motivum illarum non est ipse Deus, qui propter se ipsum operatur omnia; sed bonitas creata, quæ licet honesta, repugnat, quod propter semetipsam ametur à Deo, sicut bene moraliter amat à creatura: erg. dicendum est, quod identitas motivi non requiritur ad veram, propriam, & formalem concomitantiam.

## q. I.

**PROPONUNTUR, ET SOL-**  
vuntur argumenta contra  
primam conclusio-  
nem.

19 **A** RG. i. Thomistæ in favorem præfinitionis ad materiale peccati: Datur præfinitio ad actiones supernaturales; sed plures actiones su-

pernaturales sunt peccata: erg. & datur præfinitio ad materiale peccati. Minor probant cum Sacerdote consecrante in peccato mortali; nam consecratio est actio supernaturalis, & in tali casu est peccatum mortale. Probant insuper per miraculum factum propter innanem gloriam, & alijs innumeris exemplis. Resp. quod aliud est consecratio, & aliud volitio consecrandi; consecratio est actio supernaturalis ab intrinseco bona, & non contaminabilis ab aliqua malitia: & quantum ad hanc actionem Sacerdos, & ejus verba sunt instrumentum Dei supernaturaliter elevatum, præterminatum, seu præfinitum; sed hæc prædeterminatio, seu præfinitio ad exteriorem actum consecrandi, non se extendit ad internam volitionem Sacerdotis, qua vult prohibito tempore, & pravis circumstantijs prædictam consecrationem. Volitio autem consecrandi, non semper est supernaturalis, sed aliquando meré naturalis, immò, & aliquando intrinsecè mala. Igitur licet Deus prædefiniat consecrationem, non tamen prædefinit volitionem, quando est ipsa volitio mala.

20 Eadem est solutio de miraculo facto propter innanem gloriam, cuius causa, & motor est ipse Deus, sive de quocumque

que actu virtutis supernaturalis, cui admisceretur aliqua culpa. Igitur in his, & similibus casibus dicendum est, illum actum non esse intrinsecè malum, sed extrinsecè tantum, eo quod imperatur à volitione prava: potest ergo Deus specialiter movere, & præfinire illum actum supernaturalem, ita, ut sit specialiter à Deo, ut ab authore supernaturali: at illa volitio imperans, quæ quidem intrinsecè est peccatum, minime est à Deo, ut præfinitus, nec ut specialiter promovente. <sup>up 3:</sup> Si etiam  
<sup>1021</sup> si communiter respondent Scotisti; attamen si volumus dicere, quod Deus non præfinis illas actiones naturales in illis circumstantijs, in quibus habent annexam culpam, non video aliquid inconveniens contra nos; quia solum diximus, Deum præfinire præfinitione antecedente actiones supernaturales salutares, scù meritorias, & conducentes ad vitam æternam. Ex hoc infertur, quod Deus potest præfinire, & præfinis auditionem Missæ, v. g. usque ad hoc instans, in quo non urget præceptum subveniendi proximo, & ex hoc instanti in quo præceptum urget, non præfinis talem auditionem; quia ante illud instans, in quo præceptum non urgebat, talis auditio erat supernaturalis, salutaris, &

meritoria; at in instanti, in quo urget præceptum, incipit auditio Missæ esse peccatum, & illud non præfinit Deus, nec vult antecedenter, & ex sua propria electione; sed solum consequenter, & ut voluntatem relinquat agere motus suos.

<sup>22</sup> Verum quia adversarij estimant, & magnopere extollunt præfatum argumentum, videte illum facile retortum. Certum est apud ipsos, quod ad actione supernaturalem, non solum physice, sed etiam moraliter præmoveat Deus, pōnendo auxilia, & inspirationes, ut talis actio ponatur. Eriam certum est, in sententia ipsorum, quod & si Deus possit præmoveare physice ad materiale peccati, non tamen potest præmoveare ad illud moraliter. Nunc sic: vel ad præfatas actiones supernaturales, in quibus admisceretur peccatum, datur præmotio Dei moralis, vel non? Si 1. ergo potest dari præmotio moralis ad dictas actiones supernaturales, quin detur ad peccatum; ac per consequens poterit dari præfinitio ad illas, quin ob hoc detur ad peccatum. Si dicant 2. nempe, quod ad actiones supernaturales, quæ habent connexum peccatum, non datur præmotio Dei moralis, sed solum physica; & nos possumus dicere, quod ad illas non datur talis præmotio phy-

physicā, nec præfinitio antecedens, sed solum decretum, seu volitio de concurrendo ad illas concomitanter: ergo coacti sunt suo argumento nostram admittere solutionem.

23 Contra eandem conclusum Arg. 2. quā plurimis autoritatibus Sacrae Scripturæ, in quibus videtur, Deum nos inducere, seducere, decipere, ac in malo, & ad malum obdurare. Sed ad omnes respondetar, si-  
cūt D. Leo serm. 16. de Pass. Dñi. Explicat illud Actor. 4. *Conveniunt in civitate ista ad- versus puerum tuum Iesum Herodes, & Pilatus cum gentibus, & populis Israël facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.* Nunc D. Leo, inquit: *Nanquid iniqüitas per- sequentium Christum ex Dei est orta consilio?* & illud fa- cimus, quod omni majus est cri- mine, manus divinae præpara- tionis armavit? non hoc plane de divina iustitia sentiendum est; quia multum diuersum, multum- que contrarium est, id, quod in Iudeorum malignitate est præ- cognitum, & quod in Christi est passione dispositum, non in- dè processit voluntas interficien- di, unde moriendi. Et nost. Ly- ra super eundem textum ait: *Pro mundi salute ex maxima charitate: Iudas tamen tradidit eum ex cupiditate, & maligni-*

Tom. I.

tate, quorum author non est Deus. Et Eccles. 15. dicitur de Deo, quod, *Nemini mandavit impiè agere.* Et est regula com- munis SS. Patrum ( inquit nost. Doctis. Mast. ex Lezan ) quod quoties in Sacra Scriptura ali- quod peccatum Deo tribuitur, id sit intelligendum solum per- missivè. Ita D. Aug. de gratia & lib. arbitr. c. 23. & lib. 1. ad Simplic. inquit, Deum indura- re, & excæcare peccatores: *Non impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam*, scilicet efficacem. Et lib. 5. contra Ju- lianum, cap. 3. Et lib. de grat. & libero arbitr. cap. 31. ait, Deum homines indurare, ex- cæcare, & tradere in reprobum sensum, quando ob eorum obs- tinationem, & pervicacciam pec- cata sequentia permittit in pœ- nam præcedentium. vel potest dici, cum aliquibus Expositori- bus, quod quando dicitur, Deum indurare, excæcare, & fecisse errare homines, intelli- gitur per accidens, non per se, ut quando aliquibus dat bona, quibus alij inflamantur invidia, & odio, & illos persequuntur; vel quando alijs dat bona, ut sint Deo grati, & ipsi abutun- tur illis, & redundant magis depravati, magisque Deo rebel- les.

24 Plura alia argumenta congerunt Salmanticenses ad pro-

Ss. bana

bandam præfinitionem strictam,  
seu antecedentem erga materiale  
peccati, quæ, quanvis ex dictis  
facile solvantur, possunt vi-  
deri apud nos tristram, Mastrum,  
Sendin, Antonium Perez, Pat.

Picazo. Circa illa verba, qui-  
bus Christus Joann. 13. vers.  
27. dixit Iudeus: *Quod facis, fac  
citius, &c.* dicunt aliqui, quod  
intelligitur exprobatio mali,  
quod animo conceperat Iudas  
& hoc erat; quod Christus illi  
consulebat. Alij intelligunt non  
actum, sed accelerationem; quia,  
inquiunt, non est malum, in-  
ducere aliquem ad exequendum  
congruo tempore, quod est pa-  
ratum committere. Alij intelli-  
gunt separationem à Discipulis.  
Unde subdit Scriptura: *Exivit  
continuò.* Contra 2. conclusio-  
nem, seu contra præfinitionem  
positivam latam, seu concomi-  
tantem etiam sunt innumera ar-  
gumenta, quæ videri possunt  
apud Mastr. Antonium Perez, &  
Bezerra; omnia verò facile re-  
torquet ipse Mastr. contra con-  
census simultaneum, seu conco-  
mitantem cooperationem, quam  
in tempore habet Deus ad ma-  
teriale peccati, etiam juxta ip-  
pos adversarios. Ob quod solùm  
proponere mihi placuit argu-  
menta, quæ Subtilis nost. Doct.  
sibi ipsi proponit contra prædic-  
tam cooperationem ad mate-  
riale peccati.

## q. II.

*ARGUMENTA CONTRA  
secundam conclusionem sol-  
vuntur.*

25 **S**Ubtillisimus ergo nost.

Doct. in 2. d. 37.  
q. 1. inquit: quod Deus non  
posset velle actum substraeti pec-  
cato, scilicet, physicae entitatis  
peccati. Prob. quia tunc face-  
ret contra suam prohibitionem;  
prohibuit enim Adæ comedere,  
nec aliqua delectatio in actu est  
peccatum, nisi quia prohibetur:  
erg. si fecisset illum actum po-  
sitivum, fecisset immediatè con-  
tra suam prohibitionem, quod  
videtur esse duplicitatis. Præte-  
rèa: quidquid Deus facit, prop-  
ter se facit; omnia enim prop-  
ter se ipsum operatus est Deus;  
& ex charitate perfectissima, quæ  
ipse est, facit: ergo ejus actus  
est ordinatissimus tam ex fine,  
quam ex principio operativo:  
Si ergo ille est actus inordina-  
tus à voluntate creata peccan-  
te, idem actus videtur ordi-  
natus, & inordinatus, quod  
videtur impossibile. Item li-  
berum arbitrium non errat,  
quando in agendo concordat  
sue regulæ: regula ejus in agen-  
do est voluntas Divina: ergo  
si Deus vult illud, quod libe-  
rum arbitrium peccans vult:

tunc

tunc liberum arbitrium quando peccat, non peccat.

26 Quid igitur erit bonum, quod Mar. Doctor ad hæc respondeat? Iam §. ad argumen-ta in oppositum, inquit: Respondeo ad primum, quod multa vult Deus voluntate signi, quæ prohibuit voluntate beneplaciti, & noluit omnia fieri, quæ præcepit, sicut noluit Isaac immolari, quod tamen præcepit. Quæ responsio, cum sit ad propositum, est idem, ac dicens; quod actus subtractus peccato est volitus à Deo voluntate beneplaciti, seu consequenti, quæ semper impletur; licet voluntate signi, seu antecedenti non sit volitus, sed prohibitus.

27 Ad aliud dico, (prosequitur Doct.) quod illud, quod est formaliter actus voluntatis meæ, quo, scilicet, voluntas mea vult, non est actus voluntatis divinæ, sed effectus ejus, (intelligite partialis) quia voluntas Divina semper est ordinata, & actus ejus rectus, & iste actus voluntatis meæ est inordinatus, quia caret rectitudine debita. Iste autem actus à Deo caufante est ordinatè volitus, sicut materia e respectu causantis; quemadmodum in nobis actus noster materialiter potest esse bonus; quia potest esse ex charitate elicitus (vg. dare elemosinam ex ære alieno, judicando esse pro-

rium;) sequitur igitur, quod velle divinum sit simplicitè perfectum, quia ex charitate elicatum, & habet finem optimum, (universa enim propter se ipsum operatus est altissimus, & ex charitate perfectissima, quæ ipse est, facit) & ita opus exterius istius velle, quod est in unum velle, est ordinatum materialiter, sive secundum quid: inordinatum autem simpliciter, in quantum est actus, quo formaliter voluntas mea vult. Notentur bené contra negantes decretum, seu velle Dei ad actum peccaminosum.

28 Ad ultimum dico, quod voluntas divina non est regula voluntatis meæ, vel voluntatis creatæ, quantum ad rectitudinem quoad ipsum volitum, ut scilicet, voluntas creata concordans voluntati illi in volito sic recta, sed est regula, in quantum est volens, voluntatem creatam sic, vel sic velle, vel hoc volendo voluntate signi, & antecedenter; non autem semper voluntate beneplaciti, & consequenter. Hucusque Doct. Quibus manifestè habemus, quod Deus vult, seu decernit concurrere, & immediate concurrit ad materiale peccati.

29 Sed quare Deo non adscribitur peccatum? Responderet Doct; quod Deus in se peccare non potest; patet per hoc, quod non potest à se ayerti, nec for-

maliter, quia non potest se non diligere summe, & ordinare, & cum omnibus circumstantijs requitis, alioquin, vel non posset se ordinare diligere, vel posset mutari, quorum utrumque est impossibile; nec etiam virtualiter potest à se averti; quia nihil aliud à se est necessarium sibi ad volendum se; quodcumque enim aliud à se est, quia ab eo volitum, & hoc modo volitur, & pro nunc, & propter nunc, ex hoc est sic ordinare volendum. Si ergo Deus non causaret liberè rectitudinem, quæ debebat esse in actu voluntatis creatæ, & hoc propter libertatem voluntatis suæ, non autem propter defectum voluntatis creatæ, involuntariè cooperantis; tunc non esset causa peccati in voluntate creatæ, quia non esset ibi carentia justitiae debitæ; non enim est justitia debita à voluntate creatæ nisi in quantum est in potestate ejus recte agere, ita quod nulla intelligitur subtractio causæ prioris, propter cuius defectum non possit voluntas creatæ recte agere: Si igitur Deus esset prima causa non agens rectitudine, actus non rectus non esset peccatum.

30 Præterea, §. ad solutionem, inquit; dico, quod quando duæ causæ partiales concurrunt ad eundem effectum, potest esse defectus ex parte unius,

& non alterius:: ita igitur si ad velle voluntatis creatae concurrunt duæ voluntates, scilicet, voluntas creata, & Divina, potest esse defectus in ipso velle ex defectu alterius causæ, & hoc, quia ista causa potest rectitudinem dare actui, quam tenetur dare, & non dat. Alia autem licet non teneatur eam dare, tamen quantum est ex se daret, si voluntas creata cooperaretur: Universaliter enim, quidquid Deus dat antecedenter, daret illud consequenter quantum est ex se, nisi esset impedimentum: dando autem voluntatem liberam, dedit antecedenter opera recta, quæ sunt in potestate voluntatis; & ideo quantum est ex parte sui dedit rectitudinem omni actui voluntatis; & ex consequenti daret, si ipsa voluntas recte ageret ex parte sui. Est igitur defectus in effectu duarum causarum, non propter defectum causæ superioris, sed inferioris, non quia causa superior causet rectitudinem in effectu, & inferior oblitatem: sed quia causa superior quantum est ex se causeret, si causa inferior secundum suam causalitatem causeret; & ideo rectitudinem non causari, est propter hoc, quia causa secunda quantum ad se pertinet non causat. Hucusq. Subtiliss. Doct.

31 Dices : ergo decreta Dei sunt conditionata. Patet conseq. ex relatis verbis Marian. Doct. „ Causa superior causaret ac „ tam rectum , si causa inferior „ illum causaret : g. idè non causat , seu idè non decernit causare actum rectum , quia prius non vidit voluntatem creatam illum causare , & quando absolutè , & efficaciter decernit illum causare est , quia prius vidit determinationem voluntatis creatæ. Et tunc hæc nostra sententia coincidit cum sententia Jesuitarum , de scientia media , & de determinatione voluntatis Divinæ per voluntatem creatam. Vel aliter instatur sic : voluntas Divina quatenus est ex se causaret semper actum rectum , si voluntas creatæ non poneret actum pravum ? ergo ad actum pravum concurrit Deus , quasi compulsus , & non planè voluntarié , quod est indecorum.

32 Noster Doct. Sendin , inquit ; quod in præfatis verbis asserit Scot ; voluntatem creatam se habere , ut causam partialem determinantem Deum ad materiale peccati : & , quod propter hoc asserit Scot . malitiam peccati non refundi in Deum , sed in voluntatem creatam , quæ se habet , ut principium determinans voluntatem Divinam. Sed aliquando bonus

dormitat Homerius. Iam vidistis , quod in verbis Scoti non sit aliqua mentio de determinatione voluntatis Divinæ per voluntatem creatam : et si ita esset , nescio quomodo posset negari scientia media , quam acerrimè impugnat ipse Sendin. Non ergo hæc est intelligentia illorum verborum.

33 Respond. igitur ad prim. instant. neg. conseq. nam ut sæpe diximus , sensus decreti Dei est : volo absolute applicare meam omnipotentiam voluntati creatæ in ratione causæ partialis , ut ex utraque fiat unum principium totale adæquatum , & perfectè liberum proximè potens elicere volitionem , vel nolitionem , ita ut neutrum principium partiale determinet aliud ; sed ita , ut principium causæ superioris ex sua perfectione , & illimitatione sit prius determinatum in quantum est de se ad omnes operationes possibles comprincipij partialis causæ inferioris. Hæc est intelligentia Marian. Doct. ut patet in 4. d. 43. q. 3. ubi ait : ergo influentia causæ superioris non est aliquid receptum in causa inferiori : Unde est tantummodo ordo ejus in causando ad causam superiorem ( notatè nunc ) continuè quantum est de se coagentem.

34 Unde ad præfata verba

ba Scoti dicimus, quod ex ista veritate: *Si voluntas creata daret, daret Deus;* non sequitur, quod Deus decrevit conditionate, sed quod omnipotentia, quantum est de se erat determinatissima ad concurrendum ad omne actum bonum absque ulla conditione, ut supra diximus de voluntate illa generali, qua Deus vult omnes homines salvos fieri: ad quem actum bonum etiam dat sufficientia auxilia: attamen voluntas creata noluit accipere concursum ad bonum, sed ad malum, ad quem etiam erat determinatissima omnipotentia, ne laddatur libertas voluntatis creatæ, & ob alia inscrutabilia judicia ejus. Etenim propositio formalis conditionata non semper arguit propositionem objectivam conditionatam; quia in propositione formalis conditionata semper antecedens necessario est causa consequentis: in objecto vero multoties consequens est causa antecedentis, v. g. *si ridet est risibile;* Ecce ly *risibile,* quod est causa ridendi, posito pro consequenti. Unde iuxta hunc sensum, etiam si Deus antecedat creature, benè potest dici: *Si creatura daret, daret & Deus.* Etiam aliquando objecta propositionis conditionalis sunt pure concomitantia, ut *si est verum, est bonum,* & in hoc sensu in-

telligentur verba Mariani Doct. nam concursus Dei, & creature sunt simultanei, & concomitantes in eodem instanti naturæ.

35 Quod hæc sit sua mens, patet, ex versic. immed. sequenti, ubi loquens de concursu voluntatis Divinæ, & creatæ ad materiale peccati, concludit: *Neutra tunc casat sine altera; sed quod effectus non rectus causetur, hoc non est propter causam priorem, quæ quantum est ex se, recte causaret, si secunda causaret; sed propter defectum causæ secundæ, quæ in potestate sua habet CONCAUSA-RE cause prime, vel non CON-CAUSARE; & si non CON-CAUSAT illi, ut tenetur, non est rectitudo in effectu communi ambarum:* g. ex Subt. Doctore Deus compræfinit, & concausat cum voluntate creata, tanquam effectum communem utriusque. Cum quo respondeatur ad secundam instantiam, negando etiam conseq; nam ex eo, quod Deus quantum est ex se semper velit actum rectum, & sibi displiceat actus pravus, non inde sequitur, concurrere quasi compulsum, & involuntarié ad illum. Etenim Deus ab æterno habuit hanc prefinitionem: Decerno quantum est ex me actum rectum, confessionem, & laudem Christi in voluntate Petri; attamen etiam decerno re-

Inquiere illam in manu consilij stui , apponere illi ignem , & aquam , & volo quod mea voluntas condecernat , & concueret quodcumque ipsa voluntas Petri voluerit. Ecce quomodo nulla est compulsio , violentia , aut involuntarietas in Deo ; nam in compræfiniendo , & concuerando materiale peccati , se conformat cum illa sua voluntate antecedenti de non impediendo causas liberas , quod suos motus agant.

36 Instabis juxta Concilium Arausic. Can. 33. *Suam voluntatem in homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displaceat;* si displaceat: erg. vel positivè non præfinit illud , vel præfinit determinatus à creatura , vel solum permisiviè. Confirm. 1. Sicut boni actus principaliter attribuuntur Deo , ita mali actus principaliter attribuuntur nobis : sed ob hanc causam defensamus probabilitè quæstione antec. Deum præfinire actus bonos , & salutares ante determinationem voluntatis creatæ : erg. ob eandem causam defensare , debemus , voluntatem creatam se determinare ad actus pravos ante determinationem voluntatis divinæ. Conf. 2. ex Trident. sessione 6. Can. 6. damnante dicentes , *mala opera, Deum op rari , ita , ut bona, non permisiviè solum, sed etiam*

*propriè , & per se : erg. &c.* Respondetur ad 1. neg. conseq. quia bené stat , quod Deo displaceant opera mala ; & tamen sua divina voluntate concurrat , ut omnes fatentur , ad materialem entitatem ipsorum. Ad 1. confirmationem resp. concedendo maj. & disting. min. Ob hanc causam præcisè , neg. ob hanc causam , & quia voluntas divina potest se sola velle quidquid congruit bonitati suæ , conc. & neg. conseq. Deum prædestinare sine causa ex parte prædestinati , congruit bonitati suæ , inquit Subt. Doct. ; & idem dicimus de operibus salutis ; attamen velle damnare , non videtur sibi immediate posse attribui antecedenter ad peccatum , nec potest velle materiale peccati ante determinationem voluntatis creatæ. Voluntas autem creata , nec bonum , nec malum , potest se sola velle , quin simul cum illa concurrat divina voluntas , à qua dependet in esse , conservari , & operari.

37 Ad 2. confirm. respondeat. neg. conseq. nam ut inquit D. Anselm. in bonis operibus Deus operatur , & quod sunt , & quod bona sunt ; in malis autem solum operatur , quod sunt ; non vero quod mala sunt ; immò ut talia illa prohibet. Sed pro pleniori hujus , & aliarum similiūm authoritatum solutione , & in-

intelligentia, est advertendum, quod duplex est permisso, una stricta, & alia lata: permisso stricte, & rigorosè sunta dicit solum negationem, seu substractionem concursus, quo aliquid impeditur, seu dicit solam voluntatem reflexam non impediendi. De hac loquitur Subtil. Doct. quando inquit, quod sola permisso, & certitudo permissionis circa peccatum luciferi non sufficit ad cognoscendum futurum tale peccatum, sed ultra id requirit, quod sciat Deus se cooperaturum, & scit se cooperatum, quia vult cooperari, seu ponit decretum de cooperando. De hac autem permissione non loquitur Concilium, quia Concilium non tantum loquitur de decreto, quantum de ipso concursu in tempore exhibitio, & hoc non obstante, omnes fatentur, concurrere Deum in tempore immediato, & positivo concursu.

38 Permissio autem lata, & minus rigorosè accepta est concursus, quo aliqua causa concurrit ad aliquem effectum positivè, non ex amore ipsius effectus, sed ad vitanda aliqua incommoda, vel ob alias fines, ad quos per accidens se habet talis effectus, v. g. duo famuli domino volenti furari applicant scalam, ut furetur; verum unus ex illis applicat scalam ex amo-

re ipsius furti, alter vero non, sed præcisè ne mortem patiatur, quam minatus fuit illi dominus, si scalam non applicet. Ex his duobus servis, & si uterque vere realiter, & positivè scalam applicet; verum servus applicans scalam allectus ex bonitate furti, peccat, & concurrit electivè, & per se, & non permissivè: alter vero applicans illam ex motivo vitandi incommoda, non peccat, & solum dicitur concurrere permissivè. Similiter ancilla, quæ jubat dominam ornantem se malo fine, ipsa vero ancilla cum jubat in tali ornato, ne malum grave pateretur, & si vere realiter, & positivè concurrat ad ornatum dominæ, adhuc non concurrit electivè, sed tantum permissivè, & non peccat. Aliaque millia suppetunt exempla, quæ passim inveniuntur in moralibus.

39 In hoc igitur sensu dicitur Deus à Concilio causa tantum permissiva actus peccaminosi; quia licet positivè in ipsum influat, tamen non vult hunc influxum volitione antecedenti, & ex selectiva; quia antecedenter, & de se semper vult actum rectum; nec vult talem influxum allectus à bonitate ipsius actus peccaminosi; sed illam bonitatem vult, prout est referibilis ad se ipsum.

Hic

Hic deducit Concilium, Deum non ita operari mala, sicut bona; hæc enim nobiscum operatur illa præfinitione antecedenter, & ex primaria ejus intentione, & ad illa in tempore prædeterminat voluntatem creatam suis auxilijs efficacibus; actus verò malos non ita præfinit antecedenter, nec in tempore excitat ad illos, immò voluntate antecedenti prohibet, nè fiant. Eodem igitur pacto, quo excusatur Deus, ut non sit causa peccati, etiam si nobiscum concurrat in tempore ad entitatem positivam illius, sic pariter excusari debet, ac eadem ratione, etiam si ponamus, sicut poniimus, Deum præfinisse ipsam entitatem decreto de concurrendo simultaneè; quia sic illam non decernit volitione antecedenti, nec sponte, ac veluti ex primaria sui intentione, sed ut ne perturbetur ordo naturæ, impediendo causas liberas suos motus exercere. Nec enim Deus tenetur vitare peccatum; quia supposita lege à se ordinata, qua vult cum omnibus causis secundis, juxta suam exigentiam, concurrere, est physice impossibile, ratione suæ immitabilitatis, & omnipotencie, talem legem non mandare executioni: ad impossibile igitur nemo tenetur. Et quanvis sit possibile de potentia absoluta, & ex-

traordinaria, non tenetur ad facienda miracula, nisi quando vult, & quibus vult.

## QUÆST. VI. ET ULT.

*AN BONA, QUÆ OCCA-  
SIONANTUR EX PECCATO, ANTE  
PECCATUM PRÆFINANTUR  
À DEO?*

I **P**RO intelligentia hujus questionis notandum est 1. quod bona duplice posse sunt occasionari ex peccato, primo accidentaliter, hujusmodi dicuntur occasionata ex peccato illa bona, quæ ex se non indigent ad existendum permissione peccati, sed possunt existere absolute, & simpliciter nullo interveniente peccato, v.g. humilitas ita occasionatur ex peccato, ut ex genere suo non petat simpliciter talem occasionem, ut patet in B. Virg. & sic licet respectivè ad hoc, vel illud subiectum permisio peccati sit medium ad habendam humilitatem; tamen simpliciter poterat salvari, & existere humilitas, absque peccato. De hujusmodi bonis non procedit quæstio; nam certum est, talia bona posse esse de primaria intentione Divinæ prævidentie; ac per consequens possunt præfiniri à Deo independenter à peccato, scù ante prævisionem illius. Alia sunt

bona , quæ occasionantur ex peccato per se ; & hoc adhuc dupliciter , scilicet , perfiditate , ex parte peccati , ut cause ; & perfiditate ex parte boni occasionati , ut effectus ; & ut sic solum unum bonum occasionatur ex peccato , scilicet , bonum pœnæ , & supplicij , cuius per se causa moralis est peccatum. De isto bono non inquirimus hic ; nam Disput de reprobatione dicemus , non praesumiri à Deo ante prævisionem peccati. Alia sunt bona , quæ occasionantur ex peccato per se , perfiditate ex parte boni per connexionem cum peccato ; quia nimis , connectuntur cum illo , & illud respiciunt , ut materia destruenda , cuiusmodi est pœnitentia supernaturalis , quæ est medicina peccati ; & circumstantia Christi , ut Redemptoris ; virtus patientiæ orta ex persecutione ; bonum martyrij ex saevitia tortoris , & alia hujusmodi ; haec enim bona necessario exigunt peccatum ad sui existentiam , & per se sunt connexa cum illo , licet ab illo non causentur per se , sed tantum per accidens.

2. Notandum est 2. ut hoc autem amplius illustretur , quod sicut in scandalo duplex distinguitur modus occasionandi spiritualem ruinam ; unus passivus , qui modus occasionandi convenit scandalo passivo , quia

movet ad ruinam , non occasio ne per se data , sed accepta à humana malitia : alius activus , qui convenit scandalo activo , quia per se invitat ad ruinam alterius , & per se præstat illam occasionem ; ita similiter peccatum , comparativè ad diversa bona , hoc dupli modo se habet occasionandi ; nam ad bonum pœnæ , supplicij , & condemnationis movet per se occasione data : ad alia autem bona supernaturalia , quæ conducunt ad finem prædestinationis , & ad expiandum ipsum peccatum , non movet per se occasione data , seu activè , sed passivè , occasione accepta à Divina providentia ordinante , & bona ex malis educente. Ita D. Thom. 1. 2. q. 79. art. 4. ubi ait : „ Quod „ excusatio est præambula ad „ peccatum ; peccatum vero ad „ duo ordinatur , ad unum qui „ dem per se , scilicet , ad damnationem , ad aliud autem ex „ Divina misericordia , seu „ providentia , scilicet , ad sanationem , in quantum Deus „ permittit peccatum , ut peccatum suum agnoscentes , hu „ milientur , & convertantur. Hæc Diu. Thomas. Hoc etiam modo peccatum originale dicitur occasio , & motivum incarnationis in carne passibili. De ipsis ergo bonis , quæ occasionantur ex peccato , &

prout cum illo connectuuntur, procedit nostra quæstio, circa quam varia sunt AA. placita. Inter prædeterminantes, pars affirmativa est communior, ut videri potest apud Salmaticenses. Inter Neutrales verò, negativa est communior. Scotistæ autem penè æquæ sunt divisi. Videat. Merinerus, disp. 1. de Divina provident. quæst. 5. sect. 2. Anton. Perez, tom. 2. controv. de Divin. provid. disp. 1. sect. 4. sub sect. 8. & Sendin, controv. prima de Incarnatione, sect. 5. num. 17.

3 Conclusio nostra; bona occasionata ex peccato non præfiniuntur à Deo ante prævisionem peccati. Hæc conclusio videtur mihi magis conformis principijs Scotti, & ex illis Prob. 1. sic: iuxta principia Scotti Christus Dominus, ut Redemptor, non fuit præfinitus ante prævisionem peccati: g. nec bona, de quibus nostra conclusio loquitur, fuerunt præfinita ante prævisionem peccati. Antecedens est omnium Scotistarum. Prob. conseq. idèo Christus, ut Redemptor, non fuit præfinitus ante prævisionem peccati, quia, ut talis, necessario connectitor cum illo, & illud supponit: Sed bona de quibus loquitur conclusio, necessario connectuntur cum peccato: g. non fuerunt præfinita ante illud, sed illud

supponunt prævisum. Confirmat: quia Redemptio Christi supponit captivitatem, sicut Resurrectio supponit mortem; ideo Christus, ut Redemptor, non fuit præfinitus ante captivitatem, sicut, nec Resurrectio datur ante mortem: sed eodem modo supponit pœnitentia v. g. & quodcumque aliud bonum occasionatum, illud peccatum ex quo occasionatur: g. &c. Vel aliter sic: nullus majus bonum ex occasionatis, à peccato, quam Christus, ut Redemptor: sed Christus, ut Redemptor, quia bonum occasionatum, non præfinitur, iuxta principia Scotti, ante prævisionem peccati: g. iuxta eadem principia, multò minus ante prævisionem peccati debent præfiniti quacumque alia bona occasionata.

4 Urgetur; ideo iuxta principia Scotti non præfinitivit Deus Christum, ut Redemptorem, ante prævisionem peccati, quia ex tali præfinitione, teneretur Deus permittere peccatum, quod est absurdum: Sed idem absurdum sequitur ex præfinitione pœnitentia, & cujuscumque alterius boni occasionati, ante prævisionem peccati: g. iuxta principia Scotti, nullum bonum occasionatum debet præfiniti, ante prævisionem peccati. Probat. min; idèo possita præfinitione Christi, ut Redemptoris,

ante prævisionem peccati, tene-  
retrur Deus permittere pecca-  
tum, quia intendens efficaciter  
aliquem finem, tenet ut ponere  
quidquid necessario requiritur,  
ut talis finis exequatur, & pec-  
cat m est necessarium, ut Chris-  
tus sit Repemptor: sed eadem  
paritas currit de pœnitentia, &  
alio quocumque bono occasio-  
nato, ut supponitur: g. si præ-  
finirentur ante prævisionem pec-  
cati, teneretur Deus permittere  
peccatum. Confir. iuxta Subt.  
Magistr. præfinitio ad gloriam  
est ante prævisionem merito-  
rum; præfinitio verò ad pœnam  
non est ante prævisionem demer-  
itorum; quia gloria est bonum  
simpliciter, & pœna est bonum  
secundum quid, seu occasiona-  
tum ex peccato: g. iuxta subtil-  
em Magist. quocumque bonum  
occasionatum præfinitur à  
Deo post prævisionem peccati.  
Illustratur hoc; præfinitio ad  
gloriam ante prævisionem merito-  
rum, est initium merito-  
rum, & præfinitio ad pœnam  
ante prævisionem demeritorum,  
esset initium demeritorum: at-  
qui iuxta Scotum congruit Deo,  
ut ab illo sit initium merito-  
rum; non verò congruit illi, ut  
ab ipso sit initium demerito-  
rum, quia bona omnia principali-  
ter attribuuntur Deo, & mala nob-  
bis; nam Oseas:c.13.9., perditio  
 tua ex te Israël: tantummodo

, in me auxilium tuum: Ex quo  
concludit Subtilissimus Magis-  
ter, quod præfinitio ad gloriam,  
est ante prævisionem meritorum;  
præfinitio verò ad pœnam non  
ante, sed post prævisionem de-  
meritorum. Atqui idem argu-  
mentum currit, de quocumque  
bono cum peccato connexo ne-  
cessariò, ut per se patet: g.  
&c.

5 Probat. 2. concl. ex D. August. dicente: *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ.* Nunc sic: Redemptio Christi, & pœnitentia salutaris est medicina peccati, quod est vulnus, & morbus: sed ante morbum, & vulnus nulla est cau-  
sa medicinæ; ergo ante pecca-  
tum nulla est causa Redemptio-  
nis, & pœnitentia. Atqui Deus, utpoté rationabiliter operans, non potest agere, sine causa agen-  
di: g. neque præfinire Redemp-  
tionem, & pœnitentiam ante  
captivitatem, seu ante prævisio-  
nem peccati. Confirm. ex eodem  
August. 3. confess. dicente: *Non  
esse sincerè misericordiam, cupere  
miseros, ut misereatur.* Et alibi  
super Psalm. *Qui enim, ut faciat  
misericordiam, optat esse mis-  
eros, crudelē habet misericor-  
diam;* & certe ipsa naturalis ra-  
tio convincit hanc veritatem:  
atqui si Deus præfiniret passio-  
nem Christi, & pœnitentiam me-  
dicinam ante prævisionem pec-  
cati,

eari, cuperet miseris, & optaret esse peccatores, sine quibus est impossibilis passio, & penitentia, ut per se patet: ergo &c.

6. Prob. 3. ex D. Damasc. lib. 2. de fide c. 26. ubi ait: quod bonum occasionatum non potest præfiniri, nisi occasione mali occasionantis; quia præfinitio Dei est juxta exigentiam rerum; nam sicut res se habent ad esse, sic ad præfiniri: sed pœnitentia, Passio Christi, Martyrium Sanctorum, &c. sunt bona occasionata ex peccato, & necessario connectuntur cum illo: g. non præfiniuntur ante prævisionem peccati. Urgetur hoc: amor efficax finis, non potest esse odium efficax existentia medium: sed amor passionis, & pœnitentia, seu præfinitio efficax illarum, est efficax odium peccati; quia præfiniuntur ad illud destruendum: g. Passio, & pœnitentia nequeunt præfiniri ante prævisionem peccati; alias eligeretur ut medium ex intentione, quod per ipsam intentionem odio prosequitur. Rursus; Passio, & pœnitentia sunt odium peccati, & destructivæ perseverantiae illius; g. Deus volens, seu præfiniens Passionem, & pœnitentiam, vult, & præfinit peccatum non perseverare. At qui non perseverantia existentia peccati actualis, necessario sup-

ponit primam existentiam, & permissionem illius: erg. præfinitio passionis, & pœnitentia ad delendum peccatum, necessario supponit primam existentiam, & permissionem peccati.

7. Prob. denique concl: si Deus ante prævisionem peccati, præfinivisset efficaciter, non posset præcipere serio, & rationabiliter, quod peccatum non fieret: sed ante prævisionem peccati futuri, præcepit serio, & rationabiliter, ut non fieret: erg. ante prævisionem peccati futuri, non præfinivit Deus Passionem, & pœnitentiam. Minor cum consequentia tenet; Prob. maj. evitatio, seu non positio peccati, esset impedimentum essentiale passionis, & pœnitentia, quas Deus efficaciter prætendebat, seu præfiniebat: atqui non potest Deus serio, & rationabiliter velle quantum est ex se antecedenter, quod impediatur finis efficaciter prætentus, seu præfinitus ab ipso; quia hoc esset velle, quantum est ex se, frustrationem suæ præfinitionis efficacis: erg. si ante prævisionem peccati futuri præfinivisset Deus passionem, & pœnitentiam, ante prævisionem peccati, non possit serio, & rationabiliter præcipere, quod peccatum non fieret. Non enim est intelligibile absque contradictione, (præsertim, non admissa scientia conditionata, seu media)

dia) quod Deus præcipiat serio evitatem peccati, & quod simul præfiniat, seu prætendat efficaciter passionem, pœnitentiam, quæ certò non ponentur in esse, si peccata evitarentur. Vel aliter sic: qui vult efficaciter finem, non potest serio prohibere medium necessarium ad finem: sed Deus prohibet peccatum: erg. non potest efficaciter velle, seu præfinire passionem, pœnitentiam, martyrium, &c. tanquam finem prætentum, & prævoltum ante prævisum peccatum. Hæc sufficiant, ut videatur, quæm conformis, & fundata sit hæc nostra conclusio in principijs Scotti, & in vera ratione.

8 Arg. i. contra illam; supposita prævisione peccati, præfinit Deus, & vult Passionem Christi, pœnitentiam, martyrium, &c. quin ex hoc sequatur, Deum præfinire, velle, aut causare peccatum: g. etiam poterat præfinire Passionem Christi, pœnitentiam, & martyrium ante prævisionem peccati, quin velit, aut præfiniat peccatum, & quin sit causa, aut author illius. Confirmat; suppositio, aut prævisio peccati non auget, nec minuit connexionem boni occasionati cum ipso: sed hæc conexio non sufficit, ut supposita jam prævisione peccati, præfinitio, seu gaudium

de bono occasionato, sit præfinitio, vel gaudium de peccato: erg. neque præfinitio, aut gaudium de bono occasionato, ante prævisionem peccati, erit præfinitio, aut gaudium de ipso peccato.

9 Respondetur ad argumentum concedendo antecedens, & negando consequentiam, dispartitas est efficax, & manifesta; quia supposito jam peccato, præfinitio passionis, & pœnitentia necessariò est, aut infert odium peccati; nam, ut in probationibus diximus, amor efficax, seu præfinitio passionis, & pœnitentia est efficax odium peccati, quia præfiniuntur ad illud destruendum, & destructio alicujus rei non intenditur sine odio, aut nolitione rei, quæ destruitur: Unde supposito peccato, præfinitur passio, & pœnitentia ex displicantia, & odio peccati; ac proinde connexio, quæ tunc datur inter passionem, pœnitentiam, & peccatum non urget ex positione passionis ad ponendum peccatum, sed ad pondam carentiam, & destructionem illius. At verò præfinitio antecedens passionis, & pœnitentia urget ad ponendum peccatum, ut per illas destruatur; quia non potest per illas destrui, quin priùs sit, ut per se patet. Unde, qui vult pœnitentiam ad destruendum peccatum,

priùs

prīus obligatur ad illud ponendum , & postea ad illud destruendum. Unde communiter dicitur ex D. August. quod pœnitentia est præterita mala plan gere ; seu , est dolor de peccatis præteritis , & jam commissis, cum proposito non iterandi. Hinc , ad confirmat. distinguit. major; suppositio peccati non minuit , nec auget connexionem cum bono occasionato, seu cum pœnitentia , & alias nec variat talem connexionem, neg. & alias variat , conc. Et sic dis tinct. minori , neg. conseq. Etenim , suppositio peccati inducit ad ponendam pœnitentiam; suppositio pœnitentia inducit , & urget ad ponendum peccatum; & quod posito jam peccato , velit Deus , ut ponatur pœnitentia ad illud destruendum , perfectio est ; non autem esset perfectio in Deo , ut velit positio nem peccati , antequam peccatum fit.

10 Arg. 2. nullum est peccatum in mundo , quin Deus illud permittat: erg. permettere peccata , non est imperfectio in Deo. Subsumo ; atqui ex eo, quod ante prævisionem peccati præfinit Deus præfata bona occasionata, solum sequitur, Deum permettere peccata : erg. ex eo, quod ante prævisionem peccati præfinit bona occasionata , nulla sequitur imperfectio in Deo.

Confirmat ; ante prævisionem peccati , Deus permittit peccatum : sed ex hoc nulla sequitur imperfectio in Deo : erg. neque ex illo. Urgetur , permisso peccati habet majorem connexionem cum peccato , quam pœnitentia , v. g. sed ex hoc quod Deus velit antecedenter permissionem peccati , nulla sequitur imperfectio in Deo : erg. nec sequitur ex eo , quod velit, seu præfinit antecedenter pœnitentiam cum peccato connexam. Minor cum consequentia tenet, & major est manifesta ; nam pœnitentia solum connectitur cum peccato , tanquam cum materia destruenda , ex qua connexione potius infertur odium , quam amor peccati ; permisso autem est conditio simpliciter requisi ta ad existentiam , & positionem peccati ; nam si Deus non per mitteret , nullum peccatum esset; g. major videtur connexio inter permissionem Divinam , & peccatum , quam inter peccatum , & pœnitentiam.

11 Respond. conced. pri mum enthymema , & neg. min. subsumpt. Etenim hoc opus , & hic labor est , nam inter permettere peccata , & esse obligatum ad illa permittenda magnum discrimen interest : Deus autem, nec est obligatus ad permettenda peccata , nec ad illa evitanda ; si enim esset obligatus ad illa

illa evitanda . dum non evitat, cum possit , peccaret ; sicut quilibet Iudex , & Gubernator particularis , dum non evitat peccata sui Populi , cum possit , peccat , quia tenetur , & est obligatus ad illa vitanda. Si autem esset obligatus ad permittenda peccata ex aliqua præfinitione à se ipso posita , à se ipso , & absque prævisione malitia hominum esset obligatus ad substrahenda auxilia , & ad neganda remedia contra peccata , quod indecorum , & indecens est suæ infinitæ misericordiae , benignitati , & bonitati , quæ ex se ipsa vult omnibus communicari , omnes salvos fieri , & omnibus praefat adjutoria sufficientia ; ac denique omnibus præcipit , ut semper bene operentur ; quia semper stat ad ostium , & pulsat suis auxilijs. Deinde , si à se ipso absque prævisione malitia hominum esset obligatus , & tenetur ad permittenda peccata , jam initium perditionis esset à Deo , quod est contra Subtil. Doct. sapè citatum ; contra CC. & PP. immo , & contra Sacram Scripturam. Stenus ergo , quod sola malitia hominum ponit terminos misericordiae Dei , & sola illa obligat Deum ad permittenda peccata ; quia reliquit hominem in manu consilij sui , & non vult violentare illum , nec facere contra suam exigentiam ,

& inclinationem voluntate consequenti. Cum quo manet soluta confirmatio , & totum argumentum.

12 Arg. 3. de facto Deus præfinivit ante prævisionem peccati nostram Redemptionem : sed nostra Redemptio est bonum occasionatum ex peccato : ergo bona occasionata est peccato præfinit Deus ante prævisionem peccati. Respond. neg. maj. nam de facto , tām Redemptionem nostram , quam adventum Christi in carne passibili præfinivit Deus post prævisionem peccati originalis. Instabis : Redemptio nostra est etiam bonum occasionatum ex peccatis Iudeorum crucifigentium Christum : atqui nostra Redemptio fuit præfinita ante prævisionem talium peccatorum : erg. aliquod bonum occasionatum ex peccato præfinivit Deos ante prævisionem peccati. Vel aliter sic : Deus propter se ipsum , & à se ipso præfinivit nostram Redemptionem per mortem , & passionem Christi ante prævisionem peccatorum crucifigentium Christum : ergo posita hac præfinitione erat obligatus Deus ad permittenda talia peccata ; ac per consequens non est indecorum , nec indecens , ut Deus maneat obligatus ad permittenda peccata ex præfinitione antecedenti , & à se ipso elective posita.

13 Hæc instantia est efficacissima ad convincendum oppositum nostræ conclusionis, inquit noster Illustriss. Merlin. loc. supra cit. Sed salva sua reverentia, credo, quod hoc non est verum. Respond. igitur 1. disting. maj. Redemptio nostra fuit occasionata ex peccatis crucifigentium Christum, in executione, conc. in intentione, neg. Et eodem modo distinguit. minor; nostra Redemptio fuit præfinita, ante peccata crucifigentium Christum, in intentione, conc. in executione, neg. & neg. consequent. Nulli ergo dubium est, quod quia agens agit, ideo patiens patitur; & non econtra: g. prius fuerunt in executione, actiones Iudæorum circa Christum, quam passio Christi, saltem quoad circumstantias ex prædictis actionibus peccaminosis ortas. Resp. 2. distinguendo etiam maj.; Redemptio nostra fuit etiam occasionata ex pecca- tis crucifigentium Christum, tanquam ex motivo secundario, conc. tanquam ex motivo primario, neg. Etenim primarium motivum, seu primaria occasio adventus Christi passibilis, ac per consequens passionis, & mortis Christi fuit peccatum origi- nale, radix, & origo omnium actualium; peccata vero actua- lia solum fuerunt motivum se- cundarium. Ita communiter

Theologi in materia de Incar- natione. Unde quanvis conce- damus, quod Redemptio nos- tra per passionem, & mortem Christi fuerit præfinita, ante præ- visionem peccatorum crucifigen- tum Christum; solum hinc se- quitur, aliquod bonum occasio- natum posse præfiniri ante præ- visionem peccati, ex quo oca- sionabatur, tanquam ex motivo secundario, quo deficiente, ad- huc subsisteret primarium, nec posito primario, erat necessa- rium secundarium. Sed si ali- quando ex positione primarij, se- quatur necessarij positio secun- darij, tunc est standum in pri- ma responsione; quia eadem sunt inconvenientia pro secun- dario, ac pro primario.

14 Respondetur 3. disting. etiam mai. Redemptio nostra fuit etiam occasionata ex pecca- tis crucifigentium Christum; quoad modos, & circumstantias ab illis dependentes, conc. quoad substantiam, & quoad modos, & circumstantias antecedentes, neg. & disting. minor: Redemp- tio nostra fuit præfinita ante prævisionem peccatorum cruci- figentium, quoad substantiam, modos, & circumstantias ante- cedentes, conc. quoad modos, & circumstantias concomitantes, & ab illis dependentes, neg. & neg. consequentiam; Et quid quid ex inde infertur. Etenim

mihi certissimum est, quod Iudaï Christum crucifigentes, nullam excusationem habuerunt de peccatis suis: *Si ego non venissem* ( dicit Christus Dominus) *excusationem haberent de peccato suo; sed quia veni, &c. nullam excusationem habent.* Præfinitio Redemptionis nostræ adhuc per mortem Christi non fuit ex primaria intentione Dei, ut exequeretur interventu peccatorum, nec peccatorum talium hominum; quia hæc circumstantia prava, & hic pravus modus primariò oriuntur à prava voluntate Iudæorum; & simùl, ac concomitante, & voluntate tantum consequente compræfiniuntur à Divina voluntate; nam voluntate antecedenti nolebat talia facinora, & præcipiebat, né fierent, & ut non patrarentur concedebar inspirations, adjutoria, & auxilia sufficientia.

15 Audiant igitur Scotistæ suum catholicissimum, ac Subtilissim. Doctorem in 3. d. 20. q. unic. §. tunc ad quæstionem, ubi ait: „Tunc ad quæstionem, dico, quòd omnia hujusmodi, quæ facta sunt à Christo circa Redemptionem nostram, non fuerunt necessaria; nisi præsupposita ordinatione Di-vina, quæ sic ordinavit fieri; & tunc tantum necessita-te consequentiæ necessarium fuit, Christum pati: Sed ta-

, „men totum fuit contingens, „simpliciter, & antecedens, & „consequens. Unde credendum „est, quòd ille homo passus est „propter justitiam; vidit enim „mala Judæorum, quæ fecerant, „& quomodo inordinata affec-tione, & distorta afficieban-tur ad legem suam, nec per-mittebant homines curari in „Sabbato, & tamen extrahe-bant ovem, vel bovem de pu-teo in Sabbato, & multa alia. „Christus igitur volens eos ab „errore illo revocare per opera, „& sermones, maluit mori, „quàm tacere, quia tunc erat „veritas dicenda Judæis, & „ideò pro justitia mortus est: „tamen de facto sui gratia pas-sionem suam ordinavit, & „obtulit Patri pro nobis, & „ideò multum tenemur ei. Ex „quo enim aliter potuisset ho-mo redimi, & tamen ex sua „libera voluntate sic redemit, „multum ei tenemur, & am-„plius quàm si sic necessario, „& non aliter potuissimus fu-is-se redempti: ideo ad allicien-dum nos ad amorem suum, „ut credo, hoc præcipue fecit; „& quia voluit hominem am-„plius teneri Deo; sicut si ali-quis genuisset primo hominem, „& postea instruxisset eum in „disciplina, & sanctitate, am-„plius obligaretur ei, quàm si „tantum genuisset eum, & alias

, instruxisset : & hæc est con-  
gruitas , non necessitas . Hu-  
cusque Doctor : videatur ergo  
quomodo nunquam ponit ali-  
quam præfinitionem , ex qua  
necessario , & infallibiliter se-  
quatur execratio , & malitia Ju-  
dæorum . Expræsat enim justi-  
tiam , & veritatem , ex quarum  
præfinitione neutiquam teneba-  
tur Deus ad permittenda Judæo-  
rum peccata .

16 Arg. 4. quæm plurimis  
authoritatibus , tam Sacrae Scrip-  
turæ , quæm Sanctorum PP. quæ  
videntur sonare Deum aliquan-  
do permittere peccata , ut hu-  
milientur peccatores , aliquan-  
do in pœnam peccati præceden-  
tis ; & aliquando , ut ex illis  
multo maiora bona efficiat ; &  
Apostolus 1. ad Corinth. *Quod oportet heres esse , ut qui probati sunt , manifesti fiant :* at-  
qui illa particula *ut* , causalita-  
tem finalem denotat g. ex fine  
à Deo præfinito tenetur permit-  
tere peccatum , tanquam me-  
diūm præsum ad consecutio-  
nem talis finis . Denique , iuxta  
à nobis dicenda , Deus præfini-  
gloriam ante merita prævisa ,  
sed ut acquirenda per merita:  
atqui plerumque merita elec-  
torum fiant interventu peccato-  
rum , ut patet in martyrio : g.  
*ex præfinitione gloria tenetur*  
Deus permittere peccata malo-  
ram . Sed respondetar , quod

etiam constat , ex quam plurimis  
aliis authoritatibus , tam Sacrae  
Scripturæ , quam SS. PP. quod  
Deus non facit peccatum , nec  
peccatores ; sed peccato , &  
peccatoribus benè utitur ; nam  
sicut homo ex prava sua volun-  
tate ex bonis facit mala ; è con-  
tra Deus omni potenti sua boni-  
tate ex malis facit bona ; undé  
peccatum iam permisum ex alio  
fine non necessario connexo cum  
illo , & prævisum futurum à  
prava nostra voluntate , illud  
ordinat Deus ad humilitatem , &  
ad alia bona memorata : & ple-  
rumque id , quod ordinatur ad  
aliud , dicitur fieri ex fine  
illius iuxta phrasim loquendi  
Sacrae Scripturæ , & SS. PP.  
Quando autem dicitur , Deum  
permittere unum peccatum in  
pœnam alterius , non intelligi-  
tur , quod Deus velit , aut præ-  
finiat tale peccatum , nec quod  
propriè sit unum peccatum pœ-  
na alterius ; nam ut benè Subt.  
nostr. Doctor in 2. d. 36. q.  
unica ex D. Aug. 1. retract. c.  
25. & 26. *Omnis pœna iusta est :*  
*Omne justum à D o est :* g. *Om- nis pœna à Deo est.* Nulla autem  
culpa à Deo est : g. nulla culpa  
est pœna peccati . Intelligitur g.  
quod sit pœna impropriè , & so-  
lum ratione adjuncta , ut est  
carentia , & substractio auxilii  
efficacis , quod Deus sèpè de-  
negat propter peccata præceden-

tia , & auxilio negato , aut substracto , cadit voluntas in secundum peccatum.

17 Ad ultimum respondet. verum esse , Deum præfinitre ad gloriam ut coronam ante prævisionem meritorum ; & ex hac præfinitione tenetur Deus ad positionem meritorum , sed non in hac , vel illa materia determinata , v. g. in materia pœnitentiae , aut martyrii , quæ necessario connectuntur cum peccatis , quoad usque prævideantur talia peccata. Sed de hoc in tractatu sequenti. Pro facilitiori solutione istarum , & aliarum difficultatum præ oculis est habendum cum nostro Mstr. ex D. Chrysost. homil. 1. in Epist. ad Ephes. & D. Damascen. lib. 2. de fide cap. 29. quod divina voluntas , seu voluntio divina , prout terminatur ad nostras liberas operationenes , dividitur in antecedentem , & consequentem ; seu in primariam , & secundariam : voluntas antecedens , seu primaria ex Damasco est , quam Deus habet a se

ipso , & ex proprio motivo , scilicet , quantum est ex sua liberalitate , & misericordia. Voluntas autem consequens , seu secundaria est , quam habet , sumpto motivo ex nobis , idest , secundum quod exigunt nostra merita , vel demerita ; voluntate antecedenti neminem vult punire ; voluntate vero consequenti , idest , præviso peccato , vult punire ; & ideo secundum Damascenum , id , quod Deus vult voluntate antecedenti , aprobatur ab ipso ; quod autem vult voluntate consequenti , non approbatur , sed pure permittitur ; non obstante præfinitione concomitanti , & simultaneo cursu. Dicit ergo Div. Damascen. ad propositum permissionem peccati , præfinitionem illius , & concursum ad illum , ac per consequens bona , quæ ex illo sequuntur , seu occasionantur , non esse de voluntate Dei primaria , antecedenti , seu aprobationis ; sed de voluntate Dei secundaria , consequente , permitente.



## TRACTATUS II.


## DISPUTAT. I.

## DE PRÆDESTINATIONE SANCTORUM.

**S**ciscitante, ac interpellente Deo Sanctum Job super discussione cuiusdam difficultatis, ita perfractus est sapientissimus ille vir, ut nil respondendum invenerit: „Ponam, ( inquit cap. 39. ) manum meam super os meum. Nec mirum; nam requirebat ab eo Deus: „in qua via lux habbitaret, & tenebrarum quis esset, set locus? O bonè Deus! Quid si quæreret, in qua via lux Prædestinationis habitaret, & quis tenebrarum Reprobationis locus esset? Seu quibus de Causis Deus ab æterno alios in Cœlo evehendos destinet, & alios in baratum detrudendos disponat? Responderet utique: ponam manum meam super os meum; nam ut Paulus 1. ad Corinth. 2. ait: „Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei; & Sapiens cap. 9. inquit: *Sensem autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & misericordias Spiritum Sanctum tuum de altissimis.* Unde humiliter in timore, & tremore cum Ezechiele, cap. 47. vers. 5. prof-

tendum est: *Intumescunt aquæ profundi torrentis, qui non possunt transvadari.* Et cum Apostolo ad Rom. 11. *Quæm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles vie ejus!* *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit?* Ideò Sacrae Script. & Conciliorum definitionibus, ac SS. Patrum authoritatibus potius intendamus, quam rationibus humano discursu fabricatis, mores sententia D. August. Serm. 20. de Verb. Apost. cap. 7. *Quæris tu rationem, ego expavescam altitudinem, &c. Tu ratiocinare, ego minor. Tu disputa, ego credam. Altitudinem video, ad profundum non pervenio, &c.* *Tale est velle inferutabilia, & investigabilia investigare; quale est velle invisibilia videre, & ineffabilia fari.*

Sit ergo



QUÆST. I.  
IN QUA ALIQUÆ DIFFICULTATES BREVIITER EXPENDUNTUR.

**S**upponendum est, quod nomen *Prædestinationis*, apud Santos Patres, & Scholasticos duplici potissimum significatione usurpatur. Primaliter, pro quavis, scilicet, ordinatione divina, & prout se extendit ad omnia, quæ Deus ab externo statuit, seu præfinivit: cum enim destinare sit constitutere, prædestinare est antecedenter constitutere, seu præfinire: in quo sensu etiam impij dicuntur prædestinati ad pœnam. Et D. August. tract. 68. in Joann. *hoc enim sensu*, inquit: *Deus fecit futura, ea prædestinando.* Et cap. 10. de *Prædestinatione Sanctorum. Prædestinatione sua Deus ea præscivit, que fuerat ipse facturus.* Secundo sumitur strictius, pro solo decreto efficaci, & absoluto dandi gloriam. In hoc sensu sumimus illam hic, & sic describitur à D. Aug. de *Bono perseverantia*, cap. 14. *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quiunque liberantur.* Doctor Angelic. quæst. 23. art. 1. *Ratio transmissionis creature rationa-*

*lis in vitam æternam.* Et alibi: *Est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro.* Doctor Seraphicus in 1. d. 40. art. 1. quæst. 2. *Est præordinatio alicujus ad gloriam prius paliter, & ad alia in ordine ad gloriam.* Doctor Subtil. in 1. d. 40. quæst. 1. §. *Ad istam questionem. Prædestination propriè sumpta dicit actum voluntatis Divinæ, videlicet ordinem electionis per voluntatem divinam alicujus creature intellectualis, vel rationalis ad gratiam, & gloriam.* Quæ omnes definitiones, seu potius expositiones conciliari, seu exponi possunt secundum sententiam cuiuscumque, de constitutivo divinæ providentiae, an scilicet sit per actum intellectus, aut voluntatis.

**2** Supponend. est etiam, dari in Deo hanc prædestinationem. Ita docet Fides in pluribus Sacra Script. locis, ut ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit.* Actor. 13. *Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam.* Ad Ephes. 1. *Prædestinavit nos in adoptionem Filiorum per Jesum Christum.* In quo: sumus prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue. Matth. 24. *Propterea electos breviabuntur dies illi.* Et alibi plures.

ries. Unde asserebat D. Prosper: *Prædestinationis fides multa Sanctorum Scripturarum auctoritate munita.* Ratio etiam suadet, quia Deus nihil in tempore facit, quod ab aeterno non decreverit: *Atqui de Fide est, aliquos salvari, alios damnari:* erg. ab aeterno Deus aliquos prædestinavit, & alios reprobavit. His ergo suppositis, aliquas quæstiunculas breviter percurremus.

3 Quæres igitur primo: An prædestinationis actus intellectus, vel voluntatis? Respond. esse actum solius voluntatis. Sic omnes Scotistæ, cum Subt. Doctore, ubi sup. citato. Constat etiam ex dictis tractatu antecedenti de divina providentia. Confirmatur ex D. Paullo ad Ephes. 1. *Prædestinati sumus secundum Consilium voluntatis suæ:* erg. prædestinationis actus voluntatis. Præterea, si prædestinationis consisteret in actu intellectus, vel talis actus intellectus esset imperatus à voluntate, vel ante illius imperium? Si ante imperium voluntatis: erg. prædestinationis actus esset necessaria, & non omnino contingens, nec ex pura liberalitate, & misericordia Dei: quia quod est ante dominium, & ante imperium voluntatis est necessarium, immo, & naturale; & certum est, quoniam Deo sicut liberum

prædestinare, & non prædestinare; & hunc præ alio eligere: Unde Aug. de *Prædestinatione Sanctorum*, cap. 15. vocat prædestinationem, opus maximum gratiæ, & libertatis. Si est imperatus à voluntate, otiose ponitur actus intellectus pro constitutivo prædestinationis; nam si voluntas divina efficaciter vult Petrum ordinare ad gloriam, & ita ordinat illum, intelligitur prædestinatus, quin imperet aliquem actum intellectus: g. melius ponitur prædestinationis in solo actu voluntatis.

4 Verum tamen est, quod ad omnem actum voluntatis semper præsupponitur actus intellectus; quia nihil volitum quin præcognitum: Unde dicebat August. de *Prædestinatione Sanctorum*, cap. 10. *Præstatio sine præscientia esse non potest;* potest autem sine prædestinatione esse præscientia. Notetur, quod præscientia nequit esse sine se ipso; & potest esse sine prædestinatione: erg. prædestinationis actus non consistit in præscientia. Unde dixit Apostol. ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit.* Id est, prius præscivit, & postea prædestinavit; præscivit per intellectum, & prædestinavit per voluntatem. Cum autem nequeat dari prædestinationis actus, quin antecedat præscientia, ideo dicitur, quod prædestinationis

tio, si non formaliter, saltem præsuppositivè est præscientia.

5. Quares 2. in quo actu divinæ voluntatis, præcipue, & primario consistat prædestinationis divina? Ratio dubitandi est; quia in progressu prædestinationis, tam in ordine intentivo, quam in ordine executivo, nostro modo concipiendi cum fundamento in re, tres præcipui actus reperiuntur. In ordine intentionis primus actus est actus voluntatis, quo præfinit gloriam prædestinatis, seu quo elegit prædestinatos ad gloriam. Secundus actus est intellectus, qui est judicium de medijs congruis, & efficacibus ad consecutionem gloriae intentæ. Tertius actus est voluntatis, quo Deus acceptat, & decernit dare hæc media, quæ per judicium apparebant efficacia, & congruentia; & in hoc actu completetur prædestinationis secundum ordinem intentionis. Nunc subsequitur prædestinationis secundum ordinem executionis, quæ etiam continet tres actus præcipuos: primus est voluntatis, quo decernit dare in executione media, seu auxilia, congrua, & efficacia, quibus prædestinatus cum effectu benè, & meritorie operetur. Secundus est intellectus, quo videt opera meritoria prædestinati ex his auxilijs, ipsius liberi arbitrij concursu, & simultanea

cooperatione Dei futura. Tertius est voluntatis, quo propter merita prædestinati, ut futura prævisa, decernit in executione dari prædestinato illam gloriam, ad quam secundum ordinem intentionis erat electus, & præordinatus. Cum ergo in progressu prædestinationis tot actus divinæ voluntatis considerentur, non immerito queritur, in quantum illorum præcipue, & primario consistat Divina prædestinationis.

6. Communiòr, & verior sententia utriusque Scholæ est, actum illum voluntatis, quo ordine intentionis efficaciter voluit Deus eligere prædestinatos ad gloriam, esse primum, & præcipuum, in quo prædestinationis consistit. Ratio est, quia prædictus actus non solum est, per quem primo prædestinati distinguntur a non prædestinatis; sed etiam est quasi principium, & radix, a qua ceteri actus, tam intellectus, quam voluntatis, qui ad consistentiam, & completam seriem prædestinationis requiruntur, originantur. Ex quo inferatur, quod prædestinationis duplicitate potest sumi. 1. inadæquatè, scilicet, pro prædicto primo, & principali actu divinæ voluntatis: 2. adæquatè, nempè tam pro prædicto actu, quam pro alijs spectantibus ad gratiam, & meri-

ta. Hoc etiam fundatur in illo  
**D. Pauli ad Ephes. 1.**, „Prædes-  
„tinavit nos in adoptionem  
„filiorum Dei : Ecce ordo ad  
gratiam ; Et ad Rom. 8. „Ut  
„ostenderet divitias gloriæ suæ  
„in vasa misericordiæ, quæ præ-  
„destinavit in gloriam : Ecce or-  
do ad Beatitudinem, seu ad vi-  
tam æternam : g. prædestination  
adæquatæ accepta dicit ordinem  
ad gratiam , & gloriam : Sed  
primariò , & principaliter ad  
gloriam , & secundario , & mi-  
nus principaliter ad gloriam , &  
ad alia quæ sunt ad gloriam ; ut  
inquit Subt. Doct. in 3. d. 7.  
q. 3. §. respondeo : Cum præ-  
destinatio sit præordinatio ali-  
cujus ad gloriam principaliter,  
& ad alia in ordine ad gloriam.  
Infertur etiam, prædestinationem  
in prima acceptance non esse  
providentiam : quia ut Tract.  
præcedenti diximus ; providen-  
tia non est de fine , sed de me-  
dijs ; in secunda verò acceptance  
proprié , & strictè est provi-  
dentialia ; vel ut ibi diximus præ-  
destinatio non est in ordine in-  
tentivo proprié , & strictè pro-  
videntia ; bené verò est propria  
species Divine providentiae in  
ordine executivo ; quia sic sumpta  
, ex D. Aug. „Est præpa-  
„ratio beneficiorum Dei , qui-  
„bus certissimè liberantur , qui-  
„cumque liberantur. Et etiam  
erit si gloria non inspiciatur , ut

finis mediorum suorum , sed ut  
medium alterius finis.

7 Quæres 3. An prædestina-  
tio æterna sit simpliciter necessa-  
ria , ut salvetur homo ? Resp.  
affirmative. Sic communiter DD.  
Primo , quia alias posset Deus  
velle aliquid de novo in tem-  
pore , quod non voluerit ab  
æterno. Secundo , quia implicat,  
aliquem salvati , quin Deus ve-  
lit conferre media , quibus re  
ipsa salvetur , immò , & quin  
Deus cognoscat infallibilitè , me-  
dia esse talia , quod infallibiliter  
inferant salvationem : atqui im-  
plicat conferre media , ut talia,  
sine intentione finis : erg. impli-  
cat , quod aliquis consequatur  
gloriam , quin hæc sit præfinita,  
intenta , seu prædestinata ab æter-  
no. Tertio , quia nihil potest  
dari actu in tempore , quod ab  
æterno non fuerit futurum : ergo  
nequit dari gloria alicujus in  
tempore , quæ non fuerit futu-  
ra ab æterno. Atqui nihil est fu-  
turum , nisi per Divinam voli-  
tionem , quæ quidem volitio in  
præsenti est præfinitio , intentio  
seu prædestinatio : erg. gloria,  
quæ in tempore datur , est præ-  
destinata ab æterno ; ac per con-  
sequens prædestinatio æterna est  
necessaria , ut salvetur homo.

8 Quæres 4. An prædestina-  
tio sit certa , & infallibilis ? Resp.  
affirmative. Est de Fide ; nam  
Joann. 6. „Omne , quod dat

„ mihi Pater , ad me veniet : & est sermo de his , quæ dantur Christo à Patre speciali donatione , qualis est prædestination . Et cap. 10. „ Oves meæ „ vocem meam audiunt , & ego „ vitam æternam do eis , & non „ peribunt in eternum , & ne „ mo rapiet eas de manu mea . Et ad Rom. 8. „ Quos prædesti „ navit , vocavit , justificavit , & „ glorificavit . Quæ connexio verborum indicat infallibilitatem ; & utendo præterito pro futuro , prædestinavit , glorificavit , &c. denotat certitudinem prædestinationis , quæ tanta est ( inquit Beda , Anselm. & alij ) ut quæ futura sunt , censentur jam facta . Et ad Rom. 11. Sine pœnitentia sunt dona Dei . Id est , immutabilia . Et 1. Joannis 2. Ex erunt de nobis , sed non erant ex nobis ; nam si ex nobis fuissent , permanissent utique . Et plura alia .

9 Similiter ex PP. idem docet August. lib. de Correptione , & Gratia , cap. 7. dicens : Quorum prædestinationis si quisquam periret , fallitur Deus ; sed nulus periret , quia non fallitur Deus . Si quisquam periret , vitio humano vincitur Deus ; sed nullo vitio vincitur Deus : erg. prædestination est infallibilis . Idem docet Subtilis. noster Doct. & alij Scholastici cum Magistro in 1. d. 40.

Suadetur : prædestinationis est elec<sup>tio</sup> efficax ad gloriam , tam ex parte actus , quam ex parte obiecti : erg. infallibiliter habebit effectum ; alias non distingueretur volitio efficax ab inefficaci . Deinde , si prædestination non esset infallibilis , neciret Deus qui , & quot salvandi sunt ; ac proinde Deus non esset omnisciens : erg. est infallibilis .

10 Dices: Div. Petrus Epist. 2. cap. 1. inquit : Satagite , Fratres , ut per bona opera certam vestram vocationem , & electionem faciatis : erg. prædestination , seu electio ad gloriam non est ex se certa , & infallibilis ; sed ita sit nostra industria , operibusque nostris . Deinde , quamplures sunt Sacrae Scripturæ loca , in quibus promittit Deus suam amicitiam , & beatitudinem ; immo , & mutare sententiam , si peccatores resipiscant : erg. prædestination æterna non est certa , & infallibilis ; alias Deus non mutaret sententiam . Ultius : si esset prædestination omnino certa , & infallibilis , otiosè curarent homines de sua æterna salute ; nam qui prædestinati sunt , quomodocumque operentur , salvabuntur ; & qui non sunt prædestinati , non salvabuntur , quomodocumque operentur : erg. quantum ad salvacionem : otiosa est cura de bonis operibus , & innutiles exhortationes .

nes ad illa. Sic obijcunt Hæretici.

ii Pro solutione istorum jam plura diximus supra , disputatione de Divina voluntate , & de immutabilitate Dei , & etiam dicemus infra. Nunc autem breviter , ad textum D. Petri , & ad alia Scripturæ loca, in quibus sit mentio de his , dicimus , peccatores misericorditer , congruè , & oportuniè exhortari ad poenitentiam , ut sententia conditionata , quam habet Deus de facto erga peccatores , transeat in præteritum per contritionem , & gratiam ; quia homo dum est peccator , odio habetur à Deo , & dum est justus , à Deo amatur ; nam Petrus , v. g. nunc peccator , & postea iustus , est quasi alius , & alius homo , ac proinde aliud objectum amoris , & aliud objectum odij. Vel loquitur D. Petrus de quadam certitudine morali , non quoad Deum , ( hoc esset nefas sacrilegum , inquit Mastr. ) sed quoad nos , id est , quām possumus habere , sicut habent , qui semper bene operantur ; nam de fide est , eum , qui bene operatus fuerit usque in finem , fore salvandum , & non alium. *Et que seminavit homo , haec & metet , Galat. 16.* Ad Hæreticos , negamus assumptum , & retorquemus argumentum in se ipsis ,

dùm seminant ad colligendos fructus ; & dùm adhibent remedia ad fugandam infirmitatem : Etenim , vel datur præfinitio efficax ad fructus , & saltem , vel non datur ? Si datur ; eti nihil operentur , omnia evenient ; si autem non datur , non evenient , quemodocumque operentur : g. otiosa est cura de his , & otiosæ sunt exhortationes ad feminandum , & medicandum.

## QUÆSTIO II.

Utr. ANTE PRÆDESTINATIONEM fuerit præfinita existentia naturalis prædestinatarum?

I C irca hanc questionem valde divisi sunt Scotisti ; sed ut clarius procedamus , supponendum est ex nostro Subt. Mag. in 3. d. 32. q. unic. §. tertium patet ; Et cum communis sententia exceptis Okan , & Gabriele , distingui cum fundamento in re aliqua signa rationis prioris , & posterioris , quæ partim concipiuntur in actibus Divinis , & partim in objectis , seu terminis talium actuum . In actibus unus alio concipitur prior , quando in creaturis unus ex sua natura realiter præcedit alium ; qua propter in Deo prius concipimus actum intentivum , quām electivum ; quia in

creatibus actus intentivus ad actum electivum realiter præsupponitur, & est causa illius. In objectis unum concipitur alio prius, quando unum re ipsa est causa alterius; sive hoc illi ex natura rei competit, aut ex intentione Divina ordinante unum, ut finis alterius. Igitur, quando ex rebus creatis, quodam ut finis intenditur, & quodam ut medium, prius intelligimus, voluntatem Divinam terminari ad objectum se habens ut finem, quam ad objectum se habens ut medium; non diversis actibus, (inquit Scotus) sed tantum uno, in quantum illo diversimodo tendit super objecta.

2 Suppon. est 2. quod cum objectum unicè motivum voluntatis divinæ sit tantum divina essentia, & nequeat esse aliquid creatum; ideo quando dicimus, quod Deus vult aliquid creatum tanquam finis, non intelligitur, quod sit finis ipsius Dei, sed finis effectus Dei. *Sola autem essentia divina* (ait Doct.) *poteſt esse prima ratio agendi, tam intellectui divino, quam voluntati; quia si aliquid aliud poſſet esse prima ratio agendi, vilesceret illa potentia.* Et prosequitur docendo, omnia Deum æqualiter velle, spectata ratione volendi motiva per modum finis primarij, qualis est divina essentia; non vero æqualiter omnia

velle, expectata ratione terminativa actus volendi; quia sic ex parte objectorum magis vult Deus ex creatis entibus, quod habet rationem finis, quam quod habet rationem medijs. Unde concludit: *Patet itaque inæqualitas voluntarium, quantum ad ipsa voluntaria precise, non ut volitio est actus ipsius voluntatis, sed ut transit super objecta ipsa secundaria.* Et in 3. d. 49. q. 8. ad 4. ait: *Deum velle aliquid propter finem creatum, non tanquam finem ipsius Dei, sed tanquam finem ipsius effectus Dei:* quod valde est notandum ad cognoscendum ordinem prioris, & posterioris inter divina decreta, in quibus nulla est prioritas, & posterioritas, nisi quæ est in objectis eam terminantibus.

### §. III.

**H**IS ergo suppositis, Subtilis. nosf. Doct. in 3. d. 19. q. unic. 6. in ista quæſitione distinguit in Deo quinque significationes, dicens: Primo enim Deus intellexit se sub ratione summi boni. In 2. signo intellexit omnes alias creature. In 3. prædestinavit hos ad gloriam, & gratiam, & circa alios habuit actum negativum non prædestinando. In 4. prævidit illos casu-ros in Adam. In 5. præordinavit, sive prævidit de remedio, &c. In eodem tercio, dist. 32. q. unic.

§. tex-

3. tertium patet, vers. ex hoc patet, inquit : „ Cum igitur „ Deus rationabilissimè velit, „ licet non diversis actibus, sed „ tantum uno, in quantum illo „ diversimodè tendit super ob- „ jecta ordinatè; primò vult fi- „ nem, & in hoc est actus suus „ perfectus, & voluntas ejus „ beata. Secundò vult illa, quæ immediate ordinantur in ipsum, prædestinando scilicet electos, qui immediate attingunt ipsum, & hoc quasi reflectendo, volendo alios diligere idem objectum secum .... & hoc est prædestinare eos, si velit eis hoc bonum finaliter. Tertiò, vult illa, quæ sunt necessaria, ad attingendum hunc finem, scilicet bona gratia. Quartò, vult propter illos alia, quæ sunt remotiora, puta hunc mundum sensibilem, ut serviat eis, ut sic verum sit illum

2. physicorum : Homo quo-  
dammodo est finis omnium  
sensibilium, scilicet, quia prop-  
ter ipsum volitam à Deo, qua-  
si in 2. signo naturæ, sunt om-  
nia sensibilia volita quasi in 4.  
signo. Hucusque Doct.

4. Ex quibus sequitur, quod iste ordo signorum non est ita præfixus, ut nequeat in plus mi-  
nusve dissecari signis, & aliter coordinari; nam diversimodè illa coordinat ipse Subt. Doct. in duabus citatis locis, semper tamen in sensu concordia exis-

tente ; quippe intentum hujs coordinationis est manifestare, quid prius vult Deus, seu de- cernit, & quid posterius. Unde dum modo hoc intentum Subri- lis Doctoris servemus, possumus prout nobis vitum fuerit, for- mare seriem, aut categoriam sig- norum ; quod & fecerunt, & faciunt omnes ejus discipuli. Nunc autem est magna dissensio inter illos ; an quando Doct. ait, Deum intellexisse in 2. signo omnes creaturas, hoc fuerit scientia visionis, vel simplicis intelligentiæ? Si enim fuit scien- tia visionis, cum hæc supponat decretum, seu præfinitionem, se- quitur, quod ante prædestinationem fuit præfinita, & decreta existentia electorum. Castillo tractatu de Incarnat. Smiling. de Deo uno, & communiter Re- cemptiores Scotistæ asserunt, apud Sendin tract. de Incarnat. controv. prima, sect. 8. num. 4. illam scientiam esse scientiam vi- sionis; Ipse Sendin, & quamplu- rimi alij pro viribus oppositum defendant.

5 Conclusio nostra, existen-  
tia naturalis prædestinationum fuit præfinita ante illorum præ- destinationem. Prob. 1. ex Subr. Doctore in 1. d. 41. q. unica g. potest aliter dici, ubi inquit; quod in 1. instanti Petrus, & Indas aquales in naturalibus vo- liti à Deo in esse existentia, ofte- rea-

runtur voluntati divinae in existentia naturali, & tunc Deus vult gloriam Petro. Ex quo sic formatur ratio probativa nostræ conclusionis: Ante quam Petrus ordinaretur ad gloriam, seu prædestinaretur, jam erat volitus à Deo in esse existentia: ergo ante ejus prædestinationem erat præfinita illius existentia: Ergo ante ejus prædestinationem prævidebat scientia visionis. Patet hæc conseq. quia volitus in esse existentia, & in existentia naturali offerebatur, seu proponebatur per intellectum diuinum diuinæ voluntati, ut ipsa tunc prædestinaret, seu ordinaret illum ad gloriam: g. ante prædestinationem Petri fuit præfinita, & prævisa scientia visionis illius naturalis existentia; & idem est de existentia aliorum prædestinatorum.

6 Probat. 2. ex eodem Subt. Doct. qui in 1. d. 1. q. 5. §. Ex his ad oppositum, vers. Respondeo, docet, quod amor amicitiae præcedit amorem concupiscentiae, tanquam radix illius. Et in 2. dist. 6. q. 2. vers. contra primum inquit, quod datur duplex velle, quod potest normaliter amicitiae, & concupiscentiae: & dicitur vel e amicitiae esse istius objecti, cui volo bonum; & velle concupiscentiae esse istius objecti, quod volo alicui alij amato. Et versic. sequenti: Patet ordo, quia

concupiscentia presupponit illud velle amicitiae. Nunc sic: gloria amatur amore concupiscentiae, & prædestinatus amore amicitiae: g. amor, seu velle prædestinati præcedit amorem, seu velle, quo amatur gloria prædestinato. Vel aliter sic: prædestinatus est finis cui, & gloria est finis cuius: Sed finis cui amatur amore amicitiae, & finis cuius amatur amore concupiscentiae: ergo hic amor præsupponit illud velle amicitiae. Confirm. infirmus est finis cui; Medicus, & medicina ordinant sanitatem, quæ est finis cuius: atqui infirmus non est effectus Medici, nec medicina, & præsupponitur ad ordinationem sanitatis: erg. finis cui non est effectus ordinantis, nec ordinationis finis cuius, sed ad illa præsupponitur. Ergo similiter dicendum videtur de homine prædestinato; nempe, quod non est effectus Dei, prout prædestinantis, neque ipsius prædestinationis.

7 Ulterius: quod est effectus prædestinationis in ordine intentivo, est effectus gubernationis supernaturalis in ordine executivo: atqui gubernatio supernaturalis Dei non habet pro effectu finem cui, sed supponit illum, ut præsentem, & existentem in tempore: erg. nec prædestinationis habet pro effectu finem cui, sed supponit illum in aeternitate, ut

jam futurum , & intentum. Hoc aperte docetur à D. Thoma apud nostrum Theodorum Smifing. tract. 3. disp. 6. de Provid. Dic. q. 2. nñm. 33. inquit ergo Angelicus præceptor : *Praedestinare nibil aliud est, quam ante in corde disponere, quid sit de re aliqua faciendum: potest autem aliquis de futura re; seu operatione disponere uno modo quantum ad ipsam rei constitutionem, sicut artifex disponit facere domum; alio modo, quantum ad usum, vel gubernationem rei; & ad hanc secundam prædispositionem pertinet prædestination; non ad primam.* Ergo creatio , & futuratio subjecti prædestinati non est effectus prædestinationis; sed potius ad illa supponitur. Denique Deus ad extra operatur juxta connaturaliorem proportionem, & exigentiam rerum ; sed connaturalior proportio rerum petit, quod prius sit volitus finis cui, quam finis cuius : ergo, &c.

8 Arg. contra; Divina providentia est causa omnium rerum, exceptis malis culpæ , ut supra diximus : erg. etiam est causa finis cui. Præterea: omne donum Dei sive naturale , sive supernaturale , quod electis efficaciter conducit ad consecutionem vitæ æternæ , est prædestinationis effectus: atqui constat, naturam electorum efficaciter conducere ad prædictum finem, cum

eos oporteat per naturam , cum gratia auxilio suam salutem operari , nec ipsa natura in opera salutis influat minus, sed magis potius quam bona iudeoles , vel complexio , bonum ingenium, bona artes , scientiae naturales, & ceteræ naturæ dotes (quod omne est effectus prædestinationis , ut postea videbitur ) cum in ipso homine substantia sit in ordine naturæ primarium principium vitalium operationum: erg. &c.

9 Confirm. quia eodem actu, quæ electus præfinitur ut beatus sit , etiam præfinitur ut sit; quia ipsum esse est volutum propter talem finem efficaciter intentum: ergo ejusdem actus, quo præfinitur homo , ut beatus sit, est effectus , quo homo sit. Denique negari nequit nativitatem unius hominis posse esse effectum prædestinationis alterius hominis , v. g. nativitatem Virginis esse effectum prædestinationis Christi : quid ergo vetat , nativitatem hominis esse effectum prædestinationis ejusdem hominis? Reliqua videant. tractat. precedenti.

10 Respondet. ad 1. concessio antecedenti , & dist. consequens: providentia Dei est causa finis cui , providentia universalis , qua Deus providet universo, vel providentia particularis, qua alteri creature providetur, con-

providentia particularis , qua Deus ipsi fini *cui* providet , neg. Etenim verum est , quod omne ens creatum est effectus alicujus providentiae ; adeoque nullum est ita purus terminus , & purus finis , quin etiam sit effectus , & medium ; ex quo sequitur , solum Deum esse ita finem intentum à providentia , ut sit intentus per modum puri termini , seu purissimi objecti ; & non per modum effectus , aut medijs. Alio modo distinguit . etiam consequens ; providentia est causa finis *cui* formaliter , seu quatenus est finis *cui* respectu providentiae ad ipsum terminatæ , neg. quatenus est finis *cuius* , vel medium in alia providentia ipsum dirigente in finem ulteriorem , conc. Sic ergo patet , quomodo Divina providentia sit causa omnium rerum ; & quod finis *cui* semper præsupponatur ad particularem providentiam circa ipsum.

11 Ad secundum resp. dist. antec. omne donum Dei , quod conductit ad consecrationem vitæ æternæ , est prædestinationis effectus , si conductit , & deserbit tanquam medium , conc. si conductit tanquam subjectum , seu tanquam finis *cui* , neg. quia , ut dictum est , providentia nequit habere pro effectu subjectum *cui* providetur ; sed tantum media ad consecrationem finis *cuius*. Quod etiam patet quando quis

amico providet de æquo ad æquitandum , ipse amicus non est talis providentiae effectus , licet concurrat ad equitationem , ascendendo equum , illumque impellendo. Idem patet in Medico providente infirmo sanitatem , & media ad illam conducentia. An autem , & quomodo dona naturalia relata sint effectus prædestinationis? Dicemus infra. Sed semper præoculis est habendum illud Scoti , quod Petrus , & Judas æquales in naturalibus , & in esse existentiae voliti à Deo , offruntur ante illorum prædestinationem , aut reprobationem.

12 Ad confirmat. resp. neg. antec. quod haud facile probiturs ( loquimur de identitate , & diversitate divini actus , non entitativé , sed terminativé , aut secundum prius , & posterius in notabilibus explicatum . ) Etenim jam supra diximus , quod in progressu prædestinationis actus divinæ voluntatis primò terminatur ad præfiniendam gloriam prædestinati , ad quam præfinitionem semper debet præsupponi præfinitio ipsius prædestinati. Ad ultimum respondetur admittendo pro nunc antec. & neg. conseq. disparitas est , quod unius hominis nativitas fortalsé poterit esse medium in prædestinatione alterius ; atque ita poterit esse effectus prædestinationis illius ; nativitas vero ipsiusmet prædestinati , nunquam

quam potest esse medium ad consequendam suam salutem ; sed solum concurrit tanquam finis cui , seu tanquam subjectum , quod semper presupponitur , tam ordine executivo , quam intuitivo respectivè . An autem de facto nativitas Virginis sit effectus prædestinationis Christi ; & an etiam unius hominis nativitas sit effectus prædestinationis alterius ? ex infra dicendis patet . Pro quibus :

13 Dubitabis 1. an Deus prædestinaverit in eodem naturæ signo omnes quotquot prædestinati sunt ? Resp. 1. quod Christus , ejusque immaculata Mater prædestinati fuerunt pro priori ad prædestinationem omnium aliorum . Prob. hæc resolutio 1. ex Subt. Doctore : ordinatè volens prius vult finem , quam ea quæ sunt ad finem , quia propter finem vult entia ad illum , & prius vult , quod est fini propinquius , quam quod est remotius : Sed Deus est ordinatissime volens : erg. ita vult . Subsumo , atqui finis opérum Dei ad extra est summa sui ipsius communicatio , & isto fini propinquior est præfinitio existentia humanitatis Christi , ejusque immaculatae Matris , atque prædestinationis illorum : erg. primo voluit Deus prædefinitionem , & prædestinationem Christi , & Beatis . Virginis , quam præ-

nitionem , & prædestinationem aliarum creaturarum .

14 Vel aliter sic formatur ratio ; ordinatè volens prius vult finem , quam ea , quæ sunt ad finem : sed prædestinationis Christi , & Matris ejus est finis prædestinationis aliarum creaturarum : erg. pro priori ad prædestinationem aliarum creaturarum fuit præfinita prædestinationis Christi , ejusque immaculatae Matris . Major cum conseq. tenet . Prob. min. Tum , quia quod est propinquius fini confuevit dici finis ( inquit Scotus ) illorum , quæ remotiora sunt fini : sed prædestinationis Christi , ejusque immaculatae Matris est propinquior fini : erg. est finis aliarum prædestinationum . Tum etiam , ex illo Eccles. 24. Ego ex ore altissimi prodigi primogenita ante omnem creaturam . Quem textum communiter PP. cum Ecclesia interpretantur de Christo , atque de ejus immaculata Matre . Et Prov. 8. Dominus posedit me in initio viarum suarum , ubi septuaginta legunt , Dominus posedit me initium viarum suarum . Quæ verba etiam intelliguntur , tam de Sapientia incarnata , quam de B. V. Maria : erg. tam existentia uriusque , quam utriusque prædestinationis fuit præfinita ante existentiam , & prædestinationem aliarum creaturarum .

Yy Prob.

15. Prob. 2. resolutio ex eodem Subt. Doct. in reportatis in 3. d. 7. q. 4. ubi asserit, quod adhuc fuisset Christus prædestinatus, etiam si Deus nullam creaturam condere decrevisset: erg. prædestinatione Christi fuit prior, & absoluta ab omni respectu ad prædestinationem creaturarum. Atqui post prædestinationem Christi immedia-tissimè in secundo loco ejusdem signi, & clasis fuit prædestinatio Immaculatæ Virginis Mariæ, & ante omnem aliam creaturam; quia fuit prædestinata ad summam gloriam, & ad summam gratiam puræ creature: erg. prædestinatione utriusque fuit pro priori ad prædestinationem omnium aliarum. Unde Sanctus Bernardinus serm. 51. inquit de B. Virg. *Tu ante omnes creaturas in mente Dei prædestinata fuisti, ut ipsum Deum, & hominem procreares.* Denique, hoc cedit in laudem, & excellentiā Regis, & Reginæ omnium prædestinatōrum: erg. illis tribuendum est.

16. Respond. 2. ad dubium, satis probabile esse, quod adhuc inter alios prædestinatos post Christum, & Immaculatam ejus Mater, datur aliquis ordo prioris, & posterioris secundum majorem, vel minorem gradum gloriæ, ad quem sunt prædestinati. Probat. ex maxima Scoti: *Ordinatè volens prius vult finem,* quām ea, quæ sunt ad finem, & inter hæc prius vult, quæ sunt fini proximiora, & propinquiora: sed magis approximantur fini, qui sunt prædestinati ad maiorem gloriam, quām qui ad minorem: erg. saltem probabiliter defendi potest, quod adhuc inter prædestinatos post Christum, & ejus Matrem, datur ordo prioris, & posterioris in ipsa prædestinatione.

17. Dices; hoc esse contra Subt. Doct. citat. ubi ait, quod in 3. signo elegit Deus omnes prædestinatos: erg. non est ordo prioris, & posterioris inter illos. Respond. neg. conseq. nam tale signum est divisibile in alia signa, ut patet; Tūm, quia in eodem signo, ait Subt. Doct. prædestinatos esse ad gloriam, & gratiam; & tamen prius sunt prædestinati ad gloriam, utpote finis, quām ad gratiam, quæ est medium. Deinde juxta subtilem Doct. & omnes Scotistas, prædestinatione Christi fuit prius, quām prædestinatione aliorum: atqui si prædicta verba Scotti sumerentur, ut sonant, nulla esset prioritas in Christo respectu aliorum: erg. non sic sumi debent. Urgebis; unus prædestinatus non est finis respectu alterius: erg. non est, cur inter illos constituamus prioritatem, & posterioritatem. Respond. neg. conseq. nam sufficit, quod unus sit perfectior alio, & proximior fini,

ut prius eligatur. Vcl si mavis, dicam cum Subt. Doct. quod est propinquius fini consuevit dici finis illorum, quæ remotiona sunt fini.

18 Prima autem responsio optimæ est. Etenim si ut aliquis prædestinatus esset prius volitus alio, fuisset necessarium, quod se haberent inter se tanquam finis, & medium, hoc idem diceretur de Christo, & de ejus Immaculata Matre: atqui est omnino falsum, Christum non fuisse prius volitum, suam atque Matrem, si non essent præfiniti, ut finis aliarum creaturarum: erg. ad prioritatem inter prædestinatos non requiritur, quod se habeant tanquam finis, & medium. Prob. min. Tum, nam ut tractatu de Incarnatione dicemus, prima præfinitio, seu primum decretum circa Christum non constituit illum finem creaturarum, nec in aliquo munere respectivo ad creaturas; quia ex Subt. Doct. citat. adhuc Christus prædestinatus esset, quanvis Deus nullam creaturam condere decrevisset. Tum etiam; quia licet piè posse defendi, Immaculatam Virginem Mariam, esse finem aliorum prædestinatorum; non tamen ita certum hoc est, sicut est certum apud prædictos Scotistas, quod prius fuit volita, & prædestinata, quam cœteri prædestinati, ob ejus sum-

mam gloriam puræ creatura possibilem: erg. non requiritur ratio finis. Tum denique; quia alias maxima Scotti, nempè, ordinate volens, prius vult quod est propinquius fini, in tantum teneret in quantum omne propinquius esset finis aliorum: sed vel hoc non requiritur, vel omne propinquius, eo præcise, quia propinquius est finis aliorum, & habemus intentum: erg. &c. Probatur min. ponamus, quod alicui intendenti affectionem unius finis, duo media offerantur, utilia ambo, & sufficientia, sed utilius unum; nonne quavis utilius non se habeat ut finis minus utilis, non eligit ordinatè volens, & prudenter intendens utilius prius, quam minus utile? erg. &c.

19 Replicabis; si datur ordo prioris, & posterioris inter prædestinationes SS. ex eo, quod beatitudo unius est propinquior fini, quam beatitudo alterius: ergo prius vult Deus, homines esse beatos, quam esse illorum; ac per consequens prius vult finem *qui*, vel *cujus*, quam finem *cui*, contra dicta in hac quæstione. Probat. prima conseq. nam homines propinquiores sunt fini ultimo per beatitudinem, quæ est finis *cuius*, quam per suam substantiam, quæ est finis *cui*. Respond. neg. conseq. disparitas est, quod beatitudo *Yy 2* *unius*,

unius , & alterius semper est forma , & medium, quo formaliter conjungitur homo fini ultimo; sed substantia hominis non est medium , sed ipsum subjectum, quod conjungitur. Unde per substantiam conjungitur tanquam per subjectum , per beatitudinem vero tanquam per formam: jam autem ordinatè volens formam, non prius eam vult, quam velit subjectum.

20 Dubitabis 2. An prædestination hominum præfinita fuerit post prævisum Angelorum lapsus , & ad reparandam illorum ruinam ? Respond. negativè. Probatur 1. ex D. Anselm. lib. *Cur Deus homo* , cap. 18. ubi ait : *Homines futuros fuisse beatos, etiam si Angeli non peccassent; quia alias esset hominibus gaudendum, quod Angeli peccaverint;* Et addit *nullam esse in Cælo animam, quæ sibi persuadeat sine peccato alterius, non fuisse gloria fruituram.* Hanc eandem rationem reddit Subtil. nost. Doct. in 3. d. 7. quæst. 3. §. Sed hic sunt , vers. *Sine præjudicio,* ubi ait , quod prædestination cuiuscumque ad gloriam præcedit præscientiam peccati, & damnationis cuiuscumque. Et vers. *Sequenti, inquit:,, Potest igitur dici, quod prius natura, quam aliquid prævidebat, tur circa peccatorem, sive de peccato, sive de poena, Deus*

*,, prælegit ad illam curiam Cœ, „ lestem omnes quos voluit ha- „ bere Angelos , & homines in- „ certis , & determinatis gradib- „ bus : & nullus est prædestina- „ tus tantum , quia alius prævi- „ sus est casurus , ut sic nullum „ oporteat gaudere de lapsu al- „ terius : erg. prædestination ho- minum , non est præfinita post Angelorum lapsum.*

21 Confirmat. 1. quia gloria est maximum , & ultimum bonum creaturæ intellectualis, & Deo propinquius , & proximus : erg. prius vult Deus gloriam omnium prædestinatarum, tam Angelorum , quam hominum , quam velit quamcumque permissionem peccati. Confirmat. 2. prædestination Angelorum , & hominum fuit præfinita in eodem signo naturæ , in certis , & determinatis gradibus, ut insinuavit Subtil. Doctor. supra; & solum cum ordine prioris , & posterioris secundum majorem, vel minorem gradum gloriæ: atqui prædestination Angelorum electorum fuit præfinita ante lapsus Angelorum reproborum: erg. & prædestination hominum. Minor patet ; nam prius voluit Deus illis gratiam , quam voluerit occasionem merendi , & prius hanc voluit in omnibus, quam voluerit cooperari ad peccatum Luciferi : atqui ante gratiam , & merita voluit gloriam: erg.

erg. prædestinatio, tam Angelorum, quam hominum non fuit præfinita post Angelorum lapsum, nec ad reparandam illorum ruinam.

22 Dices, juxta Div. Bernardum Serm. 1. de Adventu: *Ruinæ Angelorum per homines restauratæ sunt.* Idem habent alij Sancti PP. & est communis

DD. plausus: g. prædestinatio hominum fuit præfinita post Angelorum lapsum. Respondetur neg. conseq. nam sensus Sanct. Patrum, & Doctorum est, quod de facto, & in executione restauratæ sunt ruinæ Angelorum per homines prædestinatos; nam postquam Deus decrevit gloriam hominum, voluit permittere peccata Angelorum, & voluit cooperari, vel non cooperari, juxta qualitatem peccatorum commissionis, vel omissionis, ut supra cum Subt. Doct. diximus; & tunc certò sciens, vacuas relinquendas esse multas Angelorum sedes, ordinavit, quod per homines, quos jam prædestinaverat implerentur; & sic fuerunt restauratæ illorum ruinæ.

23 Dubitabis ultimo; an prædestinatio hominum, & Angelorum fuerit præfinita ante præfinitionem, seu futuritionem existentiæ reproborum? Respond. affirmativè. Probat. ex Subtil. Doct. ubi sup. quia prædestina-

tio Angelorum, & hominum fuit præfinita ante prævisionem cuiuscumque peccati, etiam originalis: atq[ue] existentiæ naturalis reproborum fuit præfinita post prævisionem peccati: erg. ante præfinitionem existentiæ reproborum fuit præfinita prædestinatio Angelorum, & hominum. Major cum conseq. tenet. Probat. min. etiam ex Subt. Doct. in 2. d. 20. quæst. 2. per totam, ubi ait, §. Dico: quod soli nunc electi fuissent in statu innocentie nati. Citat etiam D. Gregorium 4. moralium in fine, ubi ait: Si Parentem primum nulla peccati rubigo corrupisset, nunquam ex se filios gehenne generaret; sed illi, qui nunc per Redemptorem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur. Idem docet D. August. & alij PP. ergo existentiæ reproborum fuit præfinita post prævisionem peccati. Patet h[ec] conseq. omnes illi, quorum existentiæ non fuit præfinita post prævisionem peccati, nascerentur in statu innocentie, & quanvis peccatum non esset: sed reprobri non nascerentur, si non esset peccatum: erg. illorum existentiæ fuit præfinita post prævisionem peccati; ac per consequens prædestinatio Angelorum, & hominum fuit præfinita ante præfinitionem existentiæ reproborum.

24 Arg. contra: Existentiæ re-

reproborum fuit præfinita in eodem signo, quo præfinita fuit existentia electorum: sed existentia electorum fuit præfinita ante prædestinationem: erg. & existentia reproborum; ac per consequens prædestinatio non fuit præfinita ante præfinitionem existentia reproborum. Minor cum conseq. tenet. Prob. maj. ex Subtil. Doct. Tum, quia in i. d. 41. quæst. unic. §. Petest aliter dici, ubi inquit, quod Petrus, & Judas æquales in naturalibus, & æqualiter voliti à Deo in esse existentia offeruntur voluntati divinæ, &c. erg. pro eodem signo erat præfinita, & volita existentia Judæ, ac existentia Petri; alias non essent æquales in esse existentia. Tum etiam, quia ex eodem Subtili Doct. in signo priori ad prædestinationem intellexit Deus omnes creaturas: erg. æqualiter intellexit reprobos ac prædestinatos. Atqui juxta superius dicta pro priori ad prædestinationem intellexit prædestinatos scientia visionis, quia jam præfinita erat illorum existentia: ergo similiter dicendum est de reprobis; ac per consequens prædestinatio electorum non fuit præfinita propriiori ad existentiam reproborum. Hoc argum. valdè torquentur aliqui Scotistæ, & maximè fatigantur in conciliatione istorum locorum Scotti cum probatione nostra resolutionis.

25 Respondetur tamen, cum nostro Doctis. Scdin. tract. 6. de Incarnat. controv. i. sect. 8. §. 3. num. 17. neg. maj. sumpta absolute, & non respective; ad cuius primam probat. negat. conseq. Etenim Subtilis Doct. in præfata authoritate non affirmit, quod pro eodem signo offeruntur voluntati divinæ Petrus, & Judas æquales in naturalibus, & in esse existentia: nec insuper affirmit, quod pro eodem signo facta fuerit electio Petri ad gloriam, & reprobatio negativa Judæ; nec tale intentum habebat Subtilissim. Mag. ut patet ex littera. Quærit enim, utrum sit aliquod meritum prædestinationis ex parte prædestinati? Et resolvendo partem negativam, inquit, quod pro illo instanti, pro quo offeruntur Petrus, & Judas æquales in naturalibus, & in esse existentia, hoc est, absque aliquo merito, aut demerito, habuit Deus actum positivum circa Petrum, ordinando illum ad gloriam, seu illum prædestinando; & circa Judam non habuit talum actum positivum; quia nec illum ordinavit ad gloriam, nec ad pœnam, & hanc non ordinationem ad gloriam vocat reprobationem negativam; quia circa Judam merè negat ivè se habuit. Unde ly pro illo instanti, vel ly in primo instanti, quo offeruntur Petrus, & Judas æquales

les in naturalibus , non debet usurpari quasi diceret , pro eodem instanti ; sed sumi debet proportione acommoda , id est ; in instanti , quo offerebatur Petrus divinæ voluntati in puris naturalibus , seu absque merito , vel demerito , ordinavit illum divina voluntas merè liberaliter , & gratiose ad gloriam ; & in instanti , quo similiter , & æqualiter in puris naturalibus , seu absque merito , aut demerito oblatus fuit Judas voluntati divinæ , merè negative fe habuit circa illum divina voluntas ; quia nec illum elegit ad gloriam , neque positi- vè reprobavit , quo usque vidit motivum ex parte Judæ , & aliorum reproborum , scilicet , impenitentiam finalem . Hæc est Scotica mens , & hoc erat intentum Scotti ; ad quod , ut patet , nihil facit , quod offerantur pro eodem , vel pro diverso instanti , sicut ad ostendendam liberalitatem gratiosam Regis circa unum ex duobus militibus sibi æqualiter propositis , hoc est , propositis absque aliquo merito , aut demerito , nihil facit , quod unus proponatur hodie , & cras aliud ; quia semper proponuntur æquales in naturalibus , hoc est , absque merito , aut demerito , ut per se patet .

. 26 Ad 2. probationem , respond . concessio antecedent . negand . conseq . & concessa min-

subsumpta negat . consequent . Etenim quando Subtiliss . noster Doct . inquit , quod in secundo signo intellexit Deus omnes creaturas , duplicitè potest intelligi ; primo , ut sit sensus , quod postquam Deus intellexit omnia ad intra , immediatè se terminavit ejus cognitio ad esse possibile omnium creaturarum ; & hoc verum est , quia antequam divina voluntas decrevisset existentiam alicujus creaturæ , omnes illas intellexit divinus intellectus , & proposuit , seu repræsentavit ipsi divinæ voluntati : sed non negat Scotus , quod ante prædestinationem fuissent futuræ , seu præfinitæ quoad existentiam , quæ prædestinata fuerunt ; quia , ut in notabilibus diximus , intentum Scotti , & aliorum in assignandis signis , solum fuit ostendere , quæ prius , quæ vè posterius fuerunt præfinita à divina voluntate : & nullus negat , maiorem , vel minorem coordinationem signorum fieri posse . Sensus ergo illius est , quod primo Deus intellexit omnes creaturas quoad esse possibile ; postea decrevit existentiam aliquarum , tam Angelicæ naturæ , quam humanae , & posito hoc decreto , intellexit illas scientia visionis ; & postea prædestinavit illas , seu præordinavit illas ad gloriam . Quo , ut patet , omnia prædicta sine contradictione componuntur .

Ali-

27 Alter, & forte melius, pot. st Subt. Doct. intelligi, dicens nempè: quod in 2. signo intellexit Deus omnes creatureas scientia visionis; quia in hoc signo videtur loqui de scientia, de qua etiam loquutus erat in 1. signo, dicens: in 1. signo Deus intellexit se sub ratione summi boni. Sed nunc est difficultas, quomodo intelligatur secundum signum? Non igitur debet intelligi pro unico, & eodem 2. signo pro omnibus creatureis: sed pro 2. signo distincto, & diverso, pro qualibet distincta, & diversa creatura; qui cuilibet in particulari correspondet suum secundum signum; & in secundo signo cuilibet correspondente, intellexit illam Deus scientia visionis. Unde, secundum signum prædestinationis fuit ante prædestinationem, & post illorum possibilitatem, & futuritionem; 2. verò signum reprobatorum fuit etiam post illorum possibilitatem, & futuritionem; sed ante reprobationem ipsorum, tamen negativam, quam positivam: cum autem futuratio reprobatorum ficerit post prædestinationem electorum, & post prævisionem peccati Adami; hinc est, quod 2. signum reprobatorum non est idem, ac signum 2. prædestinationis, sed æquivalent illi; nam sicut signum secundum prædestinationis est post illorum futuri-

tionem, & ante prædestinationem; ita signum 2. reprobatorum est post illorum futuritionem, & ante reprobationem. Sic ergo proponuntur, & offeruntur diuinæ voluntati ab intellectu diuino omnes creatureas, tamen prædestinandas, quam reprobandas; seu, ut proprius loquamur, tamen prædestinabiles, quam reprobabiles, sic, inquam, offeruntur omnes in secundo signo. Quod hæc variatio signorum sit ad mentem Scoti, aperte convincitur; nam hoc 2. signum, in quo intelliguntur creature, ut futurae, vocatur ab ipso *primum instanti*, ibi: dici potest, *quod in isto primo instanti nihil vult Iudee*: & similiter *quasi in secundo instanti naturæ quando vult Petro gratiam*, &c.

28 Ut plenius hoc intelligatur, & ut quælibet instantia præcludatur, advertere opus est, quod licet in Deo sit unica, & simplex intellectio, qua intelligit se, & omnes creatureas; siveque unica volitio, qua vult se, & creatureas omnes; tamen prædicta cognitio, & volitio non se terminant ad illas in communione, seu in confuso; cum hic intelligendi, & volendi modus sit imperfectus, ut poterit non attingens objectum; ut est à parte rei; quoniam à parte rei nullum datur ens confusum, commune, & abstractum à particularibus. Ter-

minatur ergo prædicta intellectionis & volitio ad quamlibet creaturam in particulari, particuli, & distincta terminatione; & circa quamlibet habet distinctum, & particularem ordinem, seu progressum providentia; tam naturalis, quam supernaturalis; unde etiam pro qualibet debent assignari particularia, & diversa signa suæ coordinationis.

## QUÆST. III.

Utr. PRÆDESTINATIO  
præfinita fuerit ante, vel post  
prævisa merita prædestina-  
torum.

**I** Hæc quæstio est potissima difficultas, quæ de prædestinatione controvèrtitur; estque una ex maximis totius Sacrae Theologiae. Quamque difusissimo calamo pertractant ferè omnes Theologi: sed post omnes subtilissimas speculationes fatentur uno ore, rem difficultem esse; nam Apostolus (inquit Subt. noster Doctor) videtur disputans de ista materia ad Romanos in fine, quasi totum imperscrutabile relinquere: ò altitudo (inquiens) divitiarum sapientia, & scientia Dei! & quis novit sensum Domini; aut quis consiliarius ejus fuit? Ideò nè scrutando, de profundis eatur in profundum, sicut jerunt multi

(ut ait Mag. sentent.) qui querentes reddere rationem de isto profundo, atque secundum conjecturas cordis sui inscrutabilen altitudinem judiciorum Dei cogitare conantes, in fabulas vanitatis abjerunt: & versi sunt in profundum: eligatur, quæ magis placet; dum tamen salvetur libertas divina sine aliqua iniustitia, & alia quæ salvanda sunt circa Deum, ut liberaliter eligentem. Hucusque Doctor. Cujus monitum, & vestigia sequentes, breviter ab hac per difficilima quæstione per duas sequentes sectiones nos expediemus.

## SECTIO PRIMA.

IN QUA ALIQUA NOTABILIA PROPONUNTUR.

**2** NOtandum igitur est primo, extra omnem controversiam esse apud Catholicos, prædestinationem in ordine executivo à meritis pendere; maximè cum prædestinatione est adulorum, quibus æterna beatitudo confertur, non solum titulo hereditatis (qualiter confertur parvulis baptismi aquarénatis, ratione, & intuitu gratiæ ex meritis Christi ibi collatae, in qua fundatur titulus filiationis adoptivæ, & juris ad vitam æternam) sed etiam titulo præmij, Coronæ, & mercedis. Unde difficultas præsens procedit

dit solum de præfinitione, intentione, seu volitione efficaci, quam Deus habuit ab æterno prædestinandi electos, & per quam illos à reprobis secernit. Quæritur ego, an sicut in executione non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit, ut constat ex fide, hoc est, non accipiet de facto gloriam, ut coronam, quin prius habeat merita; ità in intentione, & ab æterno supponuntur prævisa merita, & ab illis moveatur Deus ad præfiniendam, seu intendendam efficaciter prædestinationem, & ad hos, & non alios eligendos? An verò econtra, Deus ità incipiat decernere prædestinatum à non prædestinato per præfinitionem, seu electionem purè gratuitam ad gloriam, ex sola sua liberalitate, & bonitate procedentem; ex qua præfinitione efficaci moveatur etiam Deus ad dandam gratiam efficacem, & finalem, & reliqua media, quibus infallibiliter prædestinatus consequatur præfinitam gloriam?

3 Notandum est 2. quod ad præfatam efficacem, & absolu-tam præfinitionem ad gloriam, non sufficiunt merita conditionata, seu subconditione prævisa; quia cum merita, in statu condicionato actu non sint, nec absolute, nequeunt absolute actu movere ad absolutam præfinitio-nem. Unde D. August. contra

Pelagianos, & Semi-Pelagianos, inquit; quod nullus præmio, vel poena afficitur propter merita, vel demerita, solum futura ex hypothesi, seu ex suppositione. Et Subtilissim. nost. Doct. in 1.d. 41.q.unic. §. Iste igitur, v. Sed hoc ipse, contra Henricum ait: „Quia „propter bonum usum prævi- „sum alicujus, si supervixis- „set, non acceptatur, vel dam- „natur, tunc adultus moriens „in gratia non præmiaretur se- „cundum merita, quæ jam ha- „bet, sed secundum illa, quæ „prævideretur habiturus si su- „pervixisset. Similiter si loqua- „mur de Angelis prædestinatis, „quem usum liberi arbitrij præ- „videt Deus in isto si offeratur „gratia quem non prævidet in „illo, propter quem prædestinat „istum, & illum reprobatur.

4 Præterea, ista ratio, quam ponit non videtur communis om-nibus prædestinatis, & reprobis; quia non parvulis, in quibus non prævidet Deus usum bonum, vel malum liberi arbitrij: ergo, si non prævidet bonum, aut ma-lum usum liberi arbitrij, quod quidem futurum erat sub condi-tione, quod supervixissent; me-rita, vel demerita sub conditione prævisa ad prædestinationem non sufficiunt. Insuper error fuit Masiliensem, parvulos prædes-tinatos, vel reprobatos esse ex bonis, aut malis operibus, quæ fe-

fecissent, ex hypothesi, quod vivissent. Immo etiam in reprobis pravidet Deus scientia media merita conditionata, quæ habuerint in hoc, vel illo rerum ordine constituti: sed propter talia merita conditionata non sunt prædestinati: ergo talia merita non sufficiunt ad prædestinationem. Et hanc esse communem opinionem adhuc inter Authores scientiæ mediæ, inquit noster Mastrius.

5 Notand. est 3. quod si prædestination sumatur pro præfinitione ad primam gratiam, omnes Catholici defendere debent esse ante prævisa merita, & omnino gratuitam; quia cum gratia sit principium meriti, & hoc nequeat cadere sub merito, ideo ad prædestinationem in hoc sensu nulla possunt præcedere merita. Deinde, quia cum gratia non supponat nisi opera naturalis ordinis à solo libero arbitrio elicita, & hæc nequeant esse merita, quia hic fuit error Pelagij, propugnantis posse hominem solis naturæ viribus vitam æternam promereri; ideo DD. omnes Catholici modò convenienter, quod prædestination ad primam gratiam non est ex prævisis meritis. Præterquamquod hæc veritas est definita, tunc in Conc. Arausit. can. 6. tunc etiam, in Trid. sess. 6. can. 3. per hæc verba: „Si quis dixerit, sine

„præveniente Spiritu Sancti ins. „piratione, posse hominem cre- „dere, sperare, diligere, au- „p̄, penitente, sicut oportet, ut ei „justificationis gratia confera- „tur; anathema sit. Eadem ve- „ritatem confirmat Aug. pluribus in locis, & præsertim de gestis Pelagij, cap. 14. Ubi loquens cum D. Paulo, prius persecuto- re; posterius defensore Ecclesiæ, ait: „Sancte Paule Apostole fa- „ciens tantum mali, unde me- „ruisti tantum boni? Audiant eum respondentem omnes gen- tes: Gratia Dei sunt, id quod sum: ergo absque gratia nullum potest esse meritum; & conse- quenter cum ad primam gratiam alia non supponatur, prædesti- nationis ad gratiam ex meritis ne- quit esse. Sed de hoc fusè in tractatu de Gratia:

6 Notand. est 4. cum nost. Doctiss. Mastr. quod sententia de prædestinatione post prævisa merita, non tam fundatur in authoritatibus Sacrae Script. & SS. PP. (hæc enim, aliquibus etiam contrarijs fatentibus, clariiores sunt pro sententia de prædestinatione ante prævisa merita) quam in arguento quodam morali, & vulgari, quod valde apud plebem solent illius sen- tentiæ fautores exaggerare, scilicet, quod sententia de prædes- tinatione ante prævisa merita in- ducit homines in desperationem,

& tollit sollicititudinem bonorum operum, & salutis; quia si sum prædestinatus ante prævisionem mei meriti, Deus non potest non dare salutem, quacumque incūria, & negligentia ex parte mea supposita; si verò sum reprobus, quanvis diligentissimè laborem ut salver, sum denique infallibiliter moriturus in peccato, & damnandus: atqui doctrina, quæ homines ducit in desperationem non est approbanda; vel etiam si vera sit, non est propallanda: erg. ad zélum animarum, & conscientias turbatas tranquillandas, docenda est sententia de prædestinatione post prævisa merita. Sed ut bene advertit Mastr. cum Smising., Arriag. Fasol. & alijs; hoc argum. & similia, quæ adeò exaggerantur contra electionem sine meritis ad gloriam, & quæ militant contra electionem sine meritis ad gratiam, ut scrutanti patebit; & hoc argumento commoti Masilienses ( inquit Hilar. & Prosper. ) in eam hæresim inciderunt, quod prima gratia datur, aut negatur ex naturæ meritis, vel de meritis.

7 Quod autem hoc fundamentum sit prouersus labile, & quæ militet contra utramque prædestinationem ad gloriam, & gratiam, utpote ambas æqualiter factas sine merito præcedente, docet D. August. de Bono

persev. c. 15. his verbis: „ Nunquid ergo propter hujusmodi causas, ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda? mini me.... ista ita nos à confitenda Dei gratia, id est, quæ non secundum merita nostra datur, & à confitenda secundum eam prædestinatione SS. detergere non debent; sicut non determinatur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, ut dicat, sive nunc rectè vivatis, sive non, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni, si bonos, vel mali, si malos; nunquid enim si hoc audito, nonnulli intor porem, segnitemque vertantur, propter ea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est? Ecce quomodo ex præscientia Dei infallibili potest efformari idem argumentum; nam Deus ab æterno fecit, me esse, vel non esse salvandum? Si 1. salvabor, quidquid egero, cum non possit Deus falli. Si 2. propter eandem rationem damnabor, etiam si sancte vixero. Atqui hoc argum. stultum, & nullum est: g. & primum. Abstinendum tamen est a præfatis loquutionibus inter ignoratos, & rudos; ne aliquis in errorem, & desperationem incidat. Sapientes autem magis

secutè ponunt suam salutem, suamque sortem in manibus Dei, quām in manibus suis; quia non in se ipsis, sed in Deo spem suam habent. His suppositis sit:

## SECTIO SECUNDA.

*IN QUA, QUID NOBIS  
tenendum sit, breviter re-  
solvitur.*

8 **C**onclusio 1. Omissis varijs sententijis; gloria prædestinatorum est absolute, & efficaciter præfinita ante absolutam prævisionem meritorum. Sic communior, & verior sententia Theolog. quam tenet Subt. Doct. in 1. d. 41. Pro hac conclusione possunt adduci plura testimonia Script. Sufficiat nobis illud Luç 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et illud ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti in conspectu ejus in charitate, qui præstinavit nos in adoptione filiorum per Jesum-Chr̄istum secundum propositum voluntatis suæ: ergo antecedit merita.* Videantur hæc, & alia testimonia apud RR. Prob. 1. ratione Scotti, cœl. berrima, qua omnes Theologi utuntur, quæ formatur sic: Elegio efficax medijs efficaciter conducentis ad finem

præsupponit absolutam intentiōnem finis: sed gratia, & meritum sunt media efficacia ad gloriam: erg. supponunt absolutum propositum miserendi, & salvandi. Patet conseq. nam ordinatè volens priùs vult finem, quām media. Nec valet dicere, quod hæc ratio est vera in medio physico, non in moralis; ut resp. Vazq. nam medium sive sit physicum, sive morale non eligitur, nisi ex intentione finis; nam electio mediorum quorumcumque supponit intentiōnem finis necessario, sicut assensus conclusionis supponit assensum principiorum.

9 Prob. 2. Si non daretur efficax propositum dandi gloriam ante prævisa merita, non daretur voluntas discernens prædestinatum à reprobo: erg. &c. Prob. anteced. quia discretio in medijs supponit discretionem circa finem: erg. si non supponitur absolutum propositum dandi finem, non possunt præparari media efficacia infallibiliter connexa cum fine, quibus discernatur prædestinatus à reprobo. Prob. conseq. quia circa media sola gratia finalis perseverantia est propria prædestinati, cum in omnibus alijs possit convenire cum reprobo: sed gratia finalis perseverantia non præparatur à Deo, nisi ex proposito absoluto finem dandi: g. &c.

Con-

to Concl. 2. Gloria etiam in ratione præmij, coronæ, & mercedis est prædefinita ante formalem prævisionem, & electionem meritorum d. creto effici, & absoluto. Sic verior, & communior sententia. Prob. ratione Scoti : Ordinatè volens prius vult finem, quā media: sed meritum non quomodocumque est medium, sed est medium ad consequendam gloriam formaliter in ratione præmij, & coronæ: erg. ordine intentionis in genere causæ finalis electio meritorum procedit ex intentione absoluta præmiandi, & coronandi per gloriam. Probat. conseq. quia intentio, & electio debent uniformari: erg. electio meritorum supponit intentionem gloriæ, ut coronæ formaliter, quia meritum sub ratione meriti in electione respicit gloriam, ut finem: sed non respicit gloriam, nisi ut coronam, & præmium: erg. supponit absolutam intentionem illius in ratione coronæ.

11 Concl. 3. Gloria præficitur in certo, & determinato gradu, quod de facto datur ante prævisionem meritorum. Sic verior sententia. Prob. ratione Scot. sicut ordinatè volens prius vult finem, quā media, sic prius vult certum finem in particulari, quā eligat certum, & determinatum medium: g. elec-

tio tanti meriti supponit intentionem tantæ, vel tantæ gloriæ conferendæ per meritum. Patet conseq. quia mensuratum supponit suam mensuram cui uniformatur: erg. electio meritorum in determinato gradu ad consequendam gloriam supponit intentionem ipsius gloriæ in certo, & determinato gradu, quia electio mediorum mensuratur per intentionem finis.

12 Arg. 1. contra 1. conclusionem ex pluribus locis Scripturæ, in quibus videtur meritum esse causam prædestinationis, ut est illud Matth. *Venite benedicti Patris me, &c.* ubi ponitur pro causa coronæ meritum; *esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* 2. ex PP. nam Ambros. ad Rom. habet hæc verba: *Nemo damnatur ante quam peccet, nemo coronatur ante quam vincat.* Et Epist. 130. *Non salvat homines irrationaliter, sed causis præcedentibus.* Alias authoritates Augustini, & aliorum Patrum vide apud Recentiores. Respondetur; quod semper quod Scriptura, & PP. ponunt meritum, ut causam prædestinationis, & motivum dandi gloriam, ut coronam, loquuntur de gloria, & prædestinatione ordine executionis; non vero ordine intentionis.

13 Arg. 2. Per plura inconvenientia ; nam in primis in nostra sententia sequitur homines ad pigritiam , & desperationem invitari ; poterat enim quis inter se sic theologizare : vel sum efficaciter ad gloriam prædefinitus anteverrente meritum , vel non ? Si primum , infallibiliter adipiscar salutem : g. dormiamus. Si 2. infallibiliter illam non consequar ; ad quid ergo benè operabor ? Comedamus ergo , & bibamus , & potiamur voluptatibus hujus mundi , siquidem à delitijs alterius sumus exclusi. Sequitur 2. quod quomodocumque operemur , si vē benè , sive malè , si sumus efficaciter electi , consequimur gloriam , & sic promissiones sunt fallaces , nam promissiones sunt de gloria bene operantibus , & prædestinatio gloria est ante omne meritum. Sequitur 3. hominem non electum , illo decreto efficaci , non posse salvari ; & consequenter illi ad culpam non imputari , salutem non sequi , quod est absurdum. Prob. quia electio illa est requisita , ut homo possit salvari , & consequatur salutem : sed illam non habet , qui efficaciter non est electus ad gloriam : erg. &c. Resp. hæc argumenta posse restringeri contra arguentes , & concedentes decretum efficax finalis perseverantiae ante omne

meritum , ut sectione antecedenti diximus. Resp. 2. prædicta inconvenientia non sequi ex nostra sententia. Ad primum negamus sequellam , ad cujus probationem dico , discursum illum non posse rationabiliter fieri ; quia primum propositum absolutum dandi gloriam , licet sit gratuitum ex parte actus , quia non oritur ex supposito merito ; tamen est onerosum materialiter , & terminativè ; nam Deus non vult dare gloriam ut cumque , sed ut coronam , & præmium meritorum , & sic necessarium est meritum , ut gloria consequatur ex vi decreti. Unde , sicut non rationabiliter posset agricola argumentare , vel fructus futuri sunt determinati à Deo , vel non ? Si 1. ergo non seminemus : hic enim modus arguendi irrationalis eset ; quia non aliter fructus sunt decreti à Deo , nisi ut acquirendi per labores ; sic in præsenti. Qua instantia convincit Scot. quandam Calvinistam , ut fertur , qui prefatum argumentum conficiebat. Ad 2. respondetur neg. sequellam ; quia gloria non est intenta , nisi ut acquirenda per merita , ex qua intentione absoluta infertur quidem , quod prædestinatus habebit meritum perseverantiae infallibiliter ; non tamen infertur , quod sine illo salvabitur. Ad 3. resp. neg. sequell.

quell. nam licet electio efficax sit necessaria, ut homo consequatur salutem de facto, non tamen ut possit salvare, quia ex vi voluntatis antecedentis per media sufficientia potest homo bene vivere, & salvare. Sed de hoc iterum postea.

14 Arg. 1. contra 2. conclus. Gloria, ut corona essentia-  
liter connectitur cum meritis, &  
est effectus meritorum; sed effec-  
tus necessario supponit suam  
causam: erg. gloria, ut corona  
non potest prædefiniri ante præ-  
visum meritum. Confirm. im-  
plicat intelligi coronam, &  
mercedem, sine pretio: erg. im-  
plicat intendi efficaciter glo-  
riam, ut coronam, sine meritis.  
Resp. dist. maj. gloria, ut coro-  
na connectitur cum meritis, &  
est effectus illorum ordine execu-  
tionis, conc. Ordine intentionis,  
neg. maj. Diverso enim  
modo connectitur gloria, ut coro-  
na cum merito ordine intentionis,  
& ordine executionis;  
nam ordine intentionis in genere  
causæ finalis, gloria est prior  
merito, utpote causa meriti in  
esse intento, & econtra ordine  
executionis in genere causæ effi-  
cientis moralis est effectus me-  
ritorum, & posterior illis. Ad  
confirm. respond. dist. antec.  
implicat intelligi gloriam, ut  
coronam sine pretio, ita, ut  
preium, & meritum sit causa

intentionis coronæ, neg. quia  
minus intentio coronæ est virtua-  
lis volitio meritorum, conced.  
Itaque, certissimum est, quod  
intentio gloriae, ut coronæ, vir-  
tualiter involvit merita, sed ta-  
men dicimus, illam intentionem  
esse gratiosam; quia meri-  
tum non est motivum formale  
talis intentionis, licet ex parte  
rei volite intelligatur inclusum  
virtualiter.

15 Arg. 2. Pœna, ut pœna  
est effectus demeritorum, sicut  
gloria, ut corona, est effectus  
meritorum: sed prædefinitio po-  
næ supponit demeritam, ut oc-  
casione, & motivum: g. præ-  
definitio præmij, ut coronæ sup-  
ponit meritum. Conf. Christus,  
ut Redemptor, & pœnitentia  
non possunt prædefiniri, nisi  
præviso peccato, ut occasione  
sed non minus connectitur glo-  
ria in ratione coronæ cum me-  
rito, quam pœnitentia cum pec-  
cato: erg. &c. Resp. neg. par-  
itatem; nam pœna, pœnitentia,  
& alia bona occasionata ex pec-  
cato non sunt bona simpliciter,  
sed bona secundum quid, & ex  
suppositione peccati, & ideo  
necessariò supponunt peccatum,  
ut motivum decreti prædefiniens:  
gloria autem est bonum sim-  
pliciter, & ideo primum pro-  
positum absolutum gloriae nul-  
lam potest habere occasionem,  
aut motivum, nisi divinam bo-

nitatem , & misericordiam , licet  
ordine executionis occasionetur  
ex merito . Similiter respond . ad  
confirmationem .

16 Arg . contra 3 . conclus .  
merita in determinato gradu ,  
quod de facto datur , in pluribus  
prædestinatis supponit peccatum ,  
ut patet in merito pœnitentia , &  
alijs : ergo intentio gloriæ , ut co-  
ronæ , non attingit media in deter-  
minato gradu . Resp . cum Suarez ,  
argumentum optimè probare in-  
tentionem gloriæ , ut coronæ , non  
attingere merita determinata  
materialiter , seu in particulari  
materia exercenda , sed determi-  
nata formaliter , secundum gra-  
dualem intensionem , quod ad-  
mittimus libenter ; nam intentio  
gloriæ , ut decem , per modum co-  
ronæ , solùm connotat merita , ut  
decem ; quod verò prædicta me-  
rita , ut decem , fiant in hac , vel  
illa materia supponente , vel non  
supponente peccatum ex vi in-  
tentionis gloriæ , ut coronæ , non  
determinatur , sed prescindit .

17 Dubitabis , quomodo co-  
hæreat prædestination antecedens  
cum libertate creata ? Præci-  
puum fundamentum Scotistarum  
ad negandam prædestinationem  
ante prævisa merita , & illam sta-  
tuendam post merita prævisa , est ;  
quia existimant , decretum præ-  
destinativum antecedens usum  
voluntatis creatæ , lacerare jura li-  
bertatis illius , quod suo videri ,

Tom.I.

sic efficaciter probant ; quia in  
sensu composito illius decreti ,  
implicat , quod prædestinatus  
non consequatur vitam æternam ,  
alias posset frustrari decretum  
prædestinativum , & creatura es-  
set potentior ad reiciendam glo-  
riam , quam Deus ad conferen-  
dam : ergo tale decretum ante-  
cedens tollit libertatem creatam  
circa consecrationem gloriæ . Pa-  
tet hæc conseq . nam voluntas  
non est libera respectu illius , ad  
quod ponendum , vel non penen-  
dum non habet potestatem : sed  
decretum prædestinativum , cum  
sit antecedens , & independens à  
voluntate creata , non est in po-  
testate illius , quod ponatur , vel  
non ponatur ; nec insuper habet  
potestatem ad jungendum pec-  
catum finale cum prædestinatio-  
ne : ergo tale decretum prædes-  
tinativum antecedens , & in con-  
sulta voluntate creata , est des-  
tructivum libertatis illius . Et  
certe , qui præfinitiones intenti-  
vas antecedentes non admic-  
tunt , non parum consequenter  
hic procedunt ; quia ut supra di-  
ximus , prædestination ante prævisa  
merita , est saltem virtualiter præ-  
finitio antecedens meritorum .

18 Nos autem , qui præfini-  
tiones intentivas antecedentes  
admissimus , consequenter , &  
absque ulla difficultate ex ibi dic-  
tis probamus , decretum prædes-  
tinativum antecedens minimè

Aaa

la-

lædere libertatem, sic : Decretum prædestinativum, vel tolle-ret libertatem per se immediatè, vel per media necessaria ad illius executionem, vel per qualitatem aliquam impressam voluntati antequam agat ? Certè non potest cogitari aliis modus lædendi libertatem: atqui nullo ex his modis læditur per decretum prædestinativum : ergo, &c. Prob. min. non quidem per ipsum decretum immediatè. Tùm, quia tale decretum est quid mèrè extrinsecum humanæ voluntati, & ipsam realiter non afficit; ac per consequens nequit ipsam realiter, & intrinsicè determinare, seu necessitare ad unam partem. Tùm etiam ; quia decretum prædestinativum nullam aliam habet connexionem cum actu voluntatis, nisi quam habent ipsa media, seu auxilia, quibus ponitur in executione, seu adipisci-tur finis prædestinatus : Sed media, seu auxilia non habent connexionem læsivam libertatis: erg. &c. Ex quo etiam manet probatum, quod neque per media lædit decretum prædestinativum nostram libertatem. Nec denique illam lædit per qualitatem intrinsicam ex illo ortam, tanquam radius à Sole, ut inquit Thomistæ; quia nos talem qualitatem preenitus abijcimus.

19 Confirmatur ; decretum prædestinativum est decretum ef-

ficax determinans voluntatem divinam ad ponenda illa media, cum quibus infallibilitè mandetur executioni finis intentus per tale decretum, scilicet, asse-quatio gloriæ : erg. in tantum decretum prædestinativum connectitur cum ipsa assequitione gloriæ, in quantum est determinatio ad ponenda auxilia, medijs quibus, voluntas creata mereatur assecutionem gloriæ : erg. tale decretum nullam aliam connexionem habet cum operatione nostræ voluntatis, nisi illam, quam habet medijs auxilijs : erg. si media immediatè connexa cum operatione, non nocent libertatem ad talem operationem, nec nocere poterit, quod solùm mediètè connectitur cum illa. Quod verò auxilia non opponantur libertati est propositio de fide, ut dicemus tractatu de gratia.

20 Confirmat. 2. si decretum prædestinativum noceret libertatem hominis, vel noceret ab æterno, vel in tempore ? Non ab æterno, quia cum tunc non existat homo, nihil potest in ipso poni, ratione cuius libertas ipsius lædatur. Non etiam in tempore ; quia non prius natura determinat voluntatem creatam, quam ipsa se se determinat ad operationem meritioriam ; ita ut determinatio causa primæ, & secundæ sit omnino simultanea, immò una, & eadem sit actio in-

divisibilis Dei, & creaturæ, ut in Phisica diximus. Urgetur si: si Deus ab æterno non possuisset decretum prædestinativum Petri, nec aliquid voluisset circa actiones Petri, sed præcisè concurredet in tempore cum illo ad omnes suoseffectus, libertati Petri non noceret; quia dico causa liberæ simili se se determinando ad eundem effectum, non se invicem necessitant: sed æternitas prædestinationis non plus facit ad positionem operationum Petri, ac si non esset; quia ex vi illius solum Deus concurrit ad tales operaciones per auxilia moraliter determinantia, & per simultaneum concursu: ergo, &c. Unde posita prædestinatione hominis ad gloriam ante prævisa merita, homo non aliter movetur ad promerendam illius assecuracionem, ac si illa non esset; quia ex vi illius nihil prorsus in se recipit nisi auxilia; neque Deus ex vi illius prius concurrit ad actus meritorios, quibus promeretur assequitio gloriae, ac si decretum illud prædestinativum non esset antecedens, neque æternum, sed tantum temporale, & concomitans: ergo nullatenus laeditur libertas per tale decretum prædestinativum.

21. Confirm. ultimo; in tantum potentia libera libere causat consensum, in quantum ita elicit illum, ut simil habeat potentiam proximam ad dissensum: sed posito decreto prædestinativo

antecedente adhuc manet voluntas creata cum potentia proxima ad dissensum: ergo, positio decreti prædestinavi antecedentis non nocet libertati. Prob. min. in tantum potentia est proxime potens ad actum, in quantum est cum omnibus requisitis essentialibus ad illum: sed adhuc posito decreto prædestinativo antecedente, est voluntas cum omnibus requisitis essentialibus ad dissensum: erg. &c. Prob. min. posito decreto prædestinativo antecedente, solum ponuntur in voluntate auxilia efficacia, quæ illum impellunt infallibiliter, & moraliter ad consensum: sed positis auxiliis efficacibus, adhuc est voluntas cum omnibus requisitis essentialibus ad utrumque; quia auxiliis positis, potest dissentire si velit, juxta Coac. Trident. ergo, &c.

22. Quod autem decretum prædestinativum antecedens prævisionem meritorum, sit infrustrabile, & infallibile patet ex dictis supra in hac disputatione, & disputatione de præfinitionibus antecedentibus intentivis Dei, ampliusque patet tractatu de gratia; & nunc breviter ostenditur sic: nam juxta præsentem providentiam decretum prædestinativum gloriae, est præfinitio de gloria consequenda per media libera; qua propter, & si posito tali decreto, possibile sit phisice, & metaphysice non

poni merita; non tamen est pos-  
sibile moraliter, seu per indiffe-  
rentiam moralem; quia posito  
decreto prædestinativo, ponun-  
tur auxilia efficacia, quibus au-  
fertur indifferentia moralis à vo-  
luntate: Unde infallibilitè habe-  
bit merita, & tale decretum erit  
infrustrabile. Præterea, juxta  
ferè omnes Theologos, omnino  
repugnat creatura, quam Deus  
medijs auxilijs non possit con-  
vertere libere: erg. hoc objec-  
tum, utpotè necessarium, cog-  
noscitur à Deo per scientiam  
simplicis intelligentiæ, & ante  
decretum prædestinativum. Nunc  
sic: hæc scientia sufficit, ut Deus  
infallibilitè, infrustrabilitè,  
cordatè, & prudentè possit  
præfinire efficaciter gloriam ante  
prævisionem absolutam, immo,  
& conditionatam Jesuitarum,  
meritorum: erg. ita fuit. Prob.  
antec. ut aliquis prudentè in-  
tendat, & præfiniat efficaciter,  
seu infrustrabilitè, & infallibili-  
tè aliquem finem, sufficit præ-  
cognoscere esse in sua potestate  
ponere media, pro tunc possi-  
bilia, quibus positis, infallibili-  
tè, & infrustrabilitè conse-  
quetur finis intentus, & præfini-  
tus: atqui Deus per scientiam  
simplicis intelligentiæ hoc cog-  
noscit ante decretum prædesti-  
nativum: ergo tale decretum,  
quanvis sit ante prævisa merita,  
per scientiam visionis, aut per

scientiam medium, semper est  
infrustrabile, & infallibile, at-  
que ejus positio est prudentissi-  
ma, & cordata; nam prudens  
intentio, ratione talis tituli, tan-  
tum exigit, quod non se expo-  
nat periculo frustrationis, hoc  
enim esset fatuus: ergo de pri-  
mo ad ultimum decretum præ-  
destinativum, & est infrustrabi-  
le, & est componibile cum li-  
bertate creata: quia in creata  
voluntate solùm ponit necessita-  
tem moralem. Sed ut hoc pleniùs  
intelligatur.

23 Dubitabis 2. An prædesti-  
natus possit damnari? Hoc  
dubium proponitur à Subtiliss.  
nostro Doct. in 1. d. 40. q. uni-  
ca, & arguit 1. quod non, sub  
hac forma: *Omne præteritum est  
simpliciter necessarium: sed præ-  
destinatio hujus prædestinati  
transvit in præteritum; quia  
Deus prædestinavit istum ab æter-  
no: erg. est simpliciter necessar-  
ium: erg. non potest Deus non  
prædestinasse: & per consequens  
non potest iste damnari.* Præ-  
terea, si prædestinatus posset  
damnari, hoc non est nisi per  
actum suum: erg. per actum vo-  
luntatis creatæ posset impediiri  
actus voluntatis divinæ.

24 Resolvit dubium pro  
parte affirmativa, quia si præ-  
destinatus non posset damnari,  
non esset solicitandum de obser-  
vantia præceptorum, & consi-  
lio-

Horum ; quia qualitercumque operetur salvaretur :: frustra ergo poneretur tota lex divina. Et post pauca inquit Marian. Doct. dico , quod Deus contingenter prædestinat illum , quem prædestinat , & potest non prædestinare ; non simul ambo opposita , nec subcessive , sed utrumque divisim in instanti æternitatis. Consimiliter dico , quod iste , qui est prædestinatus , potest damnari ; non enim propter ejus prædestinationem est voluntas ejus confirmata ; & ita potest peccare , & ita pari ratione in peccato stare finaliter ; & ita justè damnari ; sed sicut potest damnari , ita potest non prædestinari.

25 Explicat tamen nostrum dubium per *compositionem* , & *divisionem* ; hoc est : quod prædestinatus in sensu composito prædestinationis non potest damnari ; bené autem potest in sensu diviso. Vel aliter sic : quod prædestinatus reduplicative ut prædestinatus non potest damnari ; bené tamen specificative sumptus. Vel clarius juxta à nobis dicta possumus respondere , quod prædestinatus potest damnari potentia physica , & metaphysica ; non tamen potentia morali ; quia posita prædestinatione habet necessitatem moralen ad perseverantiam finalem ; quanvis remaneat in illo potentia physica , & metaphysica ad

non perseverandum ; alias non esset liber , nec mereretur in perseverando usque in finem , ut per se patet.

26 Jam ergo respondet Doctor ad argumenta , & ait : ad primum argumentum dico , quod procedit ex falsa imaginatione , cuius imaginacionis intellectus juvat ad intelligendum veritatem propositæ questionis. Si enim per impossible intelligeremus , Deum adhuc non determinasse voluntatem suam ad alteram partem , sed quasi deliberaret , utrum vellet istum prædestinare , aut non ? Benè posset intellectus noster capere , quod contingenter ipsum prædestinaret , vel non prædestinaret , sicut patet in actu voluntatis nostræ ; sed quia semper recurrimus ad actum voluntatis divinæ , quasi præteritum , ideo quasi non concipi possemus libertatem in voluntate illa ad actum , quasi jam sit positus absolute à voluntate. Sed ista imaginatio falsa est ; illud enim nunc æternitatis , in quo est iste actus , semper praesens est , & ita intelligendum est de voluntate divina , sicut volitione ejus , ut est hujus objecti , sicut per impossibile nunc inciperet Deus habere velle in isto nunc ; & ita libere potest Deus in nunc æternitatis velle , quod vult , sicut si ad nihil esset voluntas sua determinata.

Tunc

27 Tunc dico ad formam argumenti, quod prædestinationis non transit in præteritum; licet enim ipsa coextiterit præteritis, quæ transierunt, non tamen ipsa præteriit, si illa prætierunt, quæ coextiterunt sibi: & ideo idem est, Deum prædestinare, & prædestinasse, & prædestinaturum esse: & ita contingens unum sicut aliud; quia nihil est nisi nunc æternitatis mensurans illum actum, quod neque est præsens, nec præteritum, nec futurum, sed coexistens omnibus ipsis.

28 „Ad secundum dico, „quod voluntas creata non potest impedire ordinationem „voluntatis divinæ; nam impeditre esset, si staret proposi- „tum voluntatis divinæ, & op- „positum eveniret per volunta- „tem creatam. Hoc autem est „impossibile; quia sicut volun- „tas creatæ potest mereri dam- „nationem, ita etiam potest „concomitanter sequi, quod „voluntas divina non præordi- „naverit ipsam ad gloriam. Un- „dē dictum est distinctè præced. „in solut. primi argumenti ad „secund. questionem, quod „Deus non potest falli; quia „non potest stare intellectio „eius respectu actus cum oppo- „site illius: ita non potest im- „pediri voluntas ejus; quia non „potest stare ordinatio sui cum „opposito ejus, quod ordinavit.

29 Ecce quomodo Subtilis. nos. Doctor loquitur parifor- miter de infrastrabilitate prædestinationis cum libertate crea- ta, ac de infallibilitate præscientie divinæ cum ipsa creata libertate; nam loco à se citato inquit, quod bene sequitur: Deus novit me sessurum cras, & non sedebo cras: erg. decipietur. Non tamen sequitur: Deus novit me sessu- rum cras, & possum non sedere cras: erg. Deus potest decipi. Hæc consequentia non sequitur, sed solùm sequitur, quod si quando Deus scit me sessurum cras, possum non sedere cras, etiam potest Deus scire me non sessurum cras: erg. Deus scit me sessurum cras contingenter, & non necessario, hoc est, scit me sessu- rum cum possibilitate ad non se- dendum; & quando res scitur sicuti est, non est deceptio, nec fallentia. Nec enim sequitur: Deus non potest decipi; & A. potest non fore: erg. Deus non scit A. fore: sed quod sequitur est, quod non necessario, sed liberè scit A. fore. Ita in propo- sito, sicut res potest non esse, ita intellectus divinus potest non scire; & ideo nunquam sequi- tur, quod intellectus divinus cognoscat rem aliter, quam est. Et ideo nunquam possunt simul stare illa, quæ requiruntur ad deceptionem: sed sicut res scita potest esse, ita Deus potest eam scire; & sicut res scita potest

non esse , ità Deus potest eam non scire , & si non erit , non sciet.

30 Instat subtiliter Subtilis Doctor , probando , quod si prima conseq. tenet , teneat etiam & secunda ; nam sicut ex duabus propositionibus de inesse , seu actualibus , sequitur conclusio de inesse , seu actualis ; ità ex una propositione de inesse , seu actuali , & altera de possibili , sequitur conclusio de possibili . Præterea possibili posito in actu , nullum sequitur impossibile : sed quando Deus scit , me sedere , & ego sedeo , possibile est me non sedere : ergo hoc possibili posito in actu , scilicet , quod ego non sedeam , nullum sequitur impossibile . Atqui si quando Deus scit me sedere , ego non sedeo , Deus decipitur : ergo Deum decipi non est impossibile . Respondet Marian. Doctor : dico , quod ex tali positione in se nunquam sequitur aliquid impossibile ; tamen illa de inesse , in qua ponitur illa de possibili , potest repugnare alicui , cui non repugnat illa de possibili posita inesse ; quia antecedens potest repugnare alicui , cui non repugnat consequens : & tunc ex antecedente , & suo repugnante potest consequi aliquid impossibile , quod non sequitur ex consequente simpliciter , & eodem modo ; quia non est sibi incom-

possibile . Dico tunc , quod posita ista inesse , possibile est me non sedere , ex ista sola nihil impossibile sequitur : sed ex ista , & alia , scilicet , Deus scit me sedetur , sequitur impossibile , scilicet , Deum falli : & illud impossibile non sequitur ex impossibilitate ejus , quod ponitur in esse , neque etiam ex impossibilitate aliqua , quæ est absolute in ea ; sed ex ipsa , & quodam alio simul , quod est incompossibile . Nec hoc est inconveniens , quod illud , quod est impossibile , sequatur ex aliqua de inesse , in qua ponitur alia de possibili , & aliqua de inesse ; quia cum ista : *Ego sedeo* , stat ista : *possibile est me stare* ; ista tamen de in esse , in qua ponitur illa de possibili , repugnat illi alteri de inesse ; & ex illis duabus de in esse sequitur impossibile , scilicet ; *stans est sedens* . Nec tamen sequitur , ergo illa quæ ponebatur de possibili inesse fuit falsa ; sed vel illa fuit falsa , vel alia , cum qua sua de inesse accipitur , est incompossibilis suæ de inesse . Hucusque Doctor paucis omissis .

31 Ad hanc igitur doctrinam nos remittit tractando de prædestinatione : ergo sicut discurrevit Doctor de infallibilitate divinæ scientiæ cum cohærentia libertatis creatæ , ita discurrere debemus de infrustrabilitate di-

vñha prædestinationis cum co-hærentia libertatis creatæ. Nunc sic: in sensu composito, quod Deus fecit Petrum s̄essurum, est possibile, quod Petrus non se-deat, verificatur, libertas Petri in sedendo, & non sequitur, quod Deus decipiatur, nec quod Deus posset decipi: erg. & in sensu composito prædestinationis Petri potest verificari possibili-tas in Petro ad non salvari, ut sic salvetur ejus libertas, & non sequitur, quod prædestinatio sit fru-strabilis; nam sicut ad de-ceptionem in scientia Dei de sessione Petri, non sufficit pos-sibilitas ad non sessionem, sed requiritur non sessio inesse, seu in actu; ita ad frustrationem in prædestinatione non sufficit pos-sibilitas prædestinati ad non se salvare, seu ad damnationem, sed requiritur non salvatio, seu damnatio inesse, seu in actu: & cum sint incompossibilis pro-positiones de in esse, seu actu salvari, & actu damnari; quia tunc salvaretur, & non salvare-tur; damnaretur, & non dam-naretur: hinc sequitur, quod est impossibilis frustratio prædestinationis, seu quod prædestinatio est infrustrabilis. Non autem sequitur, quod prædestinatus non possit damnari, seu quod sit impossibile non salvare; sed solum sequitur, quod non necessariò, sed contingenter est

prædestinatus, & quod libere salvabitur. Hoc manifestat Doc-tor arguendo ab opposito con-clusionis cum propositione de possibili, sub hac forma: Prædestinatio non potest frustrari, & prædestinatus potest damnari; non sequitur, ergo prædestinatus non est prædestinatus; sed sequitur, quod non necessariò est prædestinatus, sed liberè, & contingenter. Benè enim se-quitur, quod si prædestinatus dam-natur, prædestinatio frustratur; non tamen ex hoc sequitur, quod si prædestinatus potest damnari, quod prædestinatio posset fru-strari; quia ad frustrationem re-quiritur damnatio in esse, & non sufficit de possibili; sicut ad decipi, seu falli in scientia de ses-sione, requiritur non sessio in esse, seu in esse stare, & non sufficit de possibili; quia ve-rum est, quod sedens potest sta-re; non autem est verum, quod sedens stat.

32 Neque ex hoc inferitur, tales potentiam esse fru-straneam, quia in sensu composito prædestinationis nūquam redu-cetur ad actum: non inquam sequitur; quia prædicta poten-tia est physica, non moralis, si-cut in sensu composito auxiliij efficacis ad consensum, datur in voluntate potentia physica, non moralis ad dissensum; quia liberum arbitrium motum, &

excitatum à Deo, potest dissentire, si velit, ut definit Tridentinum; & hæc potentia neutquam est otiosa, nec chymirica, quin potius habet exercitium utilissimum, videlicet, refundere libertatem in consensu, & in operibus meritorijs, quibus consequitur gloria præfinita, seu prædestinata; quia tali potentia deficiente, minimè remaneret libertas ad merendum in voluntate: quomodo ergo erit otiosa, chymirica, aut frustranea potentia, quæ agenti tantam affert utilitatem? Rursus, illa potentia ad damnari, & illa potentia ad dissensum, non reducitur ad actum, nec reducetur in sensu composito prædestinationis, & auxilij efficacis, non quia deficiat aliquid requisitum essentiale physicum ad talem actum; vel quia habeat aliquod impedimentum ( saltem antecedens ) physicè repugnans actui; vel quia non sit completa potentia; sed quia voluntas non vult reducere illam ad actum vi propensionis efficacis, quam habet ad actum oppositum, hoc est, ad consensum salutarem, & ad merendam gloriam prædestinationem, media divina illustratione, & sancta cogitatione, atque spiratione cœlesti, quibus fortiter, suaviter, efficaciter, & quadam necessitate morali allicitur voluntas ad bonum, honestum,

& meritorium. Sed de hoc latius in Tract. de Gratia.

33 Concludimus ergo cum nostro Doctris. Maistro, & cum Doctore eximio Suarez, nostram sententiam esse alteri præferendam; tum, quia esto sententia de prædestinatione post prævisa merita prima facie videatur, salvare magis libertatem arbitrij, & rationem meriti respectu gloriarum, magisque idonea videatur ad tranquillandas vulgarium mentes in hoc profundissimo Mysterio, né in desperationem inducantur, vel socordiam, & torporem; nihilominus, quia diligentius examinata omnes patiuntur difficultates, quas nostra, & adhuc majores, & omnia argumenta alicujus momenti, quæ contra nostram urgentur, in oppositam quoque facillimè retorquentur; nam re vera idem est, saltem virtualiter, Deum elgere aliquem ad gratiam infallibilem, & ad perseverantiam finalem, quod adversarij concedunt ante prævisa merita, idem est, inquam, ac eligere eum ad gloriam efficaciter; quia infallibilitè est connexa consequitio gloriæ cum infallibili finali gratia. Tum etiam, quia electio ad gloriam ante prævisa merita, neque libertati creaturæ derogat, neque meritis; aliunde verò exaltat amorem, libertatem, & liberalitatem Dei in

suis donis , & gratijs , magisque extollit divitias misericordiæ di-vinæ ; aliunde verò magis consonat Sacrae Scripturæ , & PP. & tandem est juxta communem sensum antiquorum , & præser-tim duorum procerum Theolo-giæ Scholastice Doctorum nem-pè Angelici , & Subtilis. Solùm advertimus , quod quanvis non defendantur præfinitiones inten-tivæ antecedentes operum salu-tarium , adhuc salvatur libertas creata per virtualem volitionem meritorum , cum eminentiali convolutione creatæ voluntatis in præfinitione gloriæ ante præ-visa merita ; & in utroque sensu hæc sententia est saltem proba-bilitè nostri Subtilissimi Doc-toris , qui nec adhuc probabili-tè defensavit unquam senten-tiam ridiculam , sicut intendunt facere illam , ridicule illo exem-pto de convivio gratuito , & posteà exigente impensas. Non ergo est ad rem ; nam convi-vium gloriæ gratuitò præfinitur à Deo , & solùm exigit , ut ve-niant , & emant absque argen-to , & auro ; & ut veniant , ipse præstat impensas , dando auxilia , manu ducendo , & trahendo ; quia nemo venit , nisi Pater tra-herit eum , & istos gressus , quos Deus operatur in nobis , & no-biscum , misericorditer digna-tur acceptare tanquam pretium , & meritum , ut ipsi invitati glo-

riosius consequantur gloriam , ut coronam ; quia gloriosius est ha-bere aliquid ex meritis , quàm sine illis.

#### QUÆST. IV.

*AN PRÆDESTINATIO  
facta faerit ante , vel post  
prævisa merita  
Cbrifti?*

I **P**RO hujus quæstionis in-telligentia notandum est  
1. Quod merita Christi sunt in duplice differentia , scilicet quoad substantiam , & quoadmodum seū circumstantiam passibilitatis merita quoad substantiam ap-pellantur in Christo D. omne illæ actiones honestæ , & super-naturales , quas Christus habui-sset , etiam si impossibilis veni-ret , ut actus charitatis , Reli-gionis , & cuiuslibet alterius vir-tutis , non supponentis pecca-tum , neque à circumstantia pa-sibilitatis dependentes ; merita verò cum modo , & circumstan-tia passibilitatis appellantur illa opera poenalia , quæ supponunt peccatum , & vocantur bona oc-casionata , dependentque neces-sariò à statu mortalitatis , ut famæ , jejunium , omnes poenali-tates sua acervissimæ Paßionis , & mors ; inter quæ merita hæc est differentia , quod merita pri-mo modo accepta , fuerunt futu-

ra, & ut talia prævisa pro priori, & independenter à peccato; secus verò merita includentia modum, seu circumstantiam passibilitatis. Hoc latè probabimus, Deo dante, in Tract. de Incarnat. & ex dicendis, aliqualiter patebit.

2. Notandum est 2. Christum D. fuisse causam nostræ prædestinationis, eo modo, & in eodem genere, quod sufficiens est ad enuntiandum absolutè, & sine addito, nos fuisse prædestinatos per Christum. Pater hoc ex illo ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso;* & infra: *prædestinavit in adoptionem Filiorum Dei per Christum Jesum in ipsum.* Ita Augustin. de Bono Persev. cap. 7. *In Christo consecuti sumus sortem prædestinati secundum propositum voluntatis Dei.* Immò, & Concilium Trident. sess. 6. cap. 16. inquit: *B. nè operantibus usque in finem proponenda est vita æterna, & tanquam gratia Filijs Dei per Christum Jesum misericorditer promissa,* & tanquam merces, ex ipsis Dei promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis misericorditer reddenda. Ubi notari oportet, quod his verbis Sacrosanctum Concilium declarat, quod vita æterna, seu gloria datur prædestinatis, & tanquam gratia, seu gratuitó, & tanquam merces, præmium, & corona;

scilicet, tanquam gratia, aut gratuitó quoad ordinem intentionis; & tanquam corona, præmium, aut merces, in ordine executivo.

3. Notandum est 3. quod in triplici genere causæ potest Christus esse causa prædestinationis nostræ, & Angelorum, scilicet, in genere causæ exemplaris, finalis, & meritoriae: & certum est, Christum D. fuisse causam exemplarem, & finalē: exemplarem constat ex illo ad Rom. 8. *Prædestinavit nos conformatos fieri imaginis filij sui;* nam ad exemplum prædestinationis Christi omnes prædestinati sunt. Unde Aug. lib. de Bono persev. cap.

24. Nullum aliud illustrius prædestinationis exemplum, quam Christus Iesus. Finalē fuisse patet ad Ephes. 1. *Prædestinavit nos per Iesum Christum in ipsum.* Ubi ly *in ipsum,* idem est ac, propter ipsum. Unde Trident. sess. 6. c. 7. ait, *quod finis justificationis nostræ est (idem est prædestinationis nostræ) gloria Dei, & Christi.* Patet etiam ex 1. ad Corinth. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Solum ergo est difficultas; an, scilicet, Christus etiam fuerit causa meritoriae prædestinationis? Sed adhuc est supponendum tanquam certum, Christum esse causam moralē meritoriam prædestinationis.

nis, & omnium effectuum illius in ordine executivo, ut constat ex Apost. ad Ephes. 1. *Benedictus Deus, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo.* Et Concilium Trid. sess. 6. cap. 6. inquit: *Declarat præterea Sancta Synodus ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, quām nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Et Sancta Mater Ecclesia quotidie à Deo petit, & exoptat omnia ista bona per Christum D. nostrum. Unde tota difficultas stat circa prædestinationem in ordine intentivo, an, scilicet, sicut Deus decrevit nostram, & Angelorum prædestinationem ante prævisa nostra, & illorum merita, ita etiam præfinierit illam ante, vel post prævisa merita Christi. Et idem est, ac inquirere: Utrum Christus Dominus fuerit causa moralis meritoria nostræ, & Angelorum prædestinationis in ordine intentivo?

4 Conclusio nostra: Christus Domin. per sua merita quoad substantiam, à peccato, & à carne passibili omnino independentia meruit Angelis, & Hominibus suam prædestinationem in ordine intentivo. Hæc conclusio est communior, & probabilior contra Smising. de Provi-

deutia Dei, disp. 6. num. 615. Mastr. de Prædestinatione, q. 2. art. 9. num. 219. Antonium Perez de Prædest. disp. 2. sect. 2. num. 42. Pro illa tamen stat Meriner. Frasen; & quot quot sustinent prædestinationem fuisse post prævisa nostra merita. Item admodum R. atque Doctiss. Pater Picazo, qui in utraque questione stat pro nobis. Probat. 1. conclusio; nam Christus Dom. fuit primus omnium prædestinationum, fueruntque prævisa, quam plurima ejus merita, ante prædestinationem nostram, & Angelorum. Immò, & ante futuritionem omnium creaturarum: erg. propter talia merita præfinivit Deus gloriam omnibus prædestinatis, immò, & futuritionem illorum. Conseq. patet, quippe id cedit in majorem honorem Christi, cui propterea homines, & Angeli essent magis obligati. Deinde, illa merita prævisa à Deo, digna erant quocumque præmio possibili, & Deo Patri offerebantur propter salutem, & prædestinationem hominum: erg. & Deus quasi movebat ex illis ad præfiniendam prædestinationem, & etiam futuritionem omnium.

5 Probat. antecedens; Tum, quia in omni genere entium est unum primum, quod est merum, & mensura omnium aliorum: erg. ita contingit in gene-

re prædestinatōrum : atqui nullum est aptius , quām Christus , ejus prædestinatio , & ipsius merita ; quia nullum aliud opus est excellentius , & nulla alia prædestinatio magis antecellit alijs prædestinationibus : ergo , &c. Tūm etiam , quia omnes satentur , fuisse Christi prædestinatiōnem causam exemplarem omnium aliarum : erg. ante omnes alias jām prævidebatur. Tūm etiam , quia Christus est caput hominum , & Angelorum , ut ait Apostolus ad Colosens. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo dinitatis , etiam corporaliter : & eftis in illo repleti , qui eft caput omnis principatus , & potestatis.* Atqui de ratione capitis est influere in totum corpus , omnem actum , & motum , quæ influentia aliter explicari nequit , quām in genere causæ moralis meritorię : erg. &c. Tūm denique ; quia ut ait Subt. Doct. in reportat. in 3. d. 7. q. 4. adhuc fuisse Christus prædestinatus , etiam si Deus nullam creaturam condere decrevisset : erg. Christus Dominus fuit primus omnium prædestinatōrum , fueruntque prævisa , quām plurima ejus merita , ante prædestinationem nostram , & Angelorum.

6 Probatur 2. conclusio ex eodem Subt. Doct. qui in 4. d. 2. q. 1. §. ad primum , inquit: *Pofset dici , quod in univ. rſis*

*operibus Dei non fuit aliquod opus mere gratiæ , niſi ſola incarnatio Filii Dei ; & hoc ſi ad illam nulla merita præceſerunt.* Hucusque Doctor. Nunc ſic: ſola incarnatio eft opus mere gratiæ , quia ad illam nulla merita præceſerunt : erg. nullum aliud opus Dei eft mere gratiæ , quia ad illud , quodcumque fit , aliqua merita præceſerunt : erg. ad opus prædestinationis Angelorum , & hominum præceſerunt aliqua merita. Atqui nulla alia , niſi Christi: ergo prædestinatio Angelorum , & hominum fuit post prævisa merita Christi; ac per consequens Christus fuit cauſa meritoria illius. Confirmatur ex illa religiōſiſſima maxima Mariani Doctoris in 3. d. 13. q. 2. §. Quantum ad secundam. Ubi inquit: *In commendando enim Christum , malo excedere , quam deficerē à laude ſibi debita , ſi propter ignorantiam oporteat in alterum incidere.* Et confirmat hanc ſuam maximam ex D. Aug. de Libero arbitrio , cap. 3. dicente: *Quiquid tibi vera ratione melius occurrerit , ſcias hoc Deum magis feciffe , quam non feciffe.* Hoc ipsum habet pluribus alijs in locis , ut videbimus , tract. de Incarnat. ubi adducemus has , & alias authoritatis SS. FP. ex quibus . & ex maxima Subtiliſſimi Mar. Doct. utitur Theologī ad concludendas prerogati-

tivas , & excellentias Christi D. atque ejus Immaculatae Matris, arguendo de potentia ad actum; *Nam quod excellentius est ( inquit Scot. ) tribuendum est virgini , quotiescumque non repugnat Sacrae Scripturæ , neque authoritati Ecclesiæ : in hoc puncto ( ait Aug. ) tota ratio facti , si potentia facientis.* Atqui laudabilius, & excellentius est Christo , meruisse prædestinationem Angelorum , & hominum in intentione, & quod ejus merita fuissent prævissa ante omnem creaturam: ergo hoc illi concedendum est, si possibile est. Quod sit possibile patebit ex solutione argumentorum , & amplius citato tractatu de Incarnatione.

7 Prob. 3. conclusio , ex illo ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, id est Christo, ante mundi constitutionem , ut essemus sancti.* Ubi nota ( inquit Felix ) quod quando ly in conjungitur accusativo significat causam finalem; ut ad Eph. 1. *Qui prædestinavit nos per Jesum Christum, in ipsum:* quando vero ablativo ad jungitur significat causam meritioriam, ibidem: „ Gratificavit nos „ in dilecto filio suo, in quo habemus Redemtionem, & in quo „ & sorte vocati sumus ; quem „ modū loquendi usurpavit Tridentinum, sess. 6. cap. 16. quando ait ; *opera in Christo facta;*

id est ex meritis Christi. Et patet, quia in phrasι grāca in Christo est idem , ac per Christum ; & ita Chrysostom. explicans illum, sic ait : *Per quem nos benedixit, per eum nos elegit.* Notate ly elegit , ex qua particula constat, Christum non solum fuisse causam meritoriam dilectionis prædestinatorum , sed etiam electionis , quod est contra aliquos ex nostris AA. ut Vulpes , Henno , & Castillo, qui dicunt Christum meruisse nostram prædestinationem in intentione, ut est dilectio , non tamen , ut est electionis unius præ alio ; nam dilectio , inquit, solum dicit amorem circa aliquem ; electionis verò addit , quod alias non diligatur; & repugnat muneri Redemptoris , & suæ charitati , quod meruerit derelictionem , seu reprobationem Judæ , &c. Sed contra est; nam verba Scripturæ , secundum regulam Aug. rigorosè intelligenda sunt , dummodo non sit inconveniens , quod in præsenti nullum invenitur ; nam quanvis Christus non fuerit causa , ut reprobri non prædestinentur , hoc non requiritur ad electionem , quippe eligere non dicit formaliter alium relinquere, sed solum connotative , sicut merita iustorum in die judicij erunt causa electionis , & separationis eorum ab impijs ; & tamen non erunt.

erunt causa derelictionis , seu reprobationis impiorum : ita si militè Christus , &c.

8 Confirmatur ex eodem Apostolo ibidem : *Benedixit nos omni b n dictione , in Christo:* Sed prima , & fundamentalis benedictionum benedictio est ipsa prædestination , cum alia omnes , quæ prædestinatis conferuntur sint illius effectus : ergo illam nobis promeruit Christus. Certe mirum esset , quod Apostolus omnem benedictionem comprehendens excluderet potissimum , & fundamentalem. Addè D. August. concion. 3. in Psalm. 36. *Caput nostrum Christus est , corpus capitum illius nos sumus;* nunquid soli nos ? Omnes , qui ab initio fuerunt justi , adjunctis etiam legionibus , & exercitibus Angelorum. Divum Gregor. in cap. 2. lib. 1. Reg. *Nullus hominum , neque Angelorum est sanctus , nisi per Christum.* Et alias quam plurimos , qui omnes , quanvis possint intelligi de Sanctitate , & de prædestinatione quoad executionem , etiam posse sunt quoad intentionem , & commendat magis Christum.

9 Argunt Scotistæ nobis adversantes pluribus Authoritatibus Sacrae Script. in quibus dicitur; Deum secundum voluntatem suam , secundumque beneplacitum , & secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriae,

& gratiæ suæ prædestinasse Angelos , & homines : ergo Christus non meruit quoad intentionem dictam prædestinationem. Resp. neg. conseq. quia prædictæ Authoritates , & alia similes , ut illa D. Pauli : Si autem ex meritis , jam non est gratia ; solum intendunt excludere merita ex parte prædestinatorum ; non verò merita extrinseca , seu ex parte Christi: ita responderet Subt. nost. Doctor. ad authoritatem D. Pauli in 4. nuper citato, propter quod dixit , quod in universis operibus Dei non fuit aliud opus merè gratiæ , nisi sola incarnatione Filij Dei , &c. Dicitur fuisse secundum beneplacitum Dei , ad declarandum , Christum D. solum pro illis efficaciter sua merita obtulisse , pro quibus cognoscebat esse voluntatem Dei illa offerre , ut docet etiam Venerabil. noster Doct. in 3. d. 19. q. unica. §. in ista quæstione , loquens de oblatione quam Christus fecit de merito suæ passionis , ait enim ; quia sicut Christus vidit passionem suam quoad efficaciam solum esse acceptandam à Trinitate pro electis; sic eam pro illis tantum efficaciter obtulit in effectu ; & semper talis oblatione passionis , & aliorum meritorum fuit gratuitè data , & applicata prædestinatis , tam ex parte Christi , quam ex parte Trinitatis.

10 Arg. 2. Ordinate volens  
Ar-

prius vult finem, quam media, juxta Subt. Mag: Sed merita Christi sunt media ad prædestinationem hominum, & Angelorum, & prædestinationis finis: ergo prius voluit Deus dictam prædestinationem, quam merita Christi: ergo prædicta merita non fuerunt prævisa ante prædestinationem, & consequenter Christus illam non meruit. Hoc argumentum est Achilles, & in quo unicē fidunt nobis adversantes. Ut autem clarius percipiatur solutio, velim prius scire ab illis, quomodo intelligent Doctorem quando ait loco nuper citato, quod si ad incarnationem præcessissent aliqua merita, incarnatione fuisset illis pro merita, & præmium illorum? Inquiero enim, talia merita antecedentia incarnationem, aut essent medium respectu illius, & illa finis; aut non? Si sic: ergo medium potest antecedere finem, & esse prius volutum illo. Si non: ergo dabile est meritum, quod non sit medium respectu sui præmij; quod ipsi pertinaciter negant. Quidquid respondeant &c.

II. Respond. ergo i. cum Suarez, neg. quod merita Christi sint tantum à Deo volita, ut media respectu prædestinationis Angelorum, & hominum; quia sicut Deus voluit Christum non occasionate, sed per se, & propter gloriam

suam, ita etiam voluit ejus merita propter perfectionem, & excellentiam ipsiusmet Christi, ac etiam propter manifestationem attributorum Dei ( ecce finis prius volitus, quam merita Christi ); jam ergo volita, & futura, voluit etiam Deus, suisse causam in genere morali, seu meritoria, cuius intuitu præfinit Deus esse naturale prædestinationis, quod est subjectum, & finis cui, atque etiam præfinit dare gloriam Angelis, & hominibus, quibus voluit, quando, & quomodo voluit, juxta suam divinæ sapientiæ dispositionem. Itaque in illo primo signo, in quo Deus voluit merita Christi, non voluit illa, ut medium respectu prædestinationis Angelorum, & hominum; nam tunc talis prædestinatione esset finis, & merita Christi essent bona occasionata ex prædicto fine, quod nefas est dicere; sed meritis Christi prævisis, voluit Deus, Christum esse causam meritoriam prædestinationis creaturarum; sicut voluit etiam, quod Christus fuisset caput, & haberet influentiam, non ut medium, neque ex priori voluntate influendi in omnia membra corporis mystici; sed ut causa præcipua moralis in genere meriti, ad quam consequuntur tales effectus, ut præmium suorum meritorum.

12 Respond. 2. disting. maj. Ordinatè volens , priùs vult fi- nēm , quām media ; si tantūm sunt media ad exequendum finem , conc. si sunt media non solūm ad exequendum finem , sed etiam ad illum intendendum , neg. Et dist. min: merita Christi sunt media tantūm ad exequendam præde- tinationem Angelorum , & ho- minum , neg. ad illam exequen- dam , atque etiam ad illam in- tendendam , conc. & neg. con- seq. Hæc responso , quanvis in nullo alio inveni ita expresse , est meo videri , per se nota. Etenim bene verum est , quod regulari- ter loquendo , omne agens priùs vult finem , quām media , sed hoc evenit , eo , quod vult me- dia solūm ad exequendum fi- nem : & cum priùs sit intende- re finem , quām illum exequi ; hinc etiam est priùs intendere fi- nem , quām velit ea , quæ tan- tūm ordinantur ad illius ex- ecutionem. Si autem detur me- dium ad intendendum aliquem finēm , priùs pervenit voluntas ad tale medium , priùsque illud vult , quām perveniat ad extre- mam , seu quod extremum ve- lit , quod est intendere finem. Sic igitur sunt merita Christi , nam visis à Deo , liberè , & li- beraliter assumpit illa , ut me- dium , ut occasio , seu ut causa moraliter motiva ad decernen- da omnia bona naturis commu-

nicanda. Unde Scotica maxima est intelligenda de medio ad exe- cutionem finis , respectu cuius executionis est medium , & ad- huc priùs ponitur in executio- ne , quām ipsa exécutio ; sed est volitum post volitionem inten- tivam finis , respectu cuius voli- tionis non est medium , t ed ef- fectus.

13 Respond. 3. disting. etiam maj. Ordinatè volens , priùs vult finēm , quām media ; quando media sunt ejusdem ordinis cum fine , conc. quando media sunt universalia , & superioris ordinis , & eminentiæ , quām fi- nis , neg. & dist. min. merita Christi sunt media ad gratiam , & gloriam electorum , & alias sunt aptioris ordinis , & supe-rioris eminentiæ , quām gratia , & gloria illorum , conc. min. & alias sunt ejusdem ordinis , &c. neg. & neg. conseq. Etenim ad hoc , ut aliquod medium sit ef- fectus alterius , ut causa finalis , debet esse ejusdem ordinis cum tali fine , & in tali ordine infe- riore fine ; quia finis est præstan- tior medijs : cum autem meri- ta Christi sint superioris ordi- nis , & eminentiæ , quām gratia , & gloria electorum , nequeunt ab illis causari finaliter , sed po- tiūs debent illis præsupponi , ut causa moralis meritoria illarum. Deinde , licet medium particu- lare , quod ordinatur in parti-

cularem finem , ut est gratia , & meritum Petri , vg. ad suam particularem gloriam debeat esse effectus finalis illius ; tamen medium universale , quod per modum meriti influit in omnes particulares fines , & in omnia media particularia , ut est meritum Christi respectu cuiuslibet meriti gratiæ , & gloriæ electorum , debet omnibus illis præsupponi , ut causa universalis meritoria omnium mediorum , & finium particularium . Elec-  
tio igitur medijs solum infert , & supponit intentionem finis sibi proportionati ; universalis , si medium est universale ; vel particularis , si medium est particolare : Et sic meritum Christi solum supponit intentionem supremæ excellentiæ Christi , gloriæ Dei , & manifestationis attributorum ejus , ut finem primarium , & universalem .

14 Arg. 3. Christus meruit Angelis gratiam , & gloriam : g. illam non fuerunt consecuti ante mortem Christi . Patet consequent . Tum , quia merita Christi fuerunt in morte consummata : Tum etiam , quia ex eo Sancti PP. veteris Testam. non conseqüebantur gloriam usque ad mortem , quia gloria non datur , nec exhibetur , quoad usque exhibeantur merita , quibus met-  
retur . Tum denique , quia Subt. Doct. loco citat. ait : Angelos non meruisse sibi gloriam per

opera ad illius exhibitionem subsequentia , quia summum bonum ad quod ordinantur merita , non datur quoadusqne merita exhibeantur : erg. judicat , Christum non meruisse ipsis gloriam .

15 Respond. neg. conseq. ad cujus probat. respondeatur negando paritatem inter antiquos PP. & Angelos ; quia Angeli electi non amiserunt per peccatum gloriam , nec gloriam ; ac proinde janua cœlestis non fuit illis clausa ; homines vero amiserunt gloriam , & gloriam per peccatum , januaque cœlestis illis fuit clausa , & Deus disposuit non aperire illam , quoadusque Christus Filius ejus post mortem , & Resurrectionem illam aperuit , & ascendens in altum , captivam duxit captitatem . Advertendum igitur est , quod collatio gratiæ , & gloriæ Angelorum , eorum Redemptio præservativa , ac præservatio exclusionis illorum à Paradiso , non requirebat merita Christi Domini , dependentia à carne passibili , sicut neque illa requirebat collatio gratiæ , & gloriæ hominum , nec ingref-  
sus illorum in Paradisum , si Adamus non peccasset ; quare , si Deus non decrevisset nos redimere à peccato , per passionem , & mortem Christi D. decerneret ipsum venire impassibilem , sanctificatorem , & glorificatorem , ut sic exhiberet merita pro gratia , & gloria Angelorum , & hominum ;

nam

nam omnium electorum prædestinatio facta fuit ante prævisionem peccati, & independenter ab illo, ut sapè ait Subt. Doct. Et sic, peccato deficiente, prædestinatio poneretur in re absque passione, & morte Christi; undè constat, quod sola collatio gratiæ, ut interruptæ, necnon, & collatio gloriæ à reparata gratia provenientis, dependet à meritis Christi D. in carne passibili.

16 Ad illud Subt. Doct. in 3. d. 19. q. unic. §. Sed hic sunt, vers. ad formam argumenti: respondetur, quod Doctor non loquitur ibi, de meritis Christi quoad substantiam; sed de meritis proprijs Angelorum; vel de meritis Christi à carne passibili dependentibus. Argumentum erat: si omnibus electis meruit Christus primam gratiam: ergo collatio gratiæ in antiquis PP. fuit præmiū meritorum Christi: ergo præmium fuit exhibitum ante exhibitionem meritorum: ergo per eandem rationem posset dici, secundum Magistrum sententiarum, lib. 2. quod Angelii primò receperunt præmium, & deinde ipsum meruerunt per bona velle elicta circa custodiā nostrā. Hæc erat objectio: ad quam respondet Doctor in forma: *Dico quod consequentia non valet, nec est simile hic, & ibi; nam generaliter verum est, quod summum bonum, ad quod ordinatur meritum, non debet conferri ante meritum exhibitum, & expletum:: Summum autem, quod Angelii mereri possunt per merita sua, est gloria, & introitus actualis in regnum; quæ gloria dari non debuit ante merita exhibita.* Hucusque Doctor. Ex quibus aperte constat, loqui de meritis proprijs Angelorum, quæ in re exhibita fuerunt ante possessionem gloriæ. Loquitur etiam de meritis Christi circa homines, quibus meruit ingressum in Paradisum, & apertionem januæ, quæ clausa erat propter peccatum illorum; ergo cum Angelii boni semper permanserint in Paradiſo, quanvis ex meritis Christi quoad substantiam, & independentibus à carne passibili, non erat, cur expectarent exhibitionem passionis, & mortis (ordinatam in remedium peccati, quod soli homines, & non Angelii habuerunt) non erat, inquam, cur expectarent prædictam exhibitionem ad suum summum præmium possidendum.

17 Replicabis; ex hoc sequeretur aliqua indecentia in Christo; non enim decet, prius coronari milites, quam Ducem; nec decet ultimum præmium prius dari membris, quam capiti, quod est fons, & radix totius meriti. Respond. neg. sequell. quia Christus nemini clausit januam Regni Cœlorum; sed CCC 2 quan-

quantum in ipso est , omnibus fuit semper patens ; neque etiam debuit per sua merita retardare aliquem ab ingressu gloriæ , vel à susceptione præmij jam pro meriti. Præterea , si Angeli non habentes gratiam ex meritis Christi , habituri erant gloriam statim post terminum suæ viæ , & sui meriti ; cur non debuerunt eam recipere sine mora propter Christi merita ? Semper enim fuissent , ut fuerunt , & sunt milites , & membra Christi ; & Christus illorum caput , & Rex.

18 Immó existimo , & est valdè probabile , quod eadem lex fuisset cum hominibus observata , si in statu Justitiae , & Innocentiae permanissent ; omnes enim , qui terminassent suam viam ante Adventum Christi , & ante Ascensionem ejus ( si qui fuissent) fuissent translati ad Gloriam , & Cœlum introirent antequam Christus ascenderet : tamen , quia peccando , januam Regni Cœlestis sibi occluserunt , decrevit Deus , illam non aperi- re , donec plenè pro tota natura , quæ reatum peccati contraxerat , satisfactum fuisse : & ideo ante Christi Adventum , & ante ejus Ascensionem nullus hominum admisus fuit permanenter in Cœlesti Curia. Ex quibus sequitur quod primatum Christi in hac parte , consistit in eo , quod ita sit Princeps gloriæ , & primo-

genitus totius creaturæ , ut nullus Angelorum , aut hominum , in illam introisset , neque intrat , nisi dependenter à suis meritis , & ut miles , & membrum illius. Videatur Mystica Civitas Dei , 1.part.num. 46. & Doctis , atque Illustris. Samanieg. not. 26. pro r. part. ejusd. Civit. per totam , maximè , §. 16. ubi aliam prehennientiam Christi adducit , nempe , quod sua sanctissima anima fuit beatificata à primo , & in primo suæ creationis instanti , quod nulli Angelorum , aut hominum fuit concessum.

19 Inquires , an prædestinatio hominum , & Angelorum facta fuerit ex prævisis meritis Beatisimæ , ac Immaculatae Virginis Mariæ ? Resp. affirmativè : quia hoc est possibile , & cedit in laudem , & excellentiam Reginæ Angelorum , & hominum : erg. est illi concedendum. Patet conseq. ex D. Aug. & Subt. Doct. quidquid tibi melius , aut excellentius occurrerit , hoc scias Deum fecisse ; nam in commendando Christum , & Mariam , optabilior est excessus , quam defectus , si propter ignorantiam in alterum incidere oporteat ; & alibi: *Quod excellentius est , tribendum est Virgini , quotiescumque non repugnat Sacrae Scripturae , neque authoritati Ecclesiæ . In excellentijs enim , ac prærogati-*

tivis Christi , & Immaculatae Matris , ad actum de potentia, tenet consequentia ; quia in hoc tota ratio facti , est potentia facientis, inquit Augustinus : ergo, &c. Iam autem , quod sit possibile patet illis authoritatibus, quibus probatur Immaculatam Virg. Mariam fuisse primogenitam , anteque omnem creaturam, & immediatissime post filium ejus prodijse ex ore altissimi, id est, fuit prædestinata immediaté post Christum , sed in eadem classe pro priori ad omnes Angelos , & homines ; & in illo priori præfinita , & prævisa fuerant aliqua ejus merita independentia à circumstantijs passibilitatis filij sui , ut dictum est de Christo : ergo piè credi potest, quod sicut Christus Rex meruit intentivam prædestinationem Angelorum , & hominum, ita etiam, licet minus præcipue, Immaculata Mater Regina illam meruit.

20 Confirmatur , nam de facto Immaculata V. Maria habuit gratiam , & omnia dona supernatura in summò , ut inquit D. Hieronym. „ Omnis plenitudo gratia, quæ in Christo , to est venit in Mariam quamquam aliter. Et Ricard. Laurent. lib. 4. de Laudibus Virg. „ Maria ergo Thesaurus , quia in ea , ut in gazophilatio reposuit Dominus omnia dona gratiarum, meritorum, virtutum,

& prerrogativarum , donorum, „ & Charismatum. Et S. Germ. Serm. de Assumptione: O Maria ! Nullus est , qui salvus fiat , nisi per te ; nullus est, „ qui liberetur à malis , nisi per te , ô Purissima ! nemo est „ cui donum concedatur , nisi „ per te , ô Castissima ! Nemo est , cujus misereatur gratia, „ nisi per te , ô Pijssima ! Idem plaudent , ac prædicant quam plurimi alij PP. & DD. unanimiterque docent , percelebre illud D. Bernardi Sermone de Nativit. Virg. „ Hæc est voluntas Dei, „ quæ totum nos habere voluit „ per Mariam , ut proinde , si „ quid spei , si quid gratiæ nobis „ est , ab ea noverimus redundare. Ideò enim gratia plena dicuntur , ut ex plenitudine illius accipient universi. Et D. Thom. 3. part. q. 27. inquit: „ Beata autem Virgo Maria propinquissima fuit Christo , secundum humanitatem ; quia ex ea accepit humanam naturam , & idèo præ ceteris majorem debuit à Christo gratia plenitudinem obtainere. Sic passim loquuntur , vocando illam mediatrixem , & co-redemptricem , qui sciunt, quod qui elucidant illam, ex ipsius meritis vitam æternam habebunt : ergo omne datum optimum , & omne donum perfectum descendit à Parte lumen in Angelos , & homines

per merita Immuculatae V. Mariæ; ac per conseq. fuit causa meritaria, minus præcipue quam Christus, prædestinationis, tam Angelorum, quam hominum, non solum ordine executio-  
nis, (hoc enim parum est, nec sic omnia dona ad nos veni-  
rent per merita illius, cum præ-  
destination intentiva sit donum  
donorum, & omnium bonorum  
radix) sed etiam ordine intentionis.  
Videatur Mystica Civi-  
tas Dei, 3. parte, num. 315. & No-  
ta, ibi correspondens, Doctissimi  
nostrí Sendini.

## QUÆST. V.

*QUI, ET QUOT SINT  
effectus Prædestina-  
tionis?*

**I** PRO quæstionis intelli-  
gentia est advertendum,  
quod cum prædestination sit præ-  
finitio efficax, scilicet efficax voli-  
tio dandi gloriam Angelis, & ho-  
minibus electis, effectus præ-  
destinationis in toto rigore di-  
cuntur omnia, & sola illa me-  
dia, quæ virtualiter sunt volita  
per illam volitionem gloriae, ut  
finis; & cum illa volitio facta  
fuerit ex meritis Christi, immo,  
& Immaculatae Virginis Mariæ,  
ut dictum est; hinc, ut aliquid  
sit effectus prædestinationis pro-  
prie, & rigorose, etiam requi-

ritur, quod detur ex meritis  
utriusque. Hoc supposito, per  
sequentes conclusiones breviter,  
quid nobis tenendum sit, relol-  
vitur.

**2** Conclusio 1. Omnia au-  
xilia, tam interna, ut sunt divi-  
nae inspirationes, & illustratio-  
nes cœlestæ, quam externa, ut  
sunt Conciones sacræ, miracula,  
& his similia, sunt effectus præ-  
destinationis. Item gratia non  
solum finalis, sed etiam gratia  
interrupta per peccatum, quæ  
habet effectum in vitam ater-  
nam, est etiam effectus præde-  
stitutionis. Insuper ipsa glorifi-  
catio, scilicet positio gloriae in ex-  
ecutione, est etiam effectus præ-  
destinationis. Hæc conclusio est  
ferè communis omnium Theolo-  
gorum. Probatur 1. ex illo Div.  
Pauli ad Rom. 8. *Quos prædesti-  
navit, hos & vocavit, quos vo-  
cavit, hos & justificavit, quos  
justificavit, hos & glorificavit.*  
Probat. 2. ratione; quidquid  
confertur prædestinatis ex vi præ-  
finitionis efficacis intentivæ, est  
prædestinationis effectus: atqui  
glorificatio, vocatio, tam inter-  
na, quam externa, & justificatio  
tam interrupta, quam recupe-  
rata; & nunquam interrupta con-  
feruntur in tempore ex vi illius  
præfinitionis intentivæ gloriae:  
ergo. omnia sunt effectus præde-  
stitutionis.

**3** Argum. contra; non om-  
nia

nia auxilia , quæ conferuntur prædestinatis conducunt ad vitam æternam : erg. non omnia auxilia illis concessa sunt effectus prædestinationis. Antecedens patet in auxilijs inefficacibus. Tum etiam , quia vocatio est communis reprobis , & prædestinatis; sed effectus prædestinationis non sunt communes reprobis : erg. &c. Hoc etiam probat de auxilio efficaci , & de justificatione; quia plures reprobi possunt esse in gratia ad tempus. Deinde effectus prædestinationis dantur omnibus prædestinatis : atqui vocationes non dantur parvulis: erg. &c. Præterea gratia interrupta , nisi reparetur , non conductit ad consecrationem gloriae: erg. sola gratia restaurata , seu reparata , est effectus prædestinationis. Denique , nihil potest esse causa sui ipsius : sed glorificatio est prædestinationis: erg. prædestinationis non est causa glorificationis ; ac per consequens glorificatio non est effectus illius.

4 Respond. ad primum neg. anteced. ad cuius primam probationem dicimus , adhuc auxilia inefficacia conducunt , & sunt ordinata ad vitam æternam, quantum est ex parte Dei conferentis ; quanvis ex parte creaturæ non cooperantis nihil operentur. Vel aliter respondet. cum nostro Smising. quod licet prout non operentur , postea ope-

rantur , dum scilicet prædestinatus semel , iterum , atque iterum vocatus , has vocationes in memoriam revocans , dolet se illis non consenserisse ; dolor autem iste conductit ad penitentiam acrius exequendam , nec non ad maiorem curam , & vigilantiam salutis : erg. auxilia inefficacia saltem remotè , & mediatè conductunt in prædestinationis ad gloriam consequendam. Ad 2. probationem respondetur , quod vocatio , & justificatio , que datur prædestinatis , non est ejusdem rationis cum vocatione , & justificatiōne , quæ datur reprobis ; nam vocatio , & justificatio in prædestinatis habent duplīcēm connexionem cum gloria ; Prima est ; quia dantur prædestinatis ex vi illius præfinitionis efficacis dandi gloriam ; & ideo appellantur secundum propositum : his , qui secundum propositum vocati sunt : altera connexionē est , quod vocatio , & justificatio prædestinatōrum verē influunt in beatitudinem , & effectivē illam assequuntur ; quod non habent vocationes , & justifications reprovorum. Ad 3. probationem respondetur 1. neg. antec. quia de ratione effectus prædestinationis non est , quod detur omnibus prædestinatis , sed quod conferatur capacibus ex vi illius præfinitionis efficacis dandi gloriam. Respond. 2 quod etiam

etiam parvuli vocantur, non in se ipsis, sed in parentibus, vel in eis, qui habent eorum curam, & ad Baptismum adducunt.

5 Ad aliud respondetur, quod gratia interrupta in prædestinatis semper conductit ad consecrationem gloriae; quando interrupta, remotè conductit; quando restaurata verò proximè. Ratio est, qui jus illius gratie ad gloriam non fuit amissum per peccatum; sed tantum impedimentum, & ita ablato impedimento reddit proximè idem jus; quia, juxta communem Theologorum sententiam, dona mortificata, non habent virtutem influendi in vitam æternam ex nova voluntate Dei, quæ intervenit in reparatione, sed ex voluntate Dei, qua primò electa, & collata sunt prædestinato ex vi illius efficacis præfinitionis intentivæ ad gloriam. Hac doctrina traditur expressè à D. August. lib. de Correct. & gratia, ubi ait: *Quicumque ab illa originali damnatione, divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quin eis procuretur audiendum Evangelium, & cum audierint, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverent, & si quando exorbitant, emendentur.* Et infra: *Horum fides, quæ per dilectionem operatur, aut omnino non deficit, aut si deficit, repa-*

ratur. Ecce qualiter Augustinus constituit effectus prædestinationis priorem vocationem, & justificationem, non aliter in his, qui ad tempus labantur, & reparantur, ac in his, qui semper in bono perseverant.

6 Ad ultimum respondetur  
 i. neg. min. nam prædestination est illa præfinitio intentiva, qua Deus efficaciter intendit dare gloriam, ab hac procedit ad eligenda media, & positis medijs in executione, ponitur etiam ipsa glorificatio. Secundo respondetur, disting. maj. nihil potest esse causa sui ipsis, in eodem genere causæ, conc. in diverso genere causæ, nego. Glorria ergo in intentione est causa finalis mediorum, & media sunt causa moralis efficiens gloriae: & cum causa causæ sit causa causati; si gloria in intentione est causa mediorum, & media sunt causa gloriae: sequitur, quod gloria in intentione sit causa gloriae in executione. Utraque responsio valde consonat D. Paulo citato; *quos præstatinavit, hos & vocavit, quos vocavit, justificavit, quos justificavit, glorificavit.* Ex hucusque dictis infertur, quod omnia opera supernaturalia prædestinati sunt effectus prædestinationis, cum omnia illa conducant ad consecrationem gloriae; quia omnia sunt habita ex præfinitione intentiva efficaciter glo-

gloriæ. Difficultas est, an talia opera meritoria sint etiam effectus prædestinationis, prout procedunt à creato libero arbitrio simul cum divina gratia? Pro qua, sit.

7. Conclusio 2. Opera supernaturalia, & meritoria, prout procedunt à libero arbitrio simul cum gratia, sunt effectus prædestinationis. Hæc conclusio est communis contra paucos. Prob. 1. ex D. August. lib. de *Bono Persev.* cap. 13. ubi ait: *Nos volumus, sed Deus in nobis operatur operari nostrum pro bona voluntate; hoc expedire credere, hoc est pius, hoc est verum, ut sit humilis, & submissa confessio, ut totum detur Deo:* erg. &c. Prob. 2. quia talia opera supernaturalia, adhuc sub formalitate, qua procedunt à libero arbitrio, subiiciuntur gratiæ efficaci auxiliorum: erg. adhuc sub tali formalitate inspecta, sunt effectus prædestinationis. Prob. anteced: quia Deus facit, ut faciamus; nam ut supra diximus, ex vi illius præfinitionis gloriæ, ut finis, præfinit etiam, vel antecedenter, vel concomitanter nostra opera meritoria, & salutaria, tanquam media: erg. ex vi illius volitionis prædestinantis vult Deus opera nostra salutaria, non solum ut proveniunt à sua divina gratia, sed etiam ut

procedunt à libero nostro arbitrio.

8. Arg. contra; solum quod procedit à gratia, conducit ad vitam æternam: sed opera salutaria, & meritoria, prout procedunt à libero arbitrio non procedunt à gratia: erg. prout procedunt à libero arbitrio, non conducunt ad vitam æternam; ac per consequens non sunt effectus prædestinationis. Resp. disting. maj. solum quod procedit à gratia, vel formaliter, vel concomitanter, conc. solum quod procedit à gratia formaliter tantum, neg: disting. etiam min; opera salutaria, prout procedunt à libero arbitrio, non procedunt à gratia formaliter, conc. concomitanter, neg. & neg. consequent. Etenim, cum talia opera meritoria sint supernaturalia, effectivè, & in re dependent à gratia, & dependent à nostra voluntate; nam gratia adjubatur à voluntate, & voluntas movetur à gratia: Unde opera meritoria, & supernaturalia procedunt totaliter à gratia, & procedunt totaliter à voluntate; nam concurrunt una, & eadem indivisiibili actione, quanvis per accommodationem supernaturalitas tribuatur gratiæ, & libertas voluntati. Deinde, nulla ratio considerari potest in prædictis operibus, quæ non dependeat à gratia, ut movente vo-

lunatatem ; & à voluntate , ut  
mota à gratia. Præterea , qui  
fecit nos , sine nobis , non salva-  
bit nos , sine nobis ; neque coro-  
nabitur , nisi qui legitimè certa-  
verit : erg. &c.

9 Conclusio 3. Esse naturale  
prædestinati , non est effectus  
prædestinationis illius. Proba-  
tur , nam effectus prædestinationis  
debet esse volitus , pro poste-  
riori ad illam : atqui esse natu-  
rale prædestinati , non est voli-  
tum à Deo , pro posteriori ad ipsius  
prædestinationem : erg. &c. Major  
patet , nam omnis effec-  
tus est posterior sua causa. Prob.  
min. ex supradictis cum Subtil.  
Doct. in 1. d. 41. q. unic: quod  
prius fuit volitus Petrus à Deo  
in esse existentiæ , & posteà voli-  
tuit illi gloriam : atqui hæc voli-  
tio gloriæ fuit prædestinatione Pe-  
tri : erg. esse naturale , seu exis-  
tentia Petri , non fuit volitum  
à Deo pro posteriori ad ipsius  
prædestinationem , sed potius ante  
illam. Præterea volitio finis  
*cui* , est ante volitionem finis  
*cujus* , seu *qui* : sed volitio , qua  
Deus vult esse naturale , seu exis-  
tentia , est volitio finis *cui* , &  
volitio , qua vult gloriam , est  
volitio finis *cujus* , seu *qui*: erg.  
&c. Insuper subjectum cuiuscumque  
providentia supponitur  
ad illam ; sed prædestinationis est  
species providentia : erg. ejus  
subjectum supponitur ad illam;

ac per consequens non est effectus  
illius. Hoc est valde confor-  
me Doctrinæ Divi Pauli ad Ro-  
manos 8. *quos præsivit , præ-  
destinavit*: id est prius fuit præ-  
visum subjectum prædestinationis ,  
quām prædestinaretur.

10 Arg. contra ; quidquid  
conducit ad consequendam glo-  
riam , est effectus prædestinationis : sed esse naturale prædesti-  
nati , conducit ad consequendam  
gloriam : erg. &c. Prob. min.  
esse naturale prædestinati est  
constitutum ex anima , & corpo-  
re , & simul cum gratia habet  
anima opera meritoria , quibus  
coadjubando corpus fit parti-  
ceps suæ respectivæ gloriæ : sed  
opera meritoria conducunt ad  
consequendam gloriam : erg. &  
causa illorum. Confirm. quia esse  
naturale prædestinati , potest stimu-  
lare prædestinatum ad refer-  
endas Deo gratiarum actiones:  
erg. conduit ad consequendam  
gloriam ; ac per consequens est  
effectus prædestinationis. Resp. 1.  
neg. maj. quia ut sæpè dixi-  
mus , subjectum cuiuscumque  
providentia , non est effectus  
illius ; & tamen conduit ad  
providentiam , ita ut sine illo  
nequeat dari providentia de illo.  
Resp. 2. disting. maj. quidquid  
conducit ad consequendam glo-  
riam , est effectus prædestinationis , si  
conducit tanquam me-  
dium volitum ex yì illius , conc:

si conductit tanquam subjectum prius volitum, neg. Et eodem modo distincta minori, neg. conseq. Et similiter respondet. ad confirmationem.

11. Argu. 2. Bonum ingenium, seu bona indoles sunt effectus prædestinationis: Sed ista identificantur cum esse existentiæ, seu cum substantia prædestinati: erg. substantia prædestinati, seu esse existentiæ illius, est effectus suæ prædestinationis. Confirmatur: nasci tali tempore, tali tempore mori, à talibus parentibus generari, & in tali loco vivere, sunt effectus prædestinationis: sed ab his omnibus pendet esse naturale, seu substantia prædestinati: erg. substantia, seu esse naturale prædestinati, est etiam effectus suæ prædestinationis. Urgetur, nativitas unius hominis potest esse effectus prædestinationis alterius, sic, v.g. nativitas Immaculata Virg. Mariæ, dicitur effectus prædestinationis Christi: g. nativitas cuiuscunque prædestinati potest esse, & est effectus suæ prædestinationis.

12. Ante responcionem est notandum, quod nihil naturale potest esse positiva dispositio, nec proximé, nec remote ad consequendam vitam æternam. Hæc doctrina est definita ab Ecclesia in Conc. Arausic. 2. can. 25. & alibi sèpè, & in Trident. sess. 6. c. 5. & 8. illamque concordi-

ter docuerunt Sancti PP. contra Pelagium, & Semipelagianos. Unde Augustinus lib. 1. ad Simplician. q. 2. inquit, nec bonum ingenium, nec minora peccata, neque honestas disciplinas esse rationem, propter quam uni potius, quam alteri gratia datur. Nihilominus negare non potest, prædicta dona naturalia aliquando in servire ad facilius simul cum gratia exercenda opera meritoria: quod etiam docet D. Augustin. de Bono perseverantiae, cap. 14. Apparet, inquit, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiae, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant. Ratio est, quia gratia non est tota, & sola ratio operationis meritoria, sed ex illa, & potentissimis rationalibus completetur unum integrum principium actus supernaturalis, qui conductit ad vitam æternam. Et experientia constat, quod qui sunt bona indolis, & boni ingenij non ita resistunt correptioni, nec ita petulanter commitunt peccata, sicut qui sunt mala indolis; quia perverti difficilè corriguntur, inquit Spiritus sanctus; & pravum ingenium, geniumque malum ad plura scelera committenda jubant. Ergo prædicta dona saltem negativè sunt dispositiones ad consequendam vitam æter-

nam facilis; hoc est, non sunt positivæ dispositiones, sed nec habent tantam indispositionem, & repugnantiam, quantam habent contraria.

13 Resp. nunc ad i. argumentum disting. maj. bonum ingenium, bonumque genium, seu bona indoles sunt effectus prædestinationis, si sumantur radicaliter, & remotè, neg. si sumantur proximè, & formaliter, subdisting. sunt effectus prædestinationis imperativè, ordinativè, & per accidens, conc. elicitiè proprie, & per se, neg. Et similiter distincta minori negatur conseq. Etenim, bonum ingenium, & bona indoles si sumantur radicaliter identificantur cum esse naturali hominis, & ut sic, sicut tale esse antecedit prædestinationem tanquam subjectum, ita similiter bonum ingenium, & bona indoles. At vero, si sumantur proximè, & formaliter non ita identificantur cum esse essentiali hominis; nam sic accidentaliter illi convenient, cum possint adesse, & abesse absque hominis corruptione, ut patet si quis boni ingenij, & bona indoles cadit in amentiam. Unde si sumuntur formaliter dicunt quandam expeditionem, & aptiorem ultum potentiarum dependentem ab organis corporis, à temperie aeris, loci, alienamenti, &c. quæ omnia cum sint

merè naturalia non sunt à Deo prædestinante, sed à Deo, ut Authore naturæ; & ut prædestinante ordinantur ad consequentem gloriæ prædestinata. In hoc ergo sensu dicimus, quod hęc, & alia dona ordinis naturalis sunt elicitiè effectus providentiae naturalis; imperativè tamen, & ordinativè possunt esse effectus providentiae supernalis, seu prædestinationis; quia sic sumpta decernuntur à Deo post præfinitionem intentivam gloriæ; immò, & quam plurima post præfisionem peccati Adami, & post præfinitionem Christi in carne passibili.

14 Ad confirmat. responderet. similiter, quod nasci tali tempore, à talibus Parentibus, tali loco, & tali tempore, & loco mori fuerunt præfinita post præfisionem peccati; quia si peccatum non esset, reprobri non nascerentur; & tunc multi electi, qui ab ipsis, vel ex ipsis nunc nascuntur, nascerentur ex alijs electis; & mors per peccatum introivit in mundum. Unde omnia ista bene potuerunt ordinari à Deo ad consequendam gloriam post præfinitionem ipsius gloriæ; non tamen esse simpliciter, seu substantiale prædestinationi, quod semper supponitur ad prædestinationem tanquam subjectum illius. Similiter resp. ad ul-

ultimum; quia nativitas unius potest præfiniri à Deo post prædestinationem alterius, & ordinare illam ad consequendam aliquiliter gloriam; sed proprium unius cuiusque esse semper præsupponitur ad suam propriam prædestinationem; ac per consequens nequit esse effectus illius.

15 Conclusio 4. permisso peccati, non est effectus prædestinationis. Hæc conclusio est juxta, & contra plures Theologos. Probatur illis probationibus quibus supra probavimus, bona occasionata ex peccato, & indispensabilitè connexa cum illo non posse præfiniri à Deo ante absolutam prævisionem peccati, sed post ipsam; sicut post prævisionem peccati Adami, præfinivit in Christo munus Redemptoris sublebativi; nam ex præfinitione alicujus boni tenetur Deus præfinire quidquid cum ejus executione est connexum; atque ita teneretur Deus ex se ipso, & ante prævisionem prævæ volitionis creatæ, ad positionem illius, & esset author peccati: ergo si militè nequit dici, quod permisso peccati sit effectus prædestinationis; quia cum sit author omnium effectuum, quos vult ex amore prædestinationis, sequeretur esse authorem peccati. Confir. quod est impeditivum finis voliti, nequit esse effectus volitionis vo-

lentis finem: atqui permisso peccati, & peccatum (quod non esset, si permisso non esset) sunt impedimentum finis voliti per prædestinationem: erg. &c. Videantur dicta loco citato.

16 Argum. contra ex Div. Paul. ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; ubi glossa, *etiam peccata, quatenus sunt materia exercenda virtutis, humilitatis, &c.* Et Div. Aug. 14. de Civit. Dei, cap. 13. *Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquid apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderunt.* *Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quam sibi placuit quando præsumpsit.* Id ipsum sonant quām plurimæ alia authoritates, tām Sacra Scripturæ, quām SS. PP. ergo permisso peccati est effectus prædestinationis. Resp. i. neg. conseq. quia non omnia, quæ cooperantur in bonum prædestinationis illorum. Hoc est petitio principij, & in hoc principio semper stamus; quia juxta Subt. Magist. Deus præscit peccata, quia præscit se cooperari; & scit se cooperari ad illa, quia vult cooperari, & vult cooperari, quia voluit voluntatem creatam agere motus suos, ut sic exerceat munus primæ, cum sit universalis causa: nunquam au-

autem vult Deus permissionem peccati ex vi volitionis prædestinantis, quod erat necessarium, ut prædestinationis effectus esset.

17 Resp. 2. disting. consequens; permisso peccati in predictis circumstantijs est effectus prædestinationis indirecte, immediate, valde impropriè, & per accidens, conc. propriè, directe, immediate, & per se, neg. Etenim, ante prævisionem peccati, tam Luciferi, quam Adami, fuerunt prædestinati tam Angeli, quam homines ad gloriam in certis, ac determinatis gradibus gloriae, ut inquit Subtilis. Doct. ex hac volitione prædestinativa fuerunt virtualiter præfinita merita, etiam in gradibus correspondentibus; & sicut Angeli posuerunt illa in executione, absque innixione peccatorum, pœnitentia, & martyrij, &c. ita posuissent homines, si non pecavisset Adamus: hæc autem merita essent effectus prædestinationis directe, immediate, & per se, sicut fuerunt merita Angelorum: cur? quia nulla alia volitione Dei interposita, ad alium rerum ordine pertinente, ex vi primæ illius volitionis prædestinativa, fuissent à Deo præfinita, volita, & disposita, tanquam beneficia orta ex illo primo beneficio à Deo antecedenter, ex se, & gratuitò prævolito. Peccavit Ada-

mus, & peccaverunt alij homines; prævidit Deus omnia peccata, & omnes sauitias Tyrannorum in maryres, quia isti defendebant, prædicabant justitiam, & veritatem; & tunc præfinivit pacientiam martyrum, & pœnitentiam peccatorum in prædestinatis, & ista opera occasio- nata ex peccatis ordinavit adnierendam præfinitam gloriam, & hæc merita subrogavit loco illorum meritorum, quæ in materia aliarum virtutum independentium à peccato, habuissent, si peccata non fuissent.

18 Ecce quot intermissiones fuerunt, quotque volitiones permisiva Dei præcesserunt, speciantes ad ordinem providentia naturalis, & generalis, qua decrevit relinquere hominem in manu consilij sui, & non impedire, seu permittere motus præbos suos; & postea ex ejus infinita sapientia, omnipotentia, & providentia speciali erga electos, eliciens oleum de saxo durissimo, ut ait Scriptura Deut. 32: faciens ex malis bona, jam quod homines ex bonis faciunt mala, dispossuit, quod etiam peccata cooperentur in bonum prædestinatis suis, eliciens in aliis majorem humilitatem post lapsum, ut in David: bonum mihi, quia humiliasti me: in alijs pacientiam martyrum; in alijs pœnitentiam; & pro omni-

nibus mortem Christi : ergo de primo ad ultimum omnia ista sunt media ad consequendam gloriam occasionaliter subrogata , indirecta , mediata , & per accidens , occasione accepta ex fine adimplendi munus causæ primæ , & universalis , & ex condescensione cum libertate creatra ; non verò immediate , per se , & ex complacentia illius specialissimæ volitionis , qua præfinivit Angelis , & hominibus electis gloriam. Cum hac doctrina respondeatur ad omnes Authoritates , stando semper , quod Deus ex se , & antecedenter non vult aliquid bonum ex quo necessariò , & indispensabiliter sequatur malum.

19 Sed ut pœnitùs omnis æquivocatio tollatur , replicabis : gratia primò data , & per peccatum interrupta , & gratia per pœnitentiam restituta procedunt ab illa eademmet voluntate primaria , & efficaci dandi gloriam ; ergo , & bona simpliciter talia , seu immediata , & bona occasionata procedunt ab illa , & eademmet voluntate primaria dandi gloriam : ergo , & permissione peccati , ex quo occasionantur talia bona procedit ab eadem primaria voluntate dandi gloriam. Resp. neg. ultimam consequentiam ; nam voluntas efficax dandi gloriam electis , est voluntas specialissima ; voluntas

verò permittiva peccati , & voluntas cooperandi ad materiale illius , est voluntas generalissima concurrendi ad omnes operaciones causæ secunda. Concedimus autem , quod gratia interrupta , & gratia reparata ; & similiter bona simpliciter talia , & bona occasionata , omnia procedunt ab illa primaria efficaci voluntate dandi gloriam nam per illam volitionem expressam dandi gloriam fuerunt virtualiter volita omnia merita , quibus consequenda erat talis gloria : & cum non minùs consequatur per gratiam reparatam , & per merita occasionata , quam per primam gratiam , & per merita simpliciter talia , & immediata ; hinc est , quod in illa prima volitione includitur volitio reparandi , si opus fuerit , & ex vi illius tollitur impedimentum peccati ; ideo etiam concedi potest , quod merita occasionata , & gratia recuperata sunt per se effectus prædestinationis ; sed non per se simpliciter , sed per se occasionaliter , & mediate , quia mediante peccato , & occasione illius fuerunt præfinita ad reparandam consequentem finis illius primæ volitionis : attamen cum hec prima specialissima volitio dandi gloriam non petat per se permissionem peccatorum , nec peccata , ( utpote impeditiva sui finis ) nec insuper pe-

petit per se , quæ occasianatur ex permissione peccatorum , & ex peccatis : ergo permisso pec-  
cati valde impropriissime , val-  
deque remote potest appellari ef-  
fectus prædestinationis ; quatenus , nempe , est occasio , ut sub-  
rogentur pro primis immediatis ,  
& directis effectivus , seu medijs ,  
alia media , seu alij effectus .

## §. UNICO.

*DUBITABIS , AN SINT ,  
& quæ signa prædestina-  
tionis?*

20 **A**nte resolutionem ,  
neminem absque revelatione pos-  
se scire , certo , & infallibiliter  
se esse de numero prædestinato-  
rum , nec quantus sit numerus  
illorum . Est de fide , ut constat  
ex Trident. sess. 6. cap. 12. &  
16. & can. 15. & 16. contra  
Calvinum , & alios Hæreticos ,  
asserentes , omnes fideles teneri  
credere fide divina se esse præ-  
destinatos . Contra quos definit  
Tridentinum : „ Si quis , mag-  
„ num illud perseverantia do-  
„ num , se certo habiturum , ab-  
„ soluta , & infallibili certitudi-  
„ ne dixerit , nisi hoc speciali  
„ revelatione didicerit , anathe-  
„ ma sit . Hoc ipsum colligitur  
ex Sacra Scriptura , Ecles. cap.  
9. „ Nescit homo , utrum amo-

„ re , an odio dignus sit , &c.  
„ sed omnia in futurum servan-  
„ tur incerta . Hoc intelligitur de  
odio finali , & aeterno ; nam de  
odio temporali bene scit dum est  
in peccato mortali . „ Et ad Phi-  
lipens. 2. cum metu , & tremore  
„ salutem vestram operamini : &  
„ qui se existimat stare , videat,  
„ nè cadat . Ratio est , quia præ-  
destinatio à sola Dei voluntate  
pendet , & quæ ita sunt , sciri  
non possunt , nisi ipse revelet .  
Deinde nostra mater Ecclesia  
canit : „ Deus , cui soli cognitus  
„ est numerus prædestinatorum  
„ in superna felicitate locandus .

21 His non obstantibus ,  
aliqua signa extant , medijs qui-  
bus , potest conjecturaliter cog-  
nosciri , aliquem esse , vel non esse  
de numero prædestinatorum ; nam  
talia signa , & indicia si in homi-  
ne perseverant , & cum illis ho-  
mo moritur , satis manifestant  
felicissimam ejus sortem , ut in-  
quit D. Bernardus Sermone 1. in  
Septuag. his verbis : Propriètate hoc  
data sunt signa quædam , & in-  
dicia manifesta salutis , ut indu-  
bitabile sit , eum esse de numero  
electorum , in quo ea signa per-  
manserint , quibus signis electis  
consolatio ministratur , & subs-  
trahitur reprobis excusatio .

22 Primum igitur signum  
est simplicitas , & animi candor ,  
duilitas , & docilitas ; quia cum  
Christus , qui est princeps præ-  
des.

destinatōrum, dicatur pastor bonus, & prædestinati oves ejus; & agnorum, & ovium sit quasi character, esse simplices, & duc-tiles; propterea docilitas, sim-plicitas, & candor sunt signa prædestinationis. Secundum signum est, & valde magnum cor-dialis affectio erga Immacula-tam Virginem Mariam, ut Al-a-nus de Rupe in Psalterio Virgi-nis cap. 11. per hæc verba: Ha-bentibus devotionem ad hanc Dei-param, signum est ordinis elec-tionis, & prædestinationis per-magnum ad gloriam. Et Anselm. cap. 4. de Excellent. Virg. ait: Gui concessum fuerit sâpè dulci studio posse cogitare de illa, mag-num promerendæ salutis indi-cium est. Et idem Anselm. apud Sanctum Antoninum, 4. parte, cap. 14. §. 7. Sicut impossibile est, ut illi, à quibus oculos suæ misericordiaæ avertit, salventur; itâ necessarium est, ut hi, ad quos con-virtat oculos suos, pro eis ad-vocans, justificantur, & glorifi-entur. Et Ecclesia illi tribuit il-lud Proverb. 8. versic. 35. & 36. Qui me invenerit, inveniet vi-tam, & hauriet salutem à Do-mino; qui autem in me peccave-rit, laderet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mor-tem. Et Seraph. noster Doct. S. Buenavent. in spec. cap. 7. in-quirit: Sicut, O Beatissima Vir-go! Omnis à te aversus, necesse est, ut intereat; itâ omnis ad te

Tom.I.

conversus, & à te respectus, im-possible est, ut pereat. Insuper Eccles. 24. In electis meis mit-te radices, & qui elucidant me vitam æternam habebunt. De-nique ( omitendo alia innumer-a testimonia ) ex illo 3. Reg. cap. 2. ubi ait Salomon ad Sacer-dotem Abiathar: Et quidem vir mortis es, sed hodie te non in-terficiam, quia portasti arcam Domini. Ob quod Ossorius to-mo 4. ait: Multi in inferno jam essent detrausi, nisi hanc portas-sent arcam in corde suo.

23 Tertium signum est ora-tio continua, ut patet ex Psal. 65. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & mi-sericordiam suam à me. Supra quæ verba ait Aug. Cum vide-ris non à te amotam depræcacio-nem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia ejus. Quartum signum est Humi-litas; nam ut ait Gregor. lib. 34. moral. circa finem: Quia Re-demptor noster corda regit hu-milium, Leviathan Rex super-borum, aperte cognoscimus, quod evidentissimum reproborum sig-num est superbia; & econtra humilias electorum. Et Math. 24. Qui se humiliat, exaltabi-tur. Signum 5. prædestinationis est, humiliis resiguatione in di-vina voluntate; undé ait No-varinus lib. de Divino amore capit. 22. Quædam prædestinata nota est, a quo animo ferre, se

Eee

neſ-

nescire esse prædestinatum. Signum 6. est, libenter audire verbum Dei, & delectari platicis spiritualibus, Joann. 8. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Beatus, qui audiunt verbuna Dei, &c. Unde S. Bernardus serm. 1. in Septuag. inquit: Inter ea, quæ fiduciam præstant, & materiam spei, unum illud maximum est, de quo nunc capimus loqui; Qui ex Deo est, verba Dei audit. Signum 7. est, injurias condonare, & inimicos diligere: Diligite inimicos vestros, benè facite his, qui oderunt vos; orate pro persequentibus, & calumniantibus vos; ut sitis filii Patris vestri, qui in Cœlis est. Math. 5. vers. 44. Diligite inimicos vestros (inquit S. Aug. tract. 5. epistola Joann.) nam dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli. Hinc etiam est caritas fraterna: in hoc cognoscunt omnes (inquit Christus Joannis 13.) quia discipuli mei estis, si adinvicem diligatis.

24 Signum 8. prædestinatio-  
nis est, compassio, & misericor-  
dia in Pauperes, & egenos, Psal.  
40. Beatus qui intelligit super-egenum, & pauperem. Et S. Pe-  
trus Chrysolog. serm. 8. de Jeju-  
nio, & eleemosyna: Dicturus cau-  
sam in judicio Dei, patronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, assume. Qui de patrocinio misericordiae certus est, de venia sit securus, de ab-

solutione non dubitet. Miseri-  
cordia non solum causam præve-  
nit, anticipat cognitorem, sed etiam sententiam revocat, absolu-  
vit addicatos::: fratres, per mi-  
sericordias pauperum misericor-  
diam paremus, ut possimus esse  
de pena liberi, de salute securi,  
&c. Signum 9. est, adversa for-  
tuna, tribulationes, ærumnæ,  
afflictiones, persecutio-nes, mor-  
bi, & quæcumque alia mala li-  
berenter, & cum pacientia pro  
Deo tolerata: Quos præscivit,  
& prædestinavit conformes fieri  
imaginis filij sui. De Christo Lu-  
ca 24. vers. 26. dicitur: Nonne  
hac oportuit pati Christum, &  
ita intrare in gloriam suam? Un-  
de S. Cyprianus, serm. 3. de  
Bono patientiæ: Nihil aliud ma-  
gis injustos discernit, & justos,  
quam quod in adversis per im-  
patientiam perjurat, & blasphemat  
injustus; patientia autem  
justus probatur. Et S. Gregor.  
Magnus, 26. moralium, capit.  
17. Electorum namque est hic  
conteri, ut ad premia debeant  
eternæ hereditatis erudiri::: eant  
ergo nunc reprobi, & volunta-  
tum suarum desideria multa ini-  
quitatem consumant; atque eò  
temporalia flagilla non sentiant,  
quò eterna supplicia expectant.  
Et lib. 10. cap. 17. Sæpè contin-  
git, ut electus quisque, qui ad  
eternam felicitatem ducitur ten-  
tinua hic adversitate deprima-  
tur.

25 Signum 10. prædestinationis est, vocatio ad Religionem, ut ostendit Hieronymus Platus, de Bono status Religiosi, lib. 1. cap. 32. ubi citat Laurentium Justin. dicentem: *Magnum quippe electionis indicium est hujus fraternitatis habere consortium.* Idem docet S. Bernardinus, serm. 7. in festo Pentecostes, ibi enim labores, vigilias, macerationes, & similes observantias religiosorum pro signis prædestinationis assignat. Colligitur etiam ex 1. lib. Reg. cap. 1. ubi habetur: „Si Deus „nos perdere voluisset, sacrificia de manibus nostris (quælia sunt vota) non accepisset, &c. Et Luce 18. vers. 29. & 30. ait Christus D. „Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut Parentes, aut Fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.

26 Denique, omittendo alia quamplurima, apud RR. vindenda, etiam sunt signa octo beatitudines Evangelicæ, quis Christus D. docuit Mathei 5. „Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum. Beati mites quoniam ipsi posidebunt terram. Beati qui lugent. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Beati misericordes. Beati mundo corde.

„Beati pacifici. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Videat nunc se ipsum unusquisque, & secundum signa, quæ ex dictis in se ipso experietur, poterit esse magis, vel minus securus de sua prædestinatione. Quæ invis tamen omnia præfata signa habeat, sine revelatione nunquam habebit securitatem infallibilem, sed solum moralem quandam certitudinem, & fiduciam; nam etiam si pro nunc bene vivat, & usque nunc omnia signa habeat, semper debet cum metu, & tremore suam salutem operari; quia nemo scit, an sit perseveratus, & perseverantia finalis est absolute necessaria ad consequendam gloriam. Sed quænam eis esse poterit consolatio inter spem, & metum, qui nullum electionis sive testimonium, aut signum experientur? Cuilibet istorum inquit Augustinus: *Si non est prædestinatus, fac ut præstineris.* Hoc est, si nondum in te sentis signa prædestinationis, fac, ut experiaris. Vel aliter: Si es inquietus, nullam securitatem habens de tua prædestinatione, serva mandata: hoc fac, & vives: fac semper bona opera, adimple omnes tuas obligationes; exequere quæ in præfatis signis continentur, & sume tibi morallem certitudinem tuæ prædestinationis; quicelce in tuis scrupulis, non sis inquietus, nec per-

turbatus; nam secure vitam æternam habebis. In hoc sensu intelligitur etiam S. Petrus, dum inquit: *Sattagite, ut per bona opera certam vestram vocacionem, & electionem fariatis.* Et alia hujusmodi authoritates: Sicut per oppositum intelliguntur alia, quibus oramus Deum, ut ab æterna damnatione eripiamur, & in electorum gregre numeremur: nam ut Apostolus 2.

Chorinth. i. inquit: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ;* quia nostra conscientia secundum opera clamat; ex bonis operibus dat testimonium gloriae; ex malis vero testimonium damnationis: & benè petimus, atque oramus, ut Deus misereatur nostri, & per suam gratiam nos eripiat ab hoc malo testimonio, & collocet in bo-

## TRACTATUS III. DISPUTAT. II.

### DE REPROBATIONE IMPIORUM.

**S**uppositis dictis in initio præcedentis Disputationis, quæ ferè omnia hic applicari possunt; nunc qua specialia reprobationis sunt, breviter resolvemus. Pro quibus sit.

**QUÆST. I.**  
**QUALITER PRÆFINITIO**  
*divina se habeat ad reproba-*  
*bationem?*

**I** **R** RO intelligentia quæstionis notandum est i. quod hoc nomen *reprobatio*, habet triplicem significationem in Sacra Scriptura; primò enim significat dissensum, quo aliqua res non judicatur apta ad aliquem finem, ut Psalm. 32. *Deus reprobavit consilia Principum;*

& ad Corinth. i. *Prudentiam prudentium reprobabo;* id est non assentiam, neque approbablo eorum judicia; & in hoc sensu opponitur reprobatio approbationi intellectus, & ad intellectum pertinent, tam approbatio, quam reprobatio. Secundo, significat *non electionem*, seu negationem electionis ad aliquod bonum, juxta illud Psalm. 117. *Lapidem reprobarerunt adifi- cantes &c.* Et sic opponitur contradictoriæ electioni ad gloriam, & gratiam, in qua electione, seu præfinitione diximus consistere prædestinationem secundum ordinem intentionis: in hoc sensu pertinet reprobatio ad voluntatem, sicut elecio, seu præfinitio, cuius est negatio.

Ter-

Tertio significat positivam ordinationem, & deputationem ad malum pœnae, juxta illud ad Corinth. i. *Ne cum alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar:* & sic opponitur contrarie reprobatio electioni ad gratiam, & gloriam.

2 Notandum est 2. quod in Deo datur duplex reprobatio, *positiva*, scilicet, una, & *negativa* alia. Reprobatio *positiva* est præfinitio, seu volitio Dei, qua positivè excludit reprobos à gloria, & eos destinat ad inferni pœnas. Reprobatio *negativa* non est aliqua præfinitio, seu volitio positiva, sed pura negatio præfinitionis efficacis ad gloriam, & pura negatio efficacis electionis ad gratiam; quam negativam reprobationem expresse tenet Subt. Doct. in 1. d. 41. quæst. unic. §. Contra istud, vers. dici potest: *Quod in isto primo instanti nihil vult Judæ, sed tantum est ibi negatio volitionis gloriae.* Et similiter quasi in secundo instanti naturæ quando vult Petro gratiam, adhuc nullus actus positivus voluntatis divinæ est circa Judam, sed tantum negativus. Et in 3. d. 19. quæst. unic. §. In ista quæstione, vers. Quantum ad primum, inquit: *In 3. signo prædestinavit hos ad gloriam, & gratiam, & circa alios habuit actum negativum, non prædestinandi:* erg.

censet Marian. Doct. dari reprobationem negativam; quia in illis signis se habuit Deus suspensivè, nec positivè præfiniendo ad gloriam, nec positivè excludendo ab illa, nec positive destinando ad pœnam.

3 Nunc autem est difficultas, an sicut præfinitio ad gloriam fuit ante prævisa merita; ita pariter reprobatio, tam negativa, quam positiva fuerit ante prævisa demerita, vel concomitantè, vel subsequentè? Circa quam difficultatem AA. qui defendunt post prædestinationem, seu prædestinationem post prævisa merita, inquiunt, quod etiam reprobatio est præfinita post prævisa demerita; immò negant dari reprobationem negativam; nam inquiunt, quod nulla facta fuit discretio inter electos, & non electos ante meritorum, & demeritorum prævisionem: unde pro eodem signo, quo Deus quosdam præfinivit efficaciter ad gloriam ex prævisis gratiæ meritis, alios pariter ab eadem gloria præfinivit positivè excludere ob prævisa demerita, vel ob originale peccatum; & pro eodem signo, quo electis decrevit gratiam efficacem, alijs præfinivit gratiam sufficientem, & à gratia efficaci positivè exclusit. Quam sententiam defendit etiam ex Scotistis Faber in 1. disput. 52. cap. 1. num. 14. apud

M. str. hic, artic. 3. num. 257.  
& Durand. tom. 1. tract. 5. dispu-  
t. 2. quæst. 1. apud Bezerra hic,  
quæst. 2. q. 1. num. 33.

4. Inter Autores verò , qui nobiscum propugnant ante prædestinationem, seu præfinitionem ad gloriam , & gratiam ante prævisa merita , est gravis dissensio circa hanc difficultatem ; nam aliqui defendunt , quod reprobatio , tām positiva , quām negativa fuit præfinita ante prævisionem demeritorum ; alij contra defendunt , reprobationem positivam factam fuisse post prævisionem peccatorum personalium ; negativam autem post prævisionem , & ex prævisione peccati originalis. Scotistæ communiter , tām antiquiores , quām RR. tenent cum Subr. Doct. citato , reprobationem negativam fuisse ante prævisa demerita ; positivam verò post demerita prævisa . Cum quibus sit

5. Conclusio 1. Reprobatio negativa fuit ante prævisa demerita reproborum. Probat. ex D. Paulo ad Rom. 9. dicente: „Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni , aut mali egissent ( ut secundum electio nem propositum Dei maneret ) non ex operibus , sed ex vo cante dictum est ei : quia major serviet minori ; sicut scriptum est: Jacob dilexi , Esau autem odio habui . In quibus

verbis loquitur Apostolus sub metaphora de prædestinatione electorum ante prævisa merita , & de non prædestinatione , seu de reprobatione negativa reproborum ante prævisa demerita , ut satis aperte insinuat ipse Apostol nam sibi obiicit : „ Numquid iniquitas est apud Deum ? Nempè , quod Jacob , & non Esau elegerit . Et respondet: „ Miseretur cuius vult , & quem vult inducat . An non habet potestatem figulus lutii ex ea dem massa facere aliud quidem vas in honorem , aliud verò in contumeliam ? Et concludit , quasi totum imperscrutabile relinquendo ( verba sunt Scotti ) „ ò altitudo divitiarum sapientiae , & scientiae Dei ! Et quis novit sensum Domini , aut quis consiliarius ejus fuit ? Atqui prædictus locus nequit intelligi de reprobatione positiva ; quia hæc subsequitur , & præfinita fuit post demeritum , ut conclusione sequenti dicemus : ergo intelligitur de odio negativo , seu denegativa reprobatione ; quia reducit Paulus in merum Dei beneplacitum . Sic etiam plures Expositores explicant , illud Lucę 14. Si quis venit ad me , & non odit Patrem suum , hoc est , & non desinit voluntarié , & liberé amare illum , non potest meus esse discipulus . Et Joann. 12. qui odit animam suam in hoc

hoc mundo , hoc est , qui non diligit , seu non amat , in vitam æternam custodit eam. Sic ergo Deus Esau; & omnes non electos odio habuit ante prævisa demerita , id est , non dilexit , seu minus dilexit quam electos.

6 Nec ex hoc inferas ( inquit Subt. Doct. ubi supra ) Deum esse acceptatorem personarum ; implicat enim in Deo acceptatio personarum ; quia quando aliqua duo sunt æquè volibilia , & ordinabilia ad aliquem finem , & ex parte sui habent rationem illum , propter quam sunt volenda ab aliqua voluntate , voluntas præacceptans unum illorum alteri ad illum finem , peccat secundum acceptationem personarum ; talis est autem omnis voluntas creata , quia respectu illius bonitas amabilis est ratio recte amandi. Non sic voluntas increata respectu alicujus boni alterius ab essentia sua. Nullum enim aliud bonum ( quia bonum ) ideò amat ab illa voluntate , sed è converso , & ideò non potest acceptare personas , quia non est in eis bonitas , quæ sit sibi ratio amandi.

7 Confirmatur ex D. Aug. qui sic frequenter exponit prædictum locum Pauli , & tractatu 26. in Joann. inquit : Cùr hunc trahat , illum non trahat ? Noli judicare , si non vis errare. Et Epist. 105. circa medium : Cùr

autem istum potius quam illum liberet ? Scrutetur , qui potest , judiciorum ejus , tam magnum profundum ; verum tamen caveat præcipitum. Idem habet , cap. 9. de Prædest. Sanctorum , & alibi , sèpè , exclamans cum Apostolo : ò altitudo divitiarum sapientiæ , & scientiæ Dei , quam incomprehensibilia sunt judicia ejus , & investigabiles viæ ejus ! Ergo reprobatio negativa non supponit causam , ex parte reprobi , ac per consequens refunditur in solum incomprehensibile beneplacitum Dei.

8 Urgetur hoc : Deus est ita supremus gloriæ Dominus , sicut est Dominus supremus gratiæ efficacis : atqui ante prævisa demerita negat , seu non concedit gratiam efficacem : ergo similiter poterit denegare , seu non concedere efficacitatem gloriam ante prævisa demerita. Major cum consequentia tenet , & minor patet in nostro primo parente , cui ante prævisum demeritum , negavit , seu non dedit illi gratiam efficacem ad evitandum primum peccatum , scilicet , originale. Patet etiam in Angelis malis , in quibus nullum fuit prævisum peccatum nec actuale , nec originale , in signo illo , in quo possitive præfinivitunos ad gloriam , & negative se habuit circa alios : ergo sicut ad reprobationem negativam Angelorum , nulla pax

cef.

cessit culpa, neque præcessit ad reprobationem purè negativam hominum.

9 Arg. i. perditio hominis in eo principaliter consistit, quod non sit ordinatus ad gloriam efficaciter: sed negativa reprobatio est non ordinatio ad gloriam efficaciter. Ergo perditio hominis consistit principaliter in negativa reprobatione. Subsumo, atqui perditio hominis consistit in suis demeritis: ergo negativa reprobatio est ex demeritis prævisis. Minor subsumpta probat. ex illo *Osseæ perditio tua ex te, Israel.* Et ex illo D. Petri, *Deus nem nem vult perire:* erg. &c. Confrim. Deus neminem deserit; nisi prius deseratur ab ipso, sed reprobare negativè aliquem, est illum deserere: g. Deus non reprobat negativè aliquem, quin prius deseratur. Atqui deserere Deum, est peccatum: ergo Deus neminem reprobat negativè ante prævisionem peccati. Urgetur: nequeunt in Deo admitti simùl velle, & non velle aliquid idem, & invariatum manens: atqui si daretur reprobatio negativa ante prævisa demerita, daretur velle, & non velle aliquid omnino invariatum: ergo, &c. Prob. min. Deus habet quantum est ex se velle salvare omnes: sed reprobatio negativa est non velle salvare reprobos: ergo si reprobatio negativa datur ante prævisa demerita, darentur in Deo si-

mùl velle, & non velle circa reprobos eodem modo se habentes, & omnino invariatos.

10 Respond. ad i. neg. maj. quia ex vi reprobationis negativa non sunt homines absolute, & simpliciter reprobi; siquidem ex vi illius nihil disponitur circa ipsos; cum merè negativè, seu purè suspensivè se habeat divina voluntas; ita, ut pro sequentibus signis possint à Deo eligi, vel aliter providere de illis. Ita respondet Mastr. num. 261. ex Lichet. in r. d. 41. §. respondeo ad dubia. Etenim reprobatio negativa, prout importat meram suspensionem ordinationis efficacis ad gloriam, non est radix perditionis hominis; quia non dicit positivam exclusionem à gloria, & stat cum ordinatione sufficienti ad illam, & ad ejus consecrationem præstat Deus sufficientia media, quibus, si bene uteretur homo, salvaretur. Unde per illam suspensionem non voluit Deus reprobare, aut non eligere pro sequentibus signis; sed tantum voluit non habere ultimam determinationem pro illo signo: sicut in illo signo antecedenti, quo voluit Deus omnes homines salvos fieri, intelligitur illa suspensio, non solum circa reprobos, sed etiam circa prædestinados sequenti signo, & pro illo nondum præfinitos efficaciter ad gloriam,

riam , cum quia non præfinitione , seu suspensione stat , quod in posteriori signo detur efficax præfinitio prædestinatorum. Ita similiter , licet Deus se habuerit negativè circa reprobos in illis duobus signis , quibus præfinxit efficaciter gloriam , & gratiam prædestinatis ; non ob hoc præcluditur locus eorum saluti , nec janua clauditur eligendi illos , quo usque appareat peccatum , ob cuius prævisionem positivè reprobantur : ergo perditio hominis ex ipso homine ortum habet ; auxilium verò gratia sufficientis , quo posset illud evitare , si vellet , oritur ab ipso Deo.

11. Replicabis ; iusta Subt. Doct. citatum , posita reprobatione negativa , & volitione permittendi peccatum in Juda , sequitur quod Judas erit finaliter peccator : ergo perditio Judæ oritur ex negativa reprobatione. Deinde , si adhuc posita reprobatione negativa , possunt sic reprobi pro sequentibus signis prædestinari : ergo ex vi primi decreti prædestinativi , non manet certus , & determinatus numerus prædestinatorum , quin possit augeri pro sequentibus signis. Respond. cum Mastrio , & Antonio Perez , explicando Subt. Doct. sequitur , seu est verum , quod Judas erit finaliter peccator , sequitur moraliter , seu congruerter , conc. Sequitur

physycè , aut metaphysicè , ne-  
go ; quia physicè , & metaphysi-  
cè potuit evenire oppositum , si  
Judas voluisse cooperari auxi-  
lijs sufficientibus. Quod hæc sit  
mens Scotti , patet ex sequentibus  
ipsius verbis : *In quarto instanti*  
*( inquit ) offertur Judas , ut pecca-*  
*tator finaliter voluntati divine* ;  
*& tunc ipse vult justè punire , &*  
*reprobare Judam.* Ergo usque  
ad hoc signum , in quo prævide-  
tur finaliter peccator , pôterat  
prævideri finaliter pœnitens , &  
sic salvaretur , si ipse voluisse coo-  
perari gratia sufficienti , quæ ne-  
mini negatur ; & quia libere non  
voluit finaliter cooperari , sed  
finaliter resistere illi , tunc positi-  
vè reprobatur. Ad 2. respond.  
conc. conseq. nec ex hoc sequi-  
tur aliquod inconveniens ; quia  
quod soli illi , & non alij salven-  
tur , non provenit ex vi illius  
primi decreti , sed alterius pos-  
terioris , præviso finali peccato ;  
& dum accedit , completur tota  
series providentia supernaturalis  
prædestinativè , & reprobativè .

12. Cum hac doctrina facile  
respondeatur ad reliquum primi  
argumenti ; conceditur enim  
major , & neg. min. quia stante  
negativa reprobatione , manet in  
Deo voluntas seria , antecedens ,  
& generalis salvandi omnes , vi  
cuius nulli creaturæ rationali  
denegantur auxilia ad salutem ;  
ac proinde homines , & Angeli  
per non præfinitionem efficacem

ad gloriam, & gratiam, non deferuntur à Deo ; immò stante illa concedit quidquid est illis debitum ex vi elevationis ad consequendum finem supernaturalem sufficienter ; neque ex vi illius manet Deus adstrictus ad illis denegandum auxilium efficax. Ad ultimum respond. conc. mai. & neg. min. cuius probatio- nis distinguit. maj. Deus , quantum est ex se , habet velle salvare omnes , antecedens , sufficiens , & universale ; conc : habet velle salvare omnes efficaciter , conse- quens , & speciale , neg. Et dis- ting. min. reprobatio negativa est non velle salvare reprobos , est non velle efficax , consequens , & speciale , conc. est non velle sufficiens , antecedens , & uni- versale , neg. & neg. consequent. Vel alijs terminis , reproba- tio negativa est non velle salvare reprobos , contradictorie oppo- sitam volitioni speciali , quam habet circa prædictinatos , conc. contradictroriè oppositum voli- tioni generali , quam habuit circa omnes homines , & circa omnes Angelos , neg. & neg. conseq. Distinctio hæc satis patet ex terminis , & ex supra dic- tis.

13 Conclusio 2. Reprobatio positiua non fuit præfinita à Deo antecedenter , nec concomitan- ter , sed subsequenter ad prævi- sionem peccati finalis. Sic com- muniter Scotistæ , cum Subr.

Doctore in 1. d. 41. q. unic. §. potest al ter. vers. Secundum pro- batur. ubi ait : *Dannatio non videtur bona , nisi quia justa;* nam secundum Aug. 11. super Genes. cap. 24. Non prius est Deus utor , quam aliquis sit peccator. *Videtur enim esse crude- litat's punire aliquem non præ- existente in eo culpa; igitur à simili non vult Deus prius aliquem pu- nire , quam videat aliquem esse peccatorem.* Non igitur primus actus voluntatis divinae circa Ju- dam est velle damnare Judam , prout Judas offertur in puris na- turalibus , quia tunc videretur velle damnare sine culpa , sed vi- detur , quod oportet Judam of- ferri voluntati divinae sub ratio- ne peccatoris antequam velit ip- sum damnare : ergo cum repro- bare sit velle damnare , reprobatio habebit ex parte objecti rationem aliquam , scilicet , peccatum fi- nale prævisum. Et paulo inferius , inquit .: *Nec mirum , quod non ponitur similis processus prædicti- nationis , & reprobationis; quia bona omnia attribuuntur prin- cipaliter Deo :* mala autem nobis .: *Et ita Deum prædictinare sine ratione ( hoc est sine prævisione meritorum ) congruit bonitati sue ; sed ipsum velle damnare , non videtur sibi imminente posse attribui .: Nisi respectu cogniti in peccato mortali finali.*

14 Probatur jam conclusio ex Sac. Scriptura , nam sapient. 1.

Deus

*Deus mortem non fecit , nec de-  
leatatur in perditione viventium.*  
Ezech. 18. *nolo mortem pccato-  
ris , sed magis ut convertatur &  
vivat. Officæ 13. perditio tua ex  
te Isrrael ; tantummodo in me  
auxilium tuum. Et 1.ad Thimoth.  
2. Deus vult omnes homin s sal-  
tos fieri. Et alia similia, quæ pos-  
sunt videri apud nostratæ: Atqui  
genuinus , & proprius sensus if-  
torum non daretur , si reprobatio  
positiva præfinita fuisset ante præ-  
visa demerita , & non post præ-  
visa : ergo præfinita fuit post  
prævisa demerita , & non ante.  
Prob. min. Tum , quia inintel-  
ligibile est , quod Deus non fe-  
cisset , aut non voluisset mortem ,  
si ante demerita prævisa positivè  
reprobasset ; quia si antecedenter  
& absque causa ex parte  
creature illam reprobasset , jam  
potius velet Deus mortem , quam  
vitam. Tum etiam , quia si ante  
prævisa demerita , præfinita esset  
reprobatio positiva , Deus vellet  
antecedenter , & ex se , homines  
non salvos fieri: sed cum hoc non  
benè intelligitur testimonium  
Pauli , quod Deus antecedenter ,  
& ex se vult omnes homines sal-  
vos fieri : ergo , &c. Tum insu-  
per; quia reprobatio positiva est  
perditio hominis : ergo si est ante  
previsa demerita , perditio ho-  
minis non esset , seu non incipie-  
ret ex homine , sed ex Deo.*

15 Confirmatur , & expen-

ditur hoc ; Deus voluntate ante-  
cedenti vult omnes homines sal-  
vos fieri , quæ voluntas appella-  
tur conditionata ex parte crea-  
ture , licet absoluta ex parte  
Dei , idest , est voluntas dandi  
gloriam omnibus hominibus , ni-  
si ipsi obicem ponant : ergo  
cum hæc voluntas , juxta com-  
muniorem sententiam Catho-  
licorum , sit seria , & ingenua ,  
vera , & non illatoria , sem-  
per permanebit in Deo , dum  
homines ovicem non ponant:  
atqui non ponunt ovicem , quo-  
adisque ponant peccatum : erg.  
ante prævisionem peccati , sem-  
per manet in Deo hæc voluntas.  
Atqui cum hac voluntate non  
cohæret , nec est intelligibilis  
præfinitio reprobationis positi-  
va : erg. hæc non datur ante ,  
sed post prævisionem peccati.  
Præterea , voluntas antecedens  
usum creatæ libertatis vocatur  
à PP. acceptio in Deo ex se ip-  
so existens ex proprio motivo ,  
& intentione : atqui voluntas ex-  
cludendi à gloria positivè nequit  
esse acceptio Dei ex se ipso exis-  
tens ex proprio motivo , & inten-  
tione , sed existens ex occasio-  
ne peccati finalis creaturæ : erg.  
talis voluntas nequit esse antece-  
dens , sed potius subsequens  
usum creatæ libertatis. Patet mi-  
nor ; nam voluntas antecedens  
salvandi omnes est incompati-  
bilis cum voluntate anteceden-

ti non salvandi aliquos, & quanto magis efficax, & absoluta, ut ponitur voluntas positivè reprobativa, repugnat magis, ut ex se patet. Et clarius videtur in naufragante, quia eo ipso, quod voluntate antecedenti vult ex se conservare merces, stante tali voluntate, non potest velle ex se, neque voluntate efficaci, neque inefficaci projicere merces; sed tantum voluntate consequenti prævisionem naufragij, quo non præviso, semper vellet retinere.

16 Prob. 2. conclusio ex Conc. Valentino, sub Lothar. imperat. cap. 3. ubi ait: „Fit, denter fatemur prædestinationem, nem aliquorum ad vitam, & „prædestinationem impiorum „ad mortem; in electione tamen salvandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione tamen periturorum, meritum malum præcedere justum iudicium Dei. Quid clarius? Nec est locus recurrendi ad ordinem intentivum, & executivum; nam in executivo etiam præcedunt merita ad prædestinationem: g. ad justum iudicium Dei, seu ad reprobationem positivam in omni ordine, præcedit meritum malum. Insuper Concilium Araucanicum, cap. ultimo, inquit: Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non

credimus; sed etiam si sint qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in eos anathema dicimus. Et Concilium Trident. less. 6. can. 6. Si quis dixerit, Deum authorem esse malorum, non solum permisive, sed etiam propriè, & perse, ita ut non minus sit opus Dei propositio Iude, quam vocatio Pauli, anathema sit. Verum est, quod ista dua testimonia loquuntur de malo culpæ, & non de malo pœna: sed argumentor sic: Si Deus haberet absolutam voluntatem puniendi ante prævisionem peccati: ergo ex illa voluntate teneretur Deus præparare omnia media perditionis, ut adimpleretur illa voluntas antecedens; sicut ex voluntate absoluta salvandi tenetur præparare omnia media ad salvationem: erg. utrumque æquè tribueretur Deo, scilicet, propositio, & vocatio.

17 Vel aliter sic: si ante prævisa demerita Deus reprobasset, esset causa induciva, & author peccati: atqui hoc damnant prædicta concilia: erg. & illud. Prob. sequella; posita reprobatione positiva, datur necessitas ponendi peccatum, orta ex ipsa reprobatione positiva: erg. reprobatio positiva, si est ante prævisionem peccati, est induciva illius, ac per consequens oritur à Deo. Confirm. volitio effi-

efficax fiois est virtualis volitio mediorum , sine quibus non potest consequi : sed reprobatio positiva nequit exequi sine peccato : erg. volitio efficax reprobandi , si est ante prævisionem peccati , est virtualis volitio peccati. Deinde ; peccatum esset effectus per se reprobationis: erg. Deus esset causa inductiva , & author illius. Denique , ex superiori dictis ; Deus non potest præfinire pœnitentiam ante prævisionem peccati , quia esset author peccati ; nam tunc casus permisso peccati non esset concessio ex nostra causa , sed ex præfinitione antecedente Dei: sed non minus requiritur peccatum , & permisso illius ad exequendam positivam reprobationem , quam ad exequendam pœnitentiam : erg. &c.

18 Probat. ultimo conclusio authoritate SS. PP. nam D. August. Epist. 105. ait : „ Qui-  
bus Deus misericordiam non  
impertitur , ut non impertia-  
tur , merentur. Et lib. 3. in  
Julian. cap. 8. „ Bonus est Deus ,  
„ justus est Deus , potest sine bo-  
„ nis meritis liberare , quia bo-  
„ nus est ; non potest sine malis  
„ meritis damnare , quia justus  
„ est. Et in eadem Epistola cita-  
ta ; „ Quarimus causam præ-  
„ destinationis ; nec invenimus  
„ reprobationis verò causam  
„ quarimus ; & invenimus ; sci-

, licet , peccata , ex quorum pre-  
,, visione est in Deo reprobatio.  
Sæntus Fulgent. lib. 1. ad Mon-  
sin. „ Itam Dei dici non posse;  
„ nisi ubi creditur , hominis  
„ iniquitatem præcessisse. Et pau-  
lo inferius : „ Deus peccata ho-  
„ minum præsentia videns , sen-  
„ tentiam damnationis dictavit.  
Div. Prosperus respondens ad  
objectiones vincentianas , cap. 2.  
„ Quod multi pereant , perien-  
„ tium est meritum ; quod mul-  
„ ti salventur , Salvatoris est do-  
„ num. Ergo ex mente SS. PP.  
datur discrimen inter prædesti-  
nationem , & reprobationem ;  
atqui tale discrimen nullum est  
aliud , quam quod Deus præ-  
destinat absque prævisione meri-  
torum ; non verò reprobat ab-  
que prævisione demeritorum:  
erg. &c.

19 Arg. 1. ex illo D. Pauli  
ad Rom. 9. Antequam aliquid  
boni , vel mali , egissent , Jacob  
dilexi , Esau autem odio habui.  
Unde in dilectione Jacob intel-  
ligitur prædestinationis omnium ,  
& in odio Esau omnium repro-  
batio : erg. simili modo est apud  
Deum reprobatio impiorum , ac  
prædestinationis SS. nempè , antece-  
denter ad usum libertatis crea-  
tæ. Deinde Sapientia 12. dicitur : *Cum sis justus , justè omnia  
disponis , cum quoque , qui non  
debet puniri , condemnare , ex-  
terum astimas à tua virtute.* In-  
fill.

super, Prov. 16. *Un versa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Et aliae his similes sunt authoritates, quibus RR. hæretici probare nituntur, Deum ex fine nonnullos homines creasse, ut ostendat, & exerceat in eis suum dominium absolutum, suamque justitiam punivam: erg. reprobatio positiva non est subsequens, sed antecedens prævisionem peccati.

20 Resp. cum nostro Mastr. & cum communi Scotistarum, quod authoritas D. Pauli de odio Esau, intelligitur de reprobatione negativa, ut diximus, Concl. antec. Ad secundum resp. quod prædictus textus non sic legitur in lectione vulgata Sixti V. sed hoc modo: *Eum quoque qui non debet puniri, condemnare, exterum astimas à tua virtute.* Unde potius est pro nobis; nam exterum, seu extraneum est à divina virtute, condemnare eum, qui non debet puniri. Ad 3. & alia similia resp. solùm intendi, quod Deus, supposito peccato præviso, ordinat penam in finem honestum, ut in ostensionem justitiae punitivæ; non verò debet intelligi, quod Deus permittat peccata ex fine punitionis; seu quod punitio sit præfinita voluntate antecedenti, vi cuius tenetur permittere peccata, & dampnare. Cum in Sacr. Scriptu-

ramos est significare, quasi genem id ad quod res quomodo cumque ordinatur, vel cuius occasione ponitur, quanvis ex illius intentione non fiat. Si enim secundum Aug. velle esse miserios, ex fine habendi misericordiam in ipsos, est crudelitas, ut supra diximus; quanto magis erit, velle esse miserios ad habendam occasionem puniendi eos?

21 Arg. 2. Deus est supremus, & absolutus creaturarum Dominus: erg. absque eartum injuria, potest de illis disponere, prout voluerit: erg. nulla præcedente culpa, potest eas excludere positivè à gloria, & ad pœnam positivè deputare. Confirm. Deus titulo sui dominij, & libertatis reprobat negativè, seu non præfinit efficaciter ad gloriam, & gratiam, quos vult ante prævisionem peccatorum: erg. eodem titulo dominij, & libertatis poterit reprobare positivè ante prævisionem peccati. Resp. ad argument. quod absolutum, & supremum Dei dominium est ordinatissimum, & perfectissimum, ac per consequens nulli virtuti oppositum. Unde negatur ultima conseq. & distinguitur primum consequens, Deus absque creaturarum injuria potest de illis disponere, prout voluerit, quando dispositio non dependet à peccato, conc:

conc: quando exigit essentialiter præsuppositionem peccati , neg. Etenim, exclusio à gloria , ut induit rationem pœnæ , ita de intrinseca ratione sua supponit culpam , ut de potentia absoluta talis dispositio non possit dari in Deo sine injuria creaturæ; ac proinde omnino repugnat Deo , quia non potest esse prius Deus ultior , quām homo sit peccator. Verum tamen est , quod in alia providentia poterat Deus excludere homines à gloria adhuc positivè ; quia illos elevare , & includere in suam gloriam esset tunc beneficium indébitum ; attamen supposita elevatione hujus providentiae ad finem supernaturalem , & posita generali , feria , absoluta , & efficaci voluntate ex parte Dei , qua vult omnes homines salvos fieri , si per ipsos non steterit , non potest excludere eos positivè; nam ut sic , exclusio , & privatio gloriæ necessariò induit rationem pœnæ ; quām infligere , absque peccato , esset crudelitas , & sevitia , ut ait Subtil. Doctor. Ad confirm. respond. neg. conseq. quia est magnum discrimen , ut abunde patet ex dictis , inter reprobationem positivam , & negativam.

22 Igitur ex dictis etiam patet differentia inter ordinem reprobationis , & prædestinationis ; differunt enim 1. quia or-

do prædestinationis est positivè volitus , voluntate antecedente; ordo verò reprobationis positiva non est volitus , nisi voluntate consequenti. Differunt 2. quia ordo prædestinationis sumit innitum à divina misericordia , & bonitate ; ordo verò reprobationis innitum sumit à nostra malitia , & defectibilitate , cum sit ordo simpliciter occasionatus. Differunt 3. quia ordo prædestinationis est simpliciter voluntarius , cum nullam voluntatem habeat Deus ex se ipso in contrarium ; ordo verò reprobationis est voluntarius secundum quid , seu habens admixtum involuntarium ; sicut voluntas projiciendi merces in naufragio ; quia Deus habet voluntatem antecedentem salvandi omnes , quæ involuntarieras non dicit imperfectionem in Deo , sed maximam perfectionem ; quia non ex impossibilitate , sed ex benigna inclinacione suæ voluntatis oritur ; ratione enim suæ bonitatis vult oppositum , scilicet , peccata non fieri , & neminem perire , ad hoc praefat auxilia , & jubamina ; & ratione causæ primæ , universaliisque gubernatoris condescendit cum nostra voluntate , volens integrum in omnibus servare suam libertatem.

23 Ex dictis etiam patet qualiter ordo reprobationis sit assig-

assignandus: Etenim suppositis signis, in quibus prædestinatis voluit Deus efficaciter dare gloriam, & gratiam, prima voluntas positiva circa Judam, & circa quemcumque alium reprobum fuit permissiva peccati. Postea offertur Judas, & qui cumque alius reprobis, ut peccator finalis voluntati divinae, quia voluntas divina voluit cooperari cum voluntate Judæ ad peccatum finale, & postea voluit Deus juste punire, & reprobare Judam; postea præsciens Deus offensam Judæ, & cuiuscumque alterius reprobis forè perpetuam, & æternam, quia æternaliter, & perpetuò vult cooperari illis, tunc ad justam punitionem, seu in ostensionem, & executionem suæ justitiae punitivæ, decrevit excludere à gloria perpetuo illum, qui ex hac vita decedisset cum solo peccato originali; Judam verò, & alium quemcumque, qui ex hac vita decedit, decrevit ultra exclusiōnem à gloria, punire illos pena sensus.

## QUÆST. II.

### QUI SINT EFFECTUS reprobationis?

**P**RO hujus questionis intelligentia est supponendum, nullum peccatum esse

effectum reprobationis positivæ. Ratio est manifesta. Tum; quia aliás ex fine reprobationis veller Deus peccata, & esset causa inducīva illorum, ut sāpē diximus. Tum etiam, quia quod præsupponitur ad reprobationem, nequit esse effectus illius; sed omnia peccata præsupponuntur ad reprobationem positivam: ergo nullum peccatum est effectus reprobationis positivæ. Minor patet ex Subtil. Doct. dicente, peccatum finale esse causam reprobationis positivæ, & ut causa debet præcedere reprobationem: atqui omnia peccata non finalia sunt ante peccatum finale: ergo si hoc est ante reprobationem positivam, etiam & omnia alia erunt. Hac suppositione est communis inter Catholicos; & solū est difficultas inter illos de permissione peccati, an sit effectus reprobationis! Et cum reprobatio sit duplex, una positiva, altera negativa, de utraque procedit difficultas. His suppositis sit

**C**onclusio 1. Effectus reprobationis positivæ est solū exclusio à gloria, & poenarum inflictio propter prævisa finalia peccata, sive sit tantum originale (pro quo solū datur exclusio à gloria, seu pena danni;) sive si tantum personale; sive sit simul personale, & originale. Hac conclusio est communis

nis inter Scotistas. Et patet ex Subtil. Doct. sàpè citato. In 1. d. 41. ubi ait: *Quod reprobatio habet ex parte objecti rationem aliquam, scilicet, peccatum finale prævisum :: & quod peccator ostentur voluntati divinae, ut peccator finaliter;* & tunc ipse Deus vult punire, & reprobare illum: erg. juxta Subtil. Doct. sola exhibitio pœnae damni, & pœnae sensus est effectus reprobationis positivæ.

3. Prob. etiam ratione; nam si esset alijs effectus reprobationis positivæ, maximè esset permisso peccati, mala indoles, pravum genium, ingenium depravatum, excæcatio cordis, ac obduratio finalis, &c: atqui nihil ex his potest esse effectus reprobationis positivæ, præter punitionem divinam excludendo à gloria, & infligendo pœnas. Prob. min. quia omnia prædicta antecedunt finale peccatum, & peccatum finale antecedit, & est causa reprobationis positivæ: ergo, & prædicta antecedunt ipsam positivam reprobationem; ac per conseq. nequeunt esse effectus illius. Ex quibus deduces 1. quod prius fuit prævisa excæcatio, & induratio finalis, immò, & ipsa mors in Dathan, Abiron, Anania, Saphira, & in alijs reprobis, quām

fuerit in Deo reprobatio positiva illorum; quia finale peccatum, quod est causa reprobationis, in ipsa morte finalizatur. Hoc ultimum de morte inflictum aliquibus reprobis ex speciali Dei providentia, est contra Pilosum citatum à nostro Doctissimo Felice, cap. 6. de Reprobatione, diffic. 5. n. 11. & num. 12. ubi inquit, esse probabile in via Scotti.

4. Deduces 2. quod neque existentia naturalis reproborum est effectus reprobationis illorum. Tùm, quia Deus neminem producit ex intentione reprobandi, & excludendi à gloria; immò, vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unde D. Prosp. in respons. ad 3. object. Vincentianam: „ Nemo à Deo ideo creatus est, ut periret; ut nascentur homines, conditoris est „ beneficium; ut autem pe „ reant, prævaricatoris est mis „ ritum. Tùm etiam, quia ut supra diximus: existentia naturalis est præfinita ante prædestinationem in prædestinatis, & ante reprobationem, tam negativam, quam positivam in reprobis; quia omnes æqualiter volunt à Deo in esse existentiae offeruntur voluntati divinæ: ergo nequit esse effectus reprobationis.

5. Arg. 1. contra hanc conclusionem; permisso peccati reprobis est effectus providentia

Dei : atqui non est effectus prædestinationis ; ergo est effectus reprobationis. Confirm. permisso peccati finalis est medium per se requisitum ad finem reprobationis exequendum : ergo est effectus reprobationis. Anteced. patet ; nam non existente peccato , Deus non puniret ; & non existente permissione , non existeret peccatum. Resp. ad argumentum conced. maj. & min. & neg. conseq. nam , tam prædestination , quam reprobatio sunt providentia speciales Dei , & ultra illas est alia providentia generalis , respectu cuius permisso peccati est effectus ; quia ex vi illius Deus res omnes sic administrat , ut suos motus agere eas sinat. Ad confirmat. respond. neg. anteced. nam licet verum sit , quod non existente peccato , non exequeretur divina punitio , quia peccatum finale est causa reprobationis positiva ; atque etiam sit verum , quod peccatum non existeret , nisi Deus permetteret ; attamen hinc non sequitur , quod permisso peccati sit à Deo intenta ex voluntate damnandi tanquam ex fine prius intento ; quia hæc intentio supponit peccatum finale , & peccatum finale supponit permissionem ; atque ideo illa permisso non est effectus hujus intentionis , sed illius providentia generalis , vi cuius non tenetur Deus.

ad evitandum peccatum , sed ex condescensione creatæ libertatis relinquit voluntatem agere motus suos.

6 Arg. 2. ex D. Paulo ad Rom. 1. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum : ergo permisso peccati est effectus reprobationis. Confirmatur ex D. Aug. de Bono persev. cap. 14. *Sicut prædestinationis effectus est gratia appositi; ita probatioñis aeternæ quodammodo esse videtur obduratio :* ergo obduratio peccatoris est effectus reprobationis. Atqui cum obduracione est connexum peccatum finale , & cum peccato finale ejus permisso : ergo omnia ista sunt effectus reprobationis. Respond. ad argum. neg. conseq. quia D. Paulus solum intendit , quod permisso unius peccati sit quasi pena alterius ; quia ut ait Conc. Trident. sess. 6. cap. 11. *Deus sua gratia semel justificatos non deserit , nisi ab eis prius deseratur.* Et Ps. 80. vers. 13. *Dimisi eos secundum desiderium cordis eorum , ibunt in adiumentonibus suis.* Ad Rom. 1. vers. 25. *Committaverunt veritatem Dei in mendarium , &c.* Propter ea tradidit eos Deus in passiones ignominiae : ergo quia expreverent Deum , subtrahit Deus sua specialia auxilia ; non vero ex intentione damnandi illos. Ad confirm. respond. neg. con-

conseq. nām intentum Augustini solum est, quod sicut comitatur gratia prædestinationem, ita quodammodo, & non omnimode obduratio comitatur reprobationem; non verò intendit, quod ita permisso peccati sit effectus reprobationis, sicut gratia est prædestinationis; nam contrarium s̄pē ipse August. docuit lib. de Gratia, & lib. arbit. exponens verba Apost. ad Rom. 9. cujus vult miseretur, & quem vult indurat. ait: Quem permittit, seduci, vel obdurari, mala ejus merita credite; in eo verò cujus miseretur, gratiam Dei non redditis mala pro malis, sed bona pro malis, fideliter, & induvitanter agnoscite.

7. Conclusio 2. reprobationis negativæ nullus est effectus. Hec conclusio non est ita communis inter Scotistas. Nam Doctissim. Felix diff. 6. defendit cum Smiling, permissionem peccati esse effectum reprobationis negativæ. Prob. tamen nostra conclusio breviter doctrina supra tradita ex Doctissimis Mastr. & Antonio Perez, nam posita reprobatione negativæ, adhuc manet divina voluntas indifferens ad positive prædestinandum, & ad positive reprobandum: atqui a principio indifferenti, ut indifferens est, nullus determinatus effectus oriri potest: ergo à divina voluntate, ut est cum

reprobatione negativa, seu cum non electione ad gloriam, & gratiam non oritur permisso peccati, nec aliquis alius effectus; ac per conseq. reprobationis negativæ nullus datur effectus.

8. Arg. contra ex Subt. Doct. dicente, quod posita reprobatione negativa circa Iudam, voluit Deus permettere peccatum in Iuda: ergo permisso peccati est effectus reprobationis negativæ. Respond. neg. conseq. nam etiam ibidem inquit Doctor, quod uniformiter voluit Deus permettere peccatum in Petro; & certum est, hanc permissionem non esse effectum reprobationis illius. Verum tamen est, quod reprobatio negativa supponitur ad permissionem peccati; sed ex hoc non sequitur esse causam illius, cum in illam non influat, nec physicè, nec moraliter; nam Deus non permisit peccatum Iudeæ ex vi reprobationis negativæ, sed ex condescensione cum libertate illius, seu ut illius libertati consuleret, ut fecit uniformiter cum Petro. Confirmatur responso, & simil. conclusio: permisso peccati est effectus providentiae generalis, & non ex acceptione Dei in se ipso existente, seu non per voluntatem antecedentem, primariam, & approbantem; sed ex acceptione ex causa libertatis creatæ, seu per voluntatem

consequenter, secundariam, & purè permittentem, non approbantem, quin ob hoc negemus præfinitionem concomitantem, seu concomitantem immediatum concursum Dei ad materiale peccati, ut supra fuse diximus, & fatetur ipse Felix: ergo permissione peccati nequit esse effectus reprobationis negativa, cùm hæc non pertineat ad providentiam generalem, sed ad specialem. Instaper Subt. Doct. inquit, quod permissione peccati Judæ fuit primus actus positivus uniformis circa Judæ, & circa Petrum: ergo talis permissione non est effectus reprobationis negativa. Patet conseq. Tum, in Petro circa quem non supponebatur reprobatio negativa: Tum etiam, quia reprobatio negativa est purum nihil; ( nihil vult Judæ inquit Doctor) sed ex nihilo nihil fit: ergo ille actus positivus permissionis nequit esse effectus reprobationis negativa. Idem dicimus de permissione peccati finalis, & ejuscumque alterius; nam permittere peccata semper oritur in Deo ex vi providentiae generalis, qua reliquit hominem in manu Consilij sui, & voluit sinere voluntatem creatam agere motus suos.

9 Arg. 2. Cùm nostro Felice citato; posita reprobatione negativa, nullus ex sic reprobatis bene utitur gratia sufficienti; ex-

go signum est, quod reprobatio negativa est causa permissionis peccati. Confirm. prædestinatio, seu præfinitio efficax dandi gloriam electis fuit causa dandi eis auxilia efficacia ad consecutionem illius: ergo negatio talis volitionis, seu non præfinitio efficax dandi gloriam erit causa negationis auxiliorum efficacium. Patet conseq. primo ex Aug. de Bono persever. c. 14. dicente: Ideò aliquos non habere gratiam efficacem ut credant, & falventur; quia non sunt prædestinati, & à massa perditionis discreti. Secundo, à ratione; quia quando affirmatio est præcisa causa affirmationis, negatio est causa negationis: ergo si efficax præfinitio ad gloriam est causa dandi electis auxilia efficacia, negatio talis præfinitionis erit causa negationis auxiliorum efficacium. Atqui negatis auxilijs efficacibus, sequitur peccatum, & permissione peccati: ergo permissione peccati est effectus reprobationis negativa. Respond. 1. quod hoc argumento utuntur adversarij ad probandum, vel quod non datur negativa reprobatio; vel quod ad illam datur causa ex parte reprobi, quod utrumque est contra Scotum, ut videri potest apud Doctissim. Mastr. & Antou. Perez, supra citatos.

10 Respond. 2. ad argum. quod

quod absque revelatione nemo potest scire, an aliquis ex sic reprobatis bene usus fuerit gratia, & salvus factus sit; vel non? Hac responsio est juxta ipsum Felicem hic, diffic. 2. num. 6. ubi contra reprobationem negativam sibi ipsi objicit sic: Ex eo, quod Deus negativè se habeat erga reprobos, damnabuntur: ergo non est necessaria reprobatio positiva, posita negativa reprobatione? Respondebat ipse, & bene, neg. anteced. nam in signis sequentibus poterat Deus illos prædestinare; solum enim sequitur, quod quantum est ex parte reprobationis negativæ, non salvantur. Respond. 3. disting. anteced. posita reprobatione negativa nullus ex sic reprobatis bene uititur gratia sufficienti, ex vi illius reprobationis negativæ, neg. ex vi sua propriæ libertatis nollentis cooperari auxilijs sufficientibus, conc. & neg. conseq. Sed de hoc in materia de gratia dicimus. Hæc etiam responsio est nostri Felicis difficult. cit. num. 9. ubi ait, quod quilibet ex negativè reprobatis poterit salvari cum auxilijs sufficientibus; quod si non salvatur de facto, non provenit ex parte Dei, sed ex propria voluntate libere deficiente.

11 Ad confirmat. Respond. cum Mastr. neg. conseq. ad cuius primam probationem ex August.

inquit Mastr. quod est duplex negative reprobatio; una absoluta, simpliciter, & pro quocumque signo, quæ convertitur cum reprobatione positiva, & in illa includitur; nam excludere positivè à gloria, est implicitè non includere, seu non destinare ad gloriam: de hac ergo loquitur Aug. non verò loquitur de reprobatione negativa secundum quid, & pro aliquo determinato signo, in quo mere negativè, aut pure suspensivè se habet divina voluntas, nec includendo, nec excludendo; & de hac procedit nostra Conclusio.

12 Ad 2. probat. Respond. ex eadem Doctrina disting. anteced. quando affirmatio est præcisa causa affirmationis, negatio est causa negationis; si affirmatio, & negatio sunt ejusdem rationis, conc. si affirmatio, & negatio sunt diversæ rationis, neg. & nego consequentiam. Etenim affirmatio gloriæ in praesenti est absoluta, simpliciter, & pro omni signo; negatio verò gloriæ non est absoluta, nec simpliciter; nec pro omni signo; sed secundum quid, & pro aliquo determinato signo; ac per conseq. non sunt affirmatio, & negatio ejusdem rationis: Unde licet ex affirmatione efficaci, & absoluta simpliciter ad gloriam, sequatur positio auxiliorum efficacium; ex negatione gloriæ secundum

dum quid , seu ex pura non electione pro aliquo determinato signo , minime sequitur negatio auxiliorum efficacium pro omni signo : sequeretur tamen hæc negatio auxiliorum , si illa negatio gloriae esset absolutè simpliciter , ut est reprobatio positiva præviso finali peccato.

13 Vel aliter respond. distingu. etiam anteced. quando affirmatio est causa affirmationis , negatio est causa negationis , negativè , aut positivè , conc. positivè precisiè , neg. Est dicere , quod si volitio efficax intentiva gloriae est causa auxiliij efficacis , non volitio efficax intentiva gloriae , seu suspensio , & carentia talis volitionis non est causa auxiliij efficacis , quod est per se notum ; non verò sequitur , quod sit causa negationis auxiliij efficacis. Utraque responsio est sufficiens , nisi velint laborare in æquivoco , & cum fallacia procedere. Exemplo fit hæc doctrina manifesta: Christus Dominus , secundum Scotistarum opinionem , primo fuit volitus quoad substantiam ; & pro illo signo nihil determinavit Deus circa passibilitatem : ergo pro illo signo merè negativè se habuit Deus circa illam. In signo posteriori , præviso Adami peccato , decrevit passibilitatem : ergo quavis Deus in aliquo signo se haberit merè negativè circa glo-

riam alicujus , benè potuit in alio posteriori signo decernere illi gloriam positive , & efficaciter ; ac per conseq. negatio auxiliij efficacis , & permisso peccati non sunt effectus reprobationis negativè , seu non prove-niunt à Deo prout se babuit merè negativè , & suspensivè in illo priori signo.

14 Rursus : in illo primo signo Christi se habuit Deus etiam merè negativè , & suspensivè circa impassibilitatem ; quia pro illo signo non præfinivit illam efficaciter absolutè , & simpliciter , (alias Christus D. venisset de facto impassibilis ) atqui pro illo signo , seu propriori ad peccatum Adami voluit Deus impassibilitatem Christi volitione antecedenti , seria , efficaci , & absoluta secundum quid , seu ex parte sui ; sicut volitione antecedenti , & ex parte sui vult gloriam omnibus hominibus : g. cum voluntate ista antecedenti circa impassibilitatem , est compatile , quod se habuerit merè negativè , & suspensivè circa illam ; quia pro illo priori non præfinivit illam efficaciter ex omni parte , & simpliciter. Minor ostenditur ; pro illo priori voluit Deus volitione antecedenti , & efficaciter secundum quid , seu ex parte sua , quod Adamus non peccasset , ad hoc imposuit præceptum , comminavit,

vir, & dedit sufficientia auxilia ad observandum præceptum; omnia sunt signa suæ voluntatis verae, feriæ, & efficacis ex parte sua, seu secundum quid: atqui si Adamus non peccasset, Christus D. venisset impassibilis, juxta Scotistas: erg. sicut pro illo priori volebat Deus observantiam præcepti Adamo impositi, seu quod Adamus non peccaret, ita volebat impossibilitatem Christi. Nunc quæso, quis Scotistarum audebit dicere, quod peccatum Adami, permisso illius, negatio, seu non concessio auxilij efficacis sunt effectus Dei prout se habuit merè negative, & suspensivè circa impossibilitatem Christi? Si Adamus non peccasset, Christus D. venisset impassibilis; sicut si reprobis negative non peccasset finaliter, venissent prædestinati, & electi: erg. sicut quod Deus se habuerit merè negative, seu suspensivè circa impossibilitatem Christi D. non est causa permissionis peccati Adami, nec passibilitatis Christi, nec est causa, quod impassibilitas non sit posita in esse, seu quod Christus D. non venisset impassibilis, ita pariformiter, quod Deus se habuerit merè negative, & suspensivè pro aliquo signo circa prædestinationem aliquorum, non est causa permissionis peccati finalis, nec cuiuscumque alterius, nec est

causa, quod de facto, & in esse non sint prædestinati. Si hoc exemplum præoculis habeatur, facile retunduntur omnes Scotistarum instantiae.

15. En aliud exemplum: juxta Scotum, & Scotistas, si Adamus non peccasset, soli, qui nunc salvantur, nascerentur, quia ut ait D. Gregor. 4. moral. in fine, cap. 22. *Si Parentem primum nulla peccati rubigo, putredo, vel rubedo corrupisset, nequaquam ex se Filios gehennæ generaret, sed illi, qui nunc per Redemptorem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur.* Nunc sic: omnes illi, quorum existentia erat simpliciter præfinita, seu simpliciter futura ante peccatum Adami, nascerentur quanvis Adam non peccasset. Sed qui nunc non salvantur, non nascerentur, si Adam non peccasset: erg. illorum existentia non fuit simpliciter præfinita, seu simpliciter futura ante peccatum Adami: Ergo pro priori ad peccatum Adami, quando Deus præfinivit simpliciter, & absolute existentiam electorum, se habuit merè negative, aut suspensivè circa existentiam illorum, qui nunc non salvantur. Est innegabile. Atqui quod Deus pro illo priori se habuerit merè negative, seu suspensivè circa illorum existentiam (sicut pro illo priori se habuit merè negative circa ipso-

ipsum gloriam) non fuit causa, ut pro posteriori signo non præfiniretur simpliciter, & absolute existentia illorum, ut per se patet, quia existunt: erg. similiter, quod pro illo priori Deus se habuerit mere negativé circa illorum gloriam, non fuit causa ut pro alio posteriori signo non præfiniretur simpliciter, & efficaciter illorum gloria, seu prædestinatio; ac per consequens, quod Deus pro illo priori se habuerit mere negativé circa gloriam, quod est reprobatio negativa, non est causa permissionis peccati finalis, nec cujuscumque alterius. Quomodo autem peccaverunt in Adamo reprobati, cum pro illo signo, quo Adams peccavit, seu fuit prævium ejus peccatum, non esset præfinita simpliciter, & absolute? (quavis aliqui Scotistæ dicant, quod jam erat præfinita secundum quid, seu ex parte Dei) dicemus suo loco. Interim videatur noster Sendin, tractatu de Incarnat. controv. 1. sect. 8. §. 3. num. 16. 18. & sequentibus.

## QUÆST. III.

Utr. *SINT PLURES*  
*reprobi, quam prædesti-*  
*nati?*

**N**otandum est 1. quod Angelii prædestinati plures sunt, quam Reprobati An-

geli. Ita communiter Scholasti ci; & colligitur ex illo Apocalypsi. 12. ubi dicitur, Draconem traxisse tertiam partem stellarum ad terram; quo communiter intelligitur, Luciferum tertiam Angelorum partem secum traxisse. Insuper est notandum ex Angelico Doct. D. Thoma, part. 1. q. 23. art. 7. quod de numero omnium hominum prædestinatorum quis sit? Dicunt quidam, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt: quidam vero, quod tot salvabuntur, quot Angeli remanserunt. Quidam vero, quod tot, quot Angeli ceciderunt, & insuper tot, quot fuerunt Angelii creati. Sed melius dicitur, quod soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus. Hucusque Angelicus Præceptor. Unde communiter omnes asserunt, hanc rem esse incertam, & quod absque revelatione nemo scire potest, quot homines salventur.

2. Notandum est 3. quod est communissima sententia SS. Patrum, & Theologorum, quod si comparatio fiat in universitate generis humani, major est reproborum numerus, quam prædestinatorum; ita ut quavis prædestinati sint in magno numero, & innumerabiles, juxta illud Apocalypsi. 7. Post haec videtur turbam magnam, quam dinu-

*merare nemo poterat ex omnibus  
Populis, & Tribubus, &c. compara-  
tione autem ad reprobos totius  
genieris humani, pauci censeantur  
prædestinati. Hoc est certum, in-  
quiunt ferè omnes Scholastici,  
& noster Doctissim. atque Illus-  
trissimus Merlin. inquit esse cer-  
tum, & indubitatum secundum  
Fidem Catholicam. Et mani-  
feste probatur ex illo Mathæi  
septimo, ubi interrogantibus  
Discipulis, Domine, si pauci  
sunt, qui salvantur? Respondit  
Christus: Contendite intrare  
per angustam portam; quia arcta  
est via, qua dicit ad vitam, &  
pauci ingrediuntur per eam, &  
lata est via, que dicit ad perdi-  
tionem, & multi ingrediuntur  
per eam. Ubi est notandum,  
quod certitudo, quam Sancti  
PP. & DD. adstruunt, est de  
pluralitate Reproborum, cum  
qua bene cohæret incertitudo de  
numero Prædestinorum, seu  
dubitare quot, & qui sint Præ-  
destinati, quod soli Deo est cog-  
nitum. Sicut bene stat certitudo  
de pluralitate infidelium respec-  
tu fidelium, & simul dubitare,  
& ignorare quot, & qui sint fi-  
deles. Similiter pro certò habe-  
tur communiter, plures esse An-  
gelos Prædestinatos, quam re-  
probos; & tamen dubitatur, im-  
mò ignoratur, & soli Deo est  
cognitum, quot sint prædesti-  
nati, quotque reprobi.*

*Tom. I.*

3 Inquieres quare Deus, cum  
piissimus sit, & pronior ad mi-  
serendum, quam ad puniendum,  
& genus humanum valde dili-  
gat; cur, inquam, plures sunt  
reprobi homines, quam prædes-  
tinati, cum potuerit, si voluiss-  
et, salvare omnes? Respond. 1.  
quod præter quamquod in Orbe  
semper fuerint, sunt, & erunt  
infideles, Ethnici, Hæretici, Schis-  
matici, qui multo plures sunt  
quam fideles; ideo quanvis om-  
nes fideles salvarentur, semper  
erunt plures reprobi, quam præ-  
destinati; D. Thomas duas ra-  
tiones assignat: 1. quia finis ho-  
minis, qualis est beatitudo, est  
improportionata naturæ huma-  
næ; ideo, ait, pauci sunt, qui  
illam assequuntur. 2. est proni-  
tas ad malum, & corruptio na-  
turæ humanæ propter peccatum:  
ergo non est mirum, quod plu-  
res sint reprobi, quam prædesti-  
nati. Deinde, ex communī sen-  
tentia, præsertim Scotti, & Sco-  
tistar. Deus nullum hominem  
reprobat positivè, nisi post pra-  
visum ejus finale peccatum; nam  
Deus vult omnes homines sal-  
vos fieri, & voluntate antece-  
denti vera, & seria omnes præ-  
destinat, & ut gloriam possint  
consequi, & omnia peccata vi-  
tare, etiam finale omnibus dat  
auxilia sufficientia: *Quid est,*  
*(ait Dominus Isaj. 5.) quod de-  
bui ultra facere vinea mea, &*

*Hhh non*

*non feci? Expectavi ut facret  
Uvas, & fecit labruscas: ergo  
quod multi pereant, perientium  
est meritum; quod vero multi  
salventur, Salvatoris est donum  
indebitum, & misericordia ex-  
cellens, atque superabundans, &  
nulli debita. Ergo, quod plures  
sint reprobri, quam prae destinati  
non provenit a Deo, sed ex ip-  
sis prævericatoribus oritur: Deus  
mortem non fecit, Sapient. i. nec  
lætatur in perditione vivorum.  
Et infra, *impij, manibus, &  
verbis accersierunt illam.**

4 Respond. 2. quod hoc potius est venerandum, quam curiose exscrutandum, ne eamus in profundum, ut inquit Marianus Doct. in i. d. 41. sæpe citata. Ubi adducit illud ad Rom. 11. *O altitudo, divitiarum quam incomprehensibilia sunt judicia eius, & investigabiles via ejus!* Et hic habet locum illud Augustini: *Nolli cogitare, si non vis errare.* Hic sunt tremenda, & veneranda judicia Dei; ob quod monet nos Apostolus, ut cum timore, & tremore salutem nostram operemur. Ita respondeat Doctissim. P. Felix, atque Illustrissim. Meriner. Reverendissimus P. Lychetus egregius, & Subtilissimus. Commentator Scotti distinct. citata, num. 12. ad 4. dubium inquit: „ Hic non est „ quærenda aliqua causa, quare „ velit Petrum resurgere, &

„ non Judam, sicut etiam patet „ per exemplum Doctoris positi- „ tum in litteram. Judicio meo in his omnibus tutius est, se commitere voluntati divinae, tanquam rectissimæ regulæ omniū actuum humanorum, nec altiora supra nos querere. Quæramus toto corde, & totis viribus servire majestati suæ: & forte majorem curam habebit de salute nostra, quam nos credamus, sive salvet, sive damnet: semper creaturæ suæ computati sumus apud Deum. Ipse scit, quid vult de nobis facere.

5 Solùm est advertendum, quod hoc non obstante, & adhuc supposita hac certitudine de pluralitate reproborum, loquendo de universo hominum genere; stat bene, quod numerus electorum non sit ita parvus, sicut aliqui existimant, & præcipue in sermonibus, ubi summopere, & plus a quo id exagerant ad cohæcendos effrenatos, & audaces peccatores, qui ex astu-  
ria, & magnificentia infinitæ misericordia, temere confiden-  
tes, & vanè sperantes, occasio-  
nem sumunt ad continuationem suæ perditissimæ vitæ, dilatando poenitentiam, & nihil de sua  
æterna salutè curando; & certè aliquando oportune ita prædi-  
catur; nam aliqui sunt homines,  
ita irrationabiliter viventes, ut  
ma-

magis tòrre, quàm amore convertantur. Unde mandatum dedit Deus, clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam; & ut sic Deus circa gentem peccatricem, & obduratam magis, ac magis justificet causam suam. Etiamque stat bñè, & non clauditur locus illis opinionibus à Doct. Angel. citatis, & non damnatis, quibus illi antiqui AA. asserebant quidam, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt; quidam verò, quod tot salvabuntur, quot Angeli remanserunt: quidam vero quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt, & insuper tot quot fuerunt Angeli creati: & quavis iste conjecturæ nimis incertæ sicut, (inquit noster Smising de Deo uno, tract. 3. disput. 6. num. 804.) & melius dicatur cum D. Thoma, quod soli Deo est cognitus numerus electorum; tamen ex illis bñè probabilitè infertur; numerum electorum hominum plus esse, quam ab aliquibus existimatur, ut bñè advertit Rmus. P. Losada in approbatione V. Fr. Joseph à S. Benedicto de suo opere de varijs; ubi etiam luculentè supponit, falsum omnino inculcari tanquam communem sententiam, tot homines solum esse salvandos, quot Angelos cecidisse, factamque esse hominum præ-

destinationem ad restaurandam Angelorum ruinam, ut patet ex supra dictis, ibi videantur.

6 Nunc autem præcipua hujus quæst. difficultas inter DD. Catholicos est de ipsis Catholicis; an scilicet ex ipsis etiam sint plures reprobri, quam prædestinati? Circa quam, (ad huc excipiendo parvulos, qui ante usum rationis cum Baptismo decedunt, de quibus nulla est dubitatio, quod salventur) est duplex probabilis opinio; altera affirmans, & altera negans de quo possunt videri Illustrissim. Merinero, Felix, Picazo, Bezerra, & Curs. Theologicus Provincia Regul. Observant. Immaculatae Conceptionis Deiparæ in veteri Castella.

7 Conclusio nostra; Probabilius est, quod inter Catholicos adultos plures sunt prædestinati, quam reprobri. Pro hac sententia possunt allegari ex antiquis Silvester, Suarez, Ruiz, Granad. Franciscus de Christo, Cartag. & alij ab ipsis citati; & ex RR. ferè omnes, ut videri potest apud Doctissim. Picaz. & Bezerra; quatenus dicunt, quod sentiendo de Domino in bonitate sibi magis placet hæc sententia: ergo quia illis probabilior videtur. Deinde novissime Pat. Lipsin in suo Cathechismo Historico-Theologico-Dogmatico, in terminis stat pro nobis, his ver-

bis : *Hanc sententiam ( scilicet nostræ conclus. ) probabilior m existimamus , tanquam magis consona , tūm Dei misericordiæ , quæ super exaltat iudicium , erga nos fideles ; tūm Christi meritis , qui tot , tantaque passus est pro nobis ; tūm denique , quia majorum nob's præbet spem salutis .*

8 Probatur conclus. 1. ex Ps. 138. ubi in persona Verbi incarnati inquit David , quod principatus amicorum Dei nimis confortatus est , & dilatatus , ob quod ait : *Dinumerabo eos , & super arnam multiplicabun-tur :* Atqui in metaphora Arenæ designatur numerus reproborum : ergo prædestinati sunt plures , quam reprobri. Deindè Luca 19. *Venit enim filius hominis quare-re , & salvum facere , quod per-riurat.* Id est , venit Christus D. hominem perditum salvare , & ad Regnum Cœlorum perducere. Et Psal. 129. „ Apud Do- „ mitum misericordia , & copio- „ sa apud eum redemptio. Joel „ 2. Deus benignus , & miseri- „ cors est , patiens , & multa mi- „ sericordiæ , & præstabilis super „ malitia. Et alibi dicitur ; n-i- „ sericordiæ ejus non est nume- „ rus ; & Job cap. 2. Super exal- „ tat misericordia iudicium : At- „ qui hæc omnia congruentius in- „ telliguntur , & explicitur ap- „ tius , si inter adultos Catholicos plures sint prædestinati , quam

reprobri : ergo ita piè sentiendum est. Urgetur ex Marth. 22. ubi inter invitatos ad nuptias unus tantum inventus est sine veste nuptiali , id est , sine Charitate : per invitatos autem intelliguntur Catholici. Ille verò , qui exclusus est , repræsentat parvum numero rum reproborum ex Catholicis. In Collegio Christi unus solus Judas fuit damnatus. Deindè in parabola illa sagenæ missæ in ma-re , & congregantes pisces , plures sunt boni , quam mali : per sagenam repræsentatur Catholicæ Ecclesia ; in bonis piscibus prædestinati , & in malis reprobri. Insuper in illa alia parabola de tritico , & zizania ; ubi plus erat tritici , in quo intelliguntur elec-ti , quam zizanię , in qua repræsentantur reprobri : ergo , &c.

9 Confirmatur authoritate S. Joannis Damasc. qui in Ser-mone de Disfunctis inquit ; *quasi omnes ferè fideles salvari.* Et au-thoritate S. Anselmi in elucidario dicentis : *Sicut ex Angelis plures sunt beati , quam dannati ; ita ex fidelibus plures sunt beati , quam dannati : insuper , & S. Agustini authoritate in Enchirid. cap. 29. ubi probabile existimat major in futurum esse numerum beatorum hominum , quam Angelorum.* Nun sic : fatemur inge-nue , quod etiam sunt textus Sac. Scripturæ , & Authoritas SS. PP. satis , aut æque proba-bi-

bilem reddentes oppositam sententiam; sed sicut in dubijs vendum est reo, ita in pondere rationum misericordia, & justitia, standum est pro misericordia; quia Deus omnipotentiam suam parcendo maxime, & miserando manifestat; tum, quia ex se non vult mortem peccatoris, sed vult ex se omnes homines salvos fieri. Tum etiam, quia cum p̄fissimus sit, & maximè diligat genus humanum; ac denique pronior sit ad miserendum, quam ad puniendum, stare debemus pro misericordia; ac per consequens probabilius videtur, quod inter Catholicos adultos plures sint prædestinati, quam reprobati.

10. Prob. 2. conclus. nam ex dictis Tract. anteced. Christus D. fuit causa moralis, seu meritoria prædestinationis Angelorum, & hominum per merita prescidentia à passibilitate, & ante prævisionem ruinæ Angelorum, & peccati hominum. Constat etiam, quod est caput, & Rex omnium: & insuper ad Hebreos 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed sem. n. Abraham apprehendit:* hoc est, quod nostram humanam naturam fecit propriam suam, non Angelicam, & habitu inventus, ut homo: ergo inverosimile videtur, quod Christus non obtulerit Beatifica Trinitati sua merita in

illo signo ante peccatum pro prædestinatione tot individuorum suæ naturæ humanæ, quot individuorum natura Angelicæ, & inverosimile etiam videtur, quod pro illo eodem signo Trinitas beatifica non acceptaverit, sic prædicta merita antecedentia, peccatum utriusque naturæ. Unde béné D. Gregor. Anselm. & magnus August. inquiunt. Tot esse homines prædestinatos, quot Angelos. Cum autem ex Angelis probabile satis sit, remansisse saltem tot bonos, quot homines contineat major pars fidelium; sequitur, quod inter Catholicos plures sint prædestinati, quam reprobati.

11. Prob. 3. conclus. inductione: nam si inspiciamus illos, qui subitanæ morte decedunt, habemus sapient. 4. *Quod justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Aliundè habemus ex varijs exemplis, quosdam mortem repentina interemptos, non fuisse damnatos, quia in agone fuerunt à Deo illuminati, & auxilio efficaci ad iusti, ut actum perfectæ contritionis elicent. Si de alijs loquamur, scimus quod major pars in fine vitæ recipit sacramenta; & quanvis depravata vita vixerint, tamen imminente morte instructi à Parrocho, vel à viro religioso, paenitent se peccasse, cui piunt

piunt emendare quod fecerunt, agnoscunt sua peccata multa, & magna, pro quibus timent; sperant autem in misericordias Domini, quarum non est numerus; Lacrymas emittunt, sincere confitentur; Sacraenta Pænitentia, Eucharistia, & Extremæ Uincionis sollicité, pié que suscipiunt, Deo ipsos adjuvante multis auxilijs: ergo verosimilius, & probabilius est, plures esse prædestinatos ex adultis Catholicis, quam reprobos. Præterea inter adultos Catholicos sunt status Religiosorum, Religiosarum, & Ecclesiasticorum; quos feré omnes existimo salvari, inquit noster Felix; vel saltē intrepidē dici potest (ait Merinerus) maiorem partem prædestinatam esse; nam frequentius moriuntur ferē omnes perceptis Sacramentis, qua cum faciant ex attrito contritum, modo quo in morali dicitur, facile, divina gratia comite, & applicatione meritorum Christi, viam salutis omnibus parant; quia ut definit Concilium Trident. sess. 7. can. 6. & 7. Sacraenta omnia conferunt, gratiam ovicem non ponentibus.

12. Confirmatur; nam plures sunt ex adultis Catholicis, in quibus per multa signa prædestinationis ex supra relatis, quæ quanvis infallibilité non inferant prædestinationem; tamen magnam fiduciam nobis ingenerunt: inter quæ præcipuum est

devotio cordialis erga Immaculatam Virg. Mariam; quæ est veluti via lactea, & spaciose Schala, per quam Deus descendit ad homines, & homines ascendunt ad Deum, pergitque securè cum hac advocata peccatorum ad Regis Cœlesti Palatium. Unde bené illi Ecclesia applicat illud Prov. *Qui me invenierit vitam, & hauriet salutem à Domino.* Atqui ferē omnes adulti Catholici, vel saltē plures sunt, qui in devotione, veneratione, & cultu erga Deiparam singulariter, & ferventer signantur: ergo de primo ad ultimum congruentius est assercere, & piè probabilius est defendere, ex adultis Catholicis plures esse prædestinatos, quam reprobos. Nec desunt aliquæ piè Historiæ idipsum confirmantes; nam per revelationem Patri Fr. Theodo-ro Conventuali factam habetur, quod Bruxellæ ann. 1489. mortui fuerunt in quadam peste 33y. hominum, & omnes salvi facti fuerunt, exceptis duobus, quorum unus desperavit, alias Sacramentum confessionis voluntarie neglexit. Ita Pedag. Christ. tom. 2. p. 1. cap. 14. n. 6. citat. à P. Fr. Gervas. Brisacensi tract. 3. disp. 3. de Provid. q. 3. n. 155. & 156.

13. Ultimo prob. nostr. conclus. ex nostro illustriss. Merine-ro hic; quia nullo arguento ef-

hicac⁹ convincitur, plures Catholicos adultos esse reprobos: ergo benignius, & probabilius est, plures esse prædestinatos. Antecedens non melius probari potest, quam solvendo argumenta, quæ fieri solent in contrarium.

Primo probari solet opposita opinio ex illo Matth. 22. *Multi sunt vocati pauci verò electi*; sed hæc verba, & omnia alia loca Sacrae Scripturæ, & SS. PP. non urgent. 1. quoniam vocati possunt etiam dici infideles; siquidem Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Omnes vocat, in omnem terram exivit sonus evangelizantium; omnibus dat sufficientia auxilia, quia omnes vult salvos fieri, ut dicemus in tractatu de Gratia; undè explicari possunt omnes Authoritates de omnibus hominibus etiam Acatholicis, de quibus certum est, quod plures, & plurimi pereunt. Secundo, respondetur, quod si de fidelibus loquantur prædicta verba, ly *pauci verò electi*, non intelligitur comparativé ad reprobos, sed comparatione ad omnes vocatos, ac si dicat: multi sunt vocati; sed non omnes electi; sic D. Damascenus, Serm. de Defunctis apud Illustriss. Meniner. 3. potest dici, quod Sancti PP. ita loquebantur non certo, sed dubie, moti ex communi modo vivendi hominum, non

curantium de sua æterna salute: vel ut alij dicunt, loquebantur per quandam exaggerationem, ad majorem incutiendum timorem peccatoribus, ut se à vitijs pessimis, serio, & quam primum converterentur.

14. Secundo probari solet opposita opinio illa parabola de *aréa*, Matth. 3. quæ est figura Ecclesiæ, in qua sunt triticum, & paleæ, id est, prædestinati, & reprobri: sed paleæ in magno numero triticum excedunt: erg. & reprobri in magni numero excedunt prædestinatos. Sed hoc non urget; nam similiter respond. non esse certum, *aréam* significare solam Ecclesiā, & non universos homines; quia ventilatio *aréæ* est, judicium finale, quod ad omnes homines extenditur, & de quibus jam supposuimus plures esse reprobos. Deinde, quanvis *aréa* sit Ecclesia; intentio tamen comparationis non est in numero prædestinatorum, & reproborum; sed ad ostendendum, quod in Ecclesia mali cum bonis, & reprobri cum electis admixti sunt, ut ait D. Gregor. homil. 12, in Evangel. de *Similitudine decem Virginum*.

15. Ultimo solet probari opinio opposita ex eo, quod licet nostra videatur multum professe timidis, ac nimis scrupulosis ad dilationem animi, &

eretionem Speci , & nè in desperationem labescant ; tamen videretur obesse vitiosis , inde occasionem aucti pantes effrenatè vivendi , habenas laxandi : ergo non rectè consultur hæc benignior sententia de pluralitate prædestinatorum ; immò , aliquando poterit prohiberi , ut in publicis concionibus prædicetur . Respond . quod non urget hoc ; nam si benignior nostra sententia de pluralitate prædestinato- rum , adhuc inter adultos catho- licos , posset obesse aliquibus , hoc non habet ex se , & per se , sed per accidens , & ex illorum ignavia , vel malitia : ratio est ( inquit Illustrissimus Siuri in sua Theologia de Novissimis , tract. 33. cap. 4. num. 78.) quia licet plures è Christianis salven- tur , tamen ut constans supponit , multos etiam damnari ; ex hoc autem debet unusquisque prudenter sibi cavere , ne sit ex numero multorum reprobo- rum . Deinde , si nonnulli abu- tuntur hac benigniori sententia , sibi imputent , sicut qui abutun- tur infinita Dei misericordia ; Dominus autem dicit illis : *An oculus tuus nequam est , quia ego bonus sum ? Qui fecit te sine te , non salvabit te sine te . Ubi ce- cederit lignum , ibi permanebit . Quidquid enim de gratuita elec- tione speculentur homines , cer- tum est de fide , quod non coro-*

nabitur , nisi qui legitime certa- verit . Quales nos invenerit , dum ex hæc vita vocaverit , tales nos judicavit . In Deo est infini- ta misericordia , qua plena est terra ( inquit Div. Aug. ) sed etiam est infinita justitia , qua reddet unicuique juxta opera sua .

16 Dubitabis ; an ex sexu masculino plures salventur , quam ex foemineo adultæ ætatis ? Marsil . 2. sentent . q. 13. dub . 4. ait , parem esse numerum . Noster Doctiss . Felix de Prædes- tinat . cap . 3. diff . 2. n . 7. inquit : Satis probabile esse plures fo- minas salvæ : Ita Hurt . quod & mihi probabilius etiam vide- tur ; quia sunt magis devote juxta illud Ecclesiæ : *Intercede pro devoto foemineo sexu ; &* quia viri licentiosius vivunt , ut in plurimum , & liberiis ; ipse vero subditæ viris suis . Insuper plures sunt viri , qui sine sacra- mentis moriuntur in bellis , & in naufragijs , in itineribus flu- minum , & latronum , & in rixis ; quod omne Mulieribus non con- tingit . Hæc resolutio ut vide- tur , intelligitur præcipue at- tendendo communem vivendi modum utriusque sexus : nihilominus hoc esse dubium docet Subtilis . Doctor in 2. d. 20. q. 2. s. ad secundum . Ubi in Scho- lio dicitur , quod Alens . putat in statu innocentia fuissent plu-

res filij, quam filia. D. Bona-  
ventura, Richard, Durand, D.  
Thomas, tenent, quod essent  
æquales numero viri, & mulie-  
res. Scotus nihil de hoc resol-  
vit. In ista materia quanto am-  
plius se quis dilatat, tanto am-  
plius se obscurat inquit ille  
Eruditissimus Discipulus ex au-  
ditu Mariani Doctoris, tom. de  
planetu Ecclesie, lib. 2. cap. 8. in-  
fra medium.

17 Dubitabilis 2. An detur  
liber mortis, & liber vitæ, &  
quid sint? Respond. quoad pri-  
mam partem affirmativè; con-  
stat enim, præcipue de libro vi-  
tæ, ex pluribus Sacrae Scripturæ  
locis, nam Apocalyps. 3. Qui  
vicerit, non delebo nomen ejus  
de libro vitæ; Et cap. 20. Vidi  
mortuos magnos, & pusilos stant-  
tes in conspectu throni, & libri  
aperti sunt; & alius liber aper-  
tus est, qui est vitæ: & judica-  
ti sunt mortui ex his que scrip-  
ta erant in libris, secundum ope-  
ra ipsorum. Et dedit mare mor-  
tuos, qui in eo erant: & mors,  
& infernus dederunt mortuos  
suos, qui in ipsis erant; & ju-  
dicatum est de singulis secundum  
opera ipsorum. Et qui non inven-  
tus est in libro vite scriptus,  
missus est in flagrum ignis. Et  
cap. 21. in fine: Non intrabit  
in eam (id est Civitatem gloriae)  
aliquid coquinatum, aut abo-  
minationem faciens, & menda-

Tom.I.

cum, nisi qui scripti sunt in li-  
bro vite Agni. In alijs autem lo-  
cis appellatur liber absolute,  
vel liber Justorum, aut liber Vi-  
ventium; erg. uterque liber da-  
tur.

18 Confirmatur resolutio  
quoad librum mortis, de quo  
est dissensio inter AA. ut videri  
potest apud Frasen, Boybin, &  
alios RR. Scotistas; nam in Psal.  
68. dicitur: *In libro tuo omnes  
scribentur.* Et Ecclesia in seq.  
Defunct. *Liber scriptus profere-  
tur in quo totum continetur, un-  
de mundus judicetur.* Et hic li-  
ber non vocatur vita: erg. da-  
tur liber mortis pro reprobis.  
Deinde, Daniel. 7. *Judicium  
sedit, & libri aperti sunt.* Su-  
pra quod inquit D. Hieronym.  
Unus est liber bonorum cum suis  
operibus, & alter est malorum  
cum suis peccatis. Ulterius Div.  
Basilius ad illud Luca 10. No-  
mina vestra scripta sunt in Cœ-  
lis, inquit, juxta hunc igitur  
sensem, duæ intelligi debent  
scriptiones, una eorum est, qui  
ad vitam: alia eorum est, qui  
scribuntur ad perditionem: erg.  
nisi contentio fiat de nomine,  
satis ex Sacra Scriptura, & SS.  
Patribus constat, utrumque li-  
brum dari.

19 Quoad 2. partem dubij  
dicunt Thomistæ cuim D. Thom.  
1. part. q. 24. art. 2. Librum vi-  
tæ ad intellectum pertinere: di-

Iii

ver.

versimodè tamen hoc explicant; nam Sanct. Doct. ait : *Liber iste est notitia Dei, quæ præstabilitavit ad vitam, quos præcivit, id est notitia prædestinationis*; ita ibi Vazq. & Beccan. Alij Thomistæ dicunt, esse imperium intellectus, in quo consistit prædestinationis. Supponendum tamen est, quod vox *liber* hic sumitur metaphoricé ad similitudinem rerum humanarum, ubi vocatur liber codix, in quo cognoscitur, & legitur, quod seitur, vel desideramus scire. In hoc ergo sensu possunt dici libri omnia illa media, quibus Deus cognoscit, & manifestavit cuicunque creaturæ rationali quidquid voluerit, & præsertim opera cujuscumque, sive bona, sive mala.

20 Ex quibus resolvimus, quod apud Deum liber vitæ est actus divina voluntatis, quo efficaciter præfinivit ad gloriam, quos prædestinavit ante prævisa eorum merita, & similiter, quos præfinivit, vel antecedenter, vel concomitanter prædicta merita: & liber mortis apud ipsum Deum erit actus voluntatis, quo positivè reprobavit damnados post prævisa eorum peccata, & actus voluntatis, quo voluit cooperari ad materiale peccatorum, modo in superioribus dicto. Probat. nam sapé diximus, quod divinus intellectus cognoscit in divina essentia omnia futura con-

tingentia mediante, & supposito decreto præinitivo, quo omnia futurizantur: erg. non notitia, quia hæc potius est actus legendi, quam liber, sed divina essentia supposito præinitivo decreto, aut ipsum decreto movente divina essentia est apud Deum liber vitæ, & liber mortis; quia Dens cognoscit peccatum finale cujuscumque, quia vult cooperari illi ex descendencione cum libertate creata; & supposita hac cognitione peccati finalis, destinat positivè ad æternam mortem; & supposita hac destinatione, seu decreto reprobativo positivè, cognoscit divinus intellectus per scientiam visionis talem mortem.

21 Quantum verò attinet ad creaturas, erunt tot libri, quot media quibus ipsis manifesta fient opera illarum sive bona, sive mala, qui quidem libri probabilius est, quod præcipue erunt conscientia omnium, tam electorum, quam reproborum. Hic modus dicendi est magis conformis Scripturis, & PP. de hoc loquentibus, ut constat ex supra citatis Apocal. 20. Et Libri aperti sunt, &c. & judicati sunt mortui ex his, que scripta erant in libris secundum opera eorum; per hos enim libros Glossæ, & PP. intelligunt omnium conscientias, in quibus uniuscujusque propria morita te-

reguntur. Unde D. Hieronym. in cap. 1. epist. ad Rom. ait. quod conscientia, & cogitationes nostræ erunt in die iudicij ante oculos nostros, tanquam quædam Historiæ cognoscendæ; & sic pariter in aliorum conscientijs eorum merita, & demerita videri poterunt ab omnibus. Noster Lyranus sup. Apocal. cit. inquit, quod erunt libri conscientiarum; nam omnium merita, & demerita omnibus erunt nota, ut sic appareat omnibus Judicantis justitia. Div. August. lib. 20. de Civit. Dei. cap. 14. ait, quod non erit unus liber, sed singuli singulorum, & quod quædam vis divina est intelligenda, qua fiet, ut cuique opera sua, vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur: quæ nimirum vis divina libri nomen accepit; in ea quippe quodammodo legitur quidquid à faciente recolitur. Quæ expositio clare deducitur ex D. Paul. ad Rom. 2. & 2. Corinth. 5. „ Ostendunt opus legis „ scriptum in cordibus suis, tes- „ timonium reddente illis con- „ scientia ipsorum. Omnes ma- „ nifestari oportet ante Tribunal „ Christi, ut referat unusquisque „ propria corporis, prout ges- „ sit, sive bonum, sive malum. Et qui conformes sint imagini fi- lii Dei dicuntur conscripti in li-

bro vitæ Agni; qui verò sint de- formes erunt in libro mortis.

22. Quomodo autem hæc omnia omnibus manifesta fient in die Judicij? Videatur Subt. nost. Doct. in 4. d. 47. q. 1. §. de Tertio. Videatur etiam Doctissim. P. Mast. tom. Theologiae Moralis disp. 28. q. 3. art. 2. per to- tum præcipuè n. 58. propé finem ubi ait: „ De potentia enim Dei „ absoluta, ut ait Scot. loc. cit. „ omnium gesta immortalitatem pos- „ sunt simul singulis in judicio; „ & sicut de anima Christi dixi- „ mus cum Scoto lib. 3. sentent. „ disp. 5. in verbo, & in pro- „ prio genere omnia cognovisse, „ vel una, vel pluribus visioni- „ bus juxta objectorum multitu- „ dinem, & numerum: ita in „ proposito, posset Deus ele- „ vare ad similes actus omnium intellectus, ad cognoscendum si- mul in omnium conscientijs eo- rum opera etiam in speciali; ita tamen, ut hæc cauarent sui spe- cies independenter à sensibus; vel Deus ipse immediatè eas spe- cies in videntibus produceret, vel ipsas intellectiones, ut ait quoque Scot. loc. cit. Hucusque Mastrius. Quomodo cumque au- tem sit, omnes tunc aperte scient, & manifestè omnibus ap- parebit, qui sunt prædestinati, & qui sunt reprobati; qui sunt ad bea- tititudinem, seu ad vitam eternam assurgendi, & qui non, sed ad æter-

nam mortem proiecendi : & hoc  
erit aperire librum vitæ , & mor-  
tis , & illos omnibus manifestare .  
Dubitabis ultimo ; an  
aliquis ex conscriptis in libris  
vitæ , & mortis deleri possit ex  
ipsis ? Hoc est idem ac inquire-  
re ; an prædestinatus possit dam-  
nari ? Et an reprobis possit  
salvari ? Cum ergo ex Subt.  
Doct. jam supra dictum maneat ,  
quod prædestinatus in sensu com-  
posito non potest damnari ; po-  
test tamen in sensu diviso : Sic  
similiter dicimus , quod non po-  
test deleri de libro vitæ in sensu  
composito ; potest verò in sensu  
diviso . Idem dicimus de repro-  
bis , nempè , quod nullus illorū  
potest salvari in sensu com-  
posito , & potentia consequenti;  
potest autem in sensu diviso , &  
potentia antecedenti : & ita po-  
test , vel non potest deleri de li-  
bro mortis . Immó , si benè ins-  
picatur præcisa natura præde-  
stinationis intentivæ , & natura  
reprobationis positivæ ( de qua  
hic loquitur , nam reprobatio  
negativa non est propriè repro-  
batio , & in sensu composito il-  
lius potest reprobis salvari , quia  
ut dictum est , divina voluntas se  
habet pro illo tunc circa repro-  
bos mērè suspensivè , & pro aliis  
signis sequentibus potest illos  
prædestinare ) in aliquo verò sen-  
su videtur difficultius , quod re-  
probis possit deleri de libro

mortis , & salvari . Expenditur  
hoc : prædestinatio intentiva est  
ante prævisa merita ; ac per con-  
seq. ante prævisum finale meri-  
tum , seu finalem consensum sa-  
lutarem : reprobatio autem po-  
sitiva est post prævisa demerita ;  
ac per conseq. post prævisum fi-  
nale peccatum : ergo difficultius  
videtur , reprobum posse salva-  
ri , quam prædestinatum posse  
damnari . Patet conseq. ex vi præ-  
destinationis intentivæ solùm da-  
tur necessitas antecedens moralis  
ad consensum finalem salutarem ,  
& remanet potentia physica , &  
metaphysica sine actu secundo  
ad oppositum : Atqui posita re-  
probatione positiva , jam est præ-  
visa voluntas reprobri in actu 2.  
cum peccato finali , quod re-  
pugnat , non cum potentia ad  
oppositum , sed cum finali con-  
sensu salutari : ergo in hoc sensu  
major est repugnantia , impossi-  
bilitas , & difficultas circa præ-  
destinationem reprobri , quam  
circa damnationem prædestinati .  
Videatur Bezerr. disp. 6. de Præ-  
destinat. q. 1. §. 2. n. 24. & se-  
quentib.

24 Obijc. illud Exod. 32.  
ubi ait Moyses ; aut dimitte  
noxam populi hujus , aut dele  
me de libro Vitæ ; verba textus  
sunt , vers. 31. & 32. Aut di-  
mitte eis hanc noxam , aut si non  
facis , dele me de libro tuo quem  
scripsisti . Et Psal. 68. vers. 29.  
in-

Inquit David: *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.* Item ad Rom. 9. vers. 3. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem:* ergo vel possibile est, aliquem deleri de libro Vitæ; vel Moyses, David, & Apostolus petebant à Deo aliquid impossibile. Resp. ex Sanctis PP. & Expositoribus, quod Moyses loquebatur per exaggerationem, & cum fiducia, credens, tam impossibile esse, quod Deus ob preces suas non dimitteret populo peccatum, ac impossibile erat, ipsum deleri de libro vitæ; qua confidentia Moyses voluit flectere Deum, & ipsum excitare ad commiserationem. Hoc loquendi modo utitur unus Amicus alteri dicens, aut hoc mihi facias, aut dele me de numero amicorum tuorum, certo confidens, se non delendum de amicitia, sed sibi concedendum suæ petitionis effectum. Alij dicunt, quod per librum vitæ intelligebat Moyses illum, qui sàpè in Scriptura appellatur liber iustorum, in quo scribebantur facta insignia Hebræorum. Alij, quod loquebatur de libro vita præsentis, & mortalitatis. Alij, quod perebat, ut Deus eum absolveret à munere regendi, & gubernandi Populum, si non dimittebat illam noxam, aut delictum. Ad aliud de David respond. cum Aug. & Glosa, quod erant aliqui, ut Pharisæi, & nunc hæretici, qui existimabant, & existimant se esse justos, & in libro vita scriptos: de his David inquit, *deleantur*; idest, agnoscant, & innotescat ipsis, quod non sunt scripti in libro vita. Vel loquebatur etiam de libro præsentis vita. Vel de admixtione illorum cum bonis, & electis, & petebat separationem. Divus Thom. explicat de libro gratiæ, de quo delentur, qui mortaliter peccant. Ad aliud Apostoli respond. cum D. Hieronym. Anselmo, & alijs, quod D. Paulus loquitur de vita sua ante ejus conversionem, in qua ita paternas traditiones zelabat, ut non curaret separari à Christo pro fratribus suis, idest, ita fratrum leges tuebatur, & defendebat, ut cuperet, & optaret ipse anathema esse à Christo, de quo se penitenter fatetur versic. immediato ante: *Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo; optabam enim, &c.* Ob quod in contestibus inquit: *ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Et petit Epistolas: *ut si quos invenisset hujus viae viros, ac mulieres, vinculos perduceret in Ierusalem:* ergo de primo ad ultimum, qui conscrip-

criptus est efficaciter in libro vita, ab illo nequit deleri. O utinam, & nos scripti simus in illo, propter infinitam largitatem Dei, cui proprium est misereri semper, & parcere! Ipse deprecationem nostram suscipiat: ut nos, & omnes famulos, quos delictorum catena constringit, misera-

tio suæ divina pietatis clementer absolvat; ab illoque libro nunquam decidamus, nec deviemus, propter Sacratissimam Passionem Domini nostri Jesu-Christi, propter piissimam clementiam Matris misericordia, & propter intercessionem omnium Sanctorum. Amen.

## TRACTATUS IV.

### DE SACROSANCTO INDIVIDUÆ Trinitatis Mysterio.

**P**OST disputationes de Deo, ut Uno, immediatè se offerunt Disputationes de Deo, ut Trino; nam sicut Deus, ut Unus quodammodo presupponatur ad se ipsum ut Trinum, & ipse ut Trinus statim quasi subsequatur ad se ut Unum: ita ordo doctrinæ postulat, ut post tractatum de Deo Uno, primo loco subsequan-

tur præsens Tractatus de Deo Trino. Sed ut veritates nostræ fidei circa hoc Mysterium Dogmaticè contra Hæreticos propugnantur, placuit mihi, antequam ad controversias inter Catholicos accedamus, quoddam dogmaticum totius Tractatus resumen ex nostro Eruditissimo Aye anteponere. Pro quo sit.

---

### DOGMA ticum totius Sanctissimæ Trinitatis Tracta- tus Compendium, in quo Hæ- reticorum precipui errores deteguntur.

**Q**UOD Deus, & si unicūs quoad essentiam, tamen quoad personas, hypostases, subsistentias, seu supposta, sit re vera Trinus, (contra antiquos, & modernos

Arianos, Sabelianos, Mahometanos, Judæos, Davidem Georg, Bernardinum, Ochinum, Michaelem Servetum, Gergium, Blandratam; Franciscum Davidem, & alios à Jodoco Coccio citatos) Colligitur.

2 Primo, ex Sacris Scripturis, quæ non solum Patrem, sed etiam Filium, nempé Christum, vocant Deum. Isaia. 55. vers. 4. „ Deus ipse veniet, & salvabit

„ nos

„ nos : tunc aperiuntur oculi cæ-  
„ corum , & aures surdorum,  
„ &c. Baruch. 3. vers. 36. Hic  
„ est Deus noster , &c. post hæc  
„ in terris visus est , & cum ho-  
„ minibus conversatus est. Eccli.  
„ 51. vers. 14. Invocavi Domi-  
„ num Patrem Domini mei.  
„ Joann. 14. vers. 1. Creditis in  
„ Deum, & in me credite. Joann.  
„ 20. vers. 28. Dominus meus,  
„ & Deus meus. Rom. 9. vers. 5.  
„ Ex quibus Christus est secun-  
„ dum carnem , qui est super  
„ omnia Deus benedictus in sa-  
„ cula. Joann. 1. vers. 1. Et  
„ Deus erat verbum , &c. He-  
„ bræos 7. vers. 3. Neque initium  
„ dierum , neque finem vitæ ha-  
„ bens.

3 Secundo , ex Sacris Script. quæ Christum vocant Filium Dei. Psal. 2. vers. 7. *Filius meus  
est tu , ego , hodie genui te.* Ps. 109. vers. 3. *Ex utero ante lu-  
ciferum genni te.* Michææ. 5. vers. 2. *Egressus ejus ab initio , à  
diebus æternitatis.* Proverb. 8. vers. 22. *Dominus possedit me in  
initio ::: antequam quidquam  
faceret à principio.* Joann. 3. vers. 16. dicitur , *Filius unigenitus.* Rom. 8. vers. 32. *Filius proprius.* Prima Joann. 5. vers. 20. *Filius  
verus , non adoptivus . sed natu-  
ralis.* Hebræos 1. vers. 5. Carac-  
ter hypostaseos , & figura subs-  
tantia Paterna , &c. Atqui Fi-  
lius naturalis est ejusdem substan-

tiæ cùm Patre , sed diverse sub-  
sistentiæ , cùm nemo possit se ip-  
sum gignere : ergo &c.

4 Tertio , ex Sacris Scrip-  
turis , quæ Spiritum-sanctum  
vocant Deum. 2. Reg. 23. vers.  
2. *Spiritus D. locutus est per me ,  
Deus Israël , fortis Israël , do-  
minator hominum.* Et quod Isaïæ  
6. vers. 9. dicit *Dominus exerci-  
tuum , illud idem Actor. ultim.*  
vers. 26. dicit S. Paulus , dixisse  
*Spiritu-sanctum.* Et quæcum-  
que prophetæ *Spiritu-sancto ins-  
pirati.* 2. Petri 1. vers. 21. lo-  
quebantur , dicebant , se loqui  
inspirante Deo : *Hæc dicit Dominus Deus , &c.*

5 Quarto ex Sacris Scriptu-  
ris , quæ , tam Filium , & Spi-  
ritum-sanctum , quam Patrem des-  
cribunt , ut per se existentes ,  
operantes , intelligentes , mitten-  
tes , &c. quæ non sunt , nisi sup-  
positorum ratione præditorum ,  
idest , Personarum. Rom. 8. vers.  
3. „ Misisit Deus filium suum.  
„ Isaïæ 61. vers. 1. & Lucæ 4.  
„ vers. 11. *Spiritus D. missit me.*  
„ Joann. 15. vers. 26. Ego mit-  
„ tam vobis à Patre Spiritum ve-  
„ ritatis , qui à Patre procedit ,  
„ ille testimonium prohibebit  
„ de me. 1. Joann. 5. vers. 7.  
„ Tres sunt qui testimonium dant  
„ in Cœlo , Pater , verbum , &  
„ Spiritus-sanctus : & hi tres  
„ ( non unus , sed ) unum sunt.  
„ Ego & Pater unum sumus.  
„ Joann.

„ Joann. 10. vers. 30. Unde parimodo jubemur omnes baptizari. Matth. ultim. vers. 19. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti. Et in actionibus ad extra plerumque loquitur Deus in plurali numero. Genes. 1. vers. 26. „ Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, cap. 2. vers. 18. Faciamus Adæ adjutorium. cap. pit. 3. vers. 22. Ecce Adam quasi unus ex nobis. cap. 11. v. 7. Venite descendamus, & confundamus linguam eorum, &c.

6 Quinto ex infinita fecunditate divina essentia, quæ necessario postulat communicari tot suppositis, quot possibile est. Isaæ 66. vers. 9. *Numquid ego qui alios par re facio, ipse non pariam? Ego qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero?* Atqui potest duplice via communicari, (admodum spiritualium substantiarum) nempè, per intellectiōnem notionalem, gignendo filium; & per similem volitionem, seu amorem, spirando, ac producendo Spiritum-sanctum, utrumque consubstantiale sibi, & ejusdem secum ut essentia, ita & perfectionis; nec nisi personalitatibus, & originibus à se, & inter se distinctos: g. &c.

7 Quod Filius in divinis propriis dicta, & substantiali generatione, Spiritus-sanctus ve-

rissimo amore, non transente, sed immanente, non unico soluī momento, sed continuo, & ab æterno procedant, procedentes in æternum ( quod Calvinus ait stulte singi in Deo ) Patet; quia Scripturæ dicunt non solum in actu præterito, sed & in præsenti Filium à Patre nasci, gigni, & parturiri, Psal. 2. vers. 7. *Ego hodie genui te.* Joann. 1. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: non dicit fuit, sed erat; quia adhuc est, eritque in æternum, vers. 18. *Unigenitus, qui est in sinu Patris.* Apocalyps. 5. vers. 12. *Dignus est agnus accipere virtutem, & divinitatem.* Similiter Spiritum sanctum, Joann. 15. vers. 26. *Vocat Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* 1. Joann. 4. vers. 16. *Deus est charitas.* Et ratio est, quia fecunditas divina, ut est infinita, non solum ex parte termini producti, sed ex parte principij, & potentia productoris, & rationis productivæ, & objecti formalis, ita est & æterna: cum ergo omnia ad generandum, & spirandum necessaria, & concurrentia perpetuò, & continuò, & parimodo adsint omni momento: certum est etiam generationem, & spirationem fieri continuò, & omni momento. Deinde ex opposito argueatur mutatio intrinseca in Deo,

si ex generante fieret non generans, & ex spirante non amplius spirans: atqui Malachia 3. vers. 6. *Ego Dominus, & non mutor: erg. &c.*

8 Quod Spiritus-sanctus non à solo Patre, sed simul etiam à Filio procedat, (contra Macedonianos, Montanistas, Græcos, Armenos, Ruthenos, Moscos, Joannem de Wesalia, Casa-Noviūm, Somerum, Christianum Francum, & quosdam alios Calvinistas;) Constat ex Joann. 15. vers. 26. & cap. 16. vers. 7. ubi Spiritus-sanctus dicitur mitti etiam à Filio. Atqui nulla persona in divinismittitur, nisi ab ea, à qua procedit, & substantialiter emanat, ut fere apud omnes in confessō est: ergo, &c. Manifestum est enim (inquit Subt. Doct. in 1. d. 15. q. unic. §. & vers. videtur.) Secundum intentionem Aug. 4. de Trinit. cap. 20. quod Pater non dicitur missus: erg. oportet, quod mitti, cum hoc quod dicit respectum ad extra connonet productionem ad intra; & tunc rationabile videtur consimiliter dicere demittere, quod licet dicat principaliiter respectum actionis activæ ad extra, tamen connotat respectum productionis activæ ad intra; & sic neutrum est mere essentiale, sed mitti tantum convenit personæ productæ, & mittere personæ producenti. Hucusque Doctor.

Tom. I.

9 Ulterius ex Epist. ad Rom. cap. 5. vers. 5. Certum est, miti Spiritum-Sanctum nouatione solorum donorum, sed etiam ratione personæ suæ; nam ibi donum Spiritus-sancti, nempé Charitas Dei, difundi dicitur *in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis.* Rufus, idēo Spiritus-sanctus vocatur *Spiritus Patris*, quia procedit à Patre: erg. parimodo convincitur, procedere etiam à Filio, quia etiam vocatur *Spiritus Filij*, Galat. 4. vers. 6. Rom. 10. vers. 9. & alibi. Rationem vero Christus ipsem allegat, Joan. 16. vers. 15. quia *omnia quæcumque habet Pater* (ergo etiam actio spirativa, quæ in illo priori originis nec dum exiit in actum) *mea sunt*, id est, mihi per æternam generationem communicantur: *Propterèa dixi, de meo accipiet Spiritus-sanctus, & annuntiabit vobis.* Neque enim potest Spiritus-sanctus accipere à Patre, nisi simul à me accipiat.

10 Hæc, & alia plura, quæ videri possunt apud RR. sunt testimonia Sacrae Scripturæ, quibus probatur contra Iudeos, & Hæreticos, dari in divinis Trinitatem personarum, verasque processiones Filij à Patre, & Spiritus-sancti à Patre, & Filio. Advertendum tamen est cum Abulensi in opusc. quoddam de Trinitate, & nost. Nicolao de Lyra

KK

in opusc. contra Iudeos, quod habetur 6. tom. glossæ ordinar. Mysterium Trinitatis non ita expressum fuisse in veteri Testam. ut ex ipso solùm possumus negantes arguere manifestæ contradictionis ; esse nihilominus in illo præfata testimonia , & alia apud dogmaticos videnda , quæ si expositionem rationi magis consentaneam , & antiquis etiam non ignotam sequamur, hoc Mysterium Trinitatis , aut pluralitatem saltem personarum non obscurè prædicant. Cujus rei non ignatus Epiphan. in lib. ancora-  
ro sic ait: *Una Deitas à Moyse præcipue annuntiata est; personarum dualitas vehementer à Prophetis prædicata; Trinitas vero personarum in Evangelij manifesta facta est.*

ii Ob hoc Pater Arriag. doctè , & eleganter , apud Antonium Perez , inquit : Hæc igitur est prima Christianæ Religionis veritas : Deus est Trinus in personis , & Unus in Essentia. Hæc est nostræ catholicae professionis summa : hæc nos à Paganis, Deorum catervam profertibus, longo intervallo fecernit : hæc nos fæliciores antiquis Judæis reddit , qui , licet Deitatis unitatem expressè confessi sint , Trinitatem tamen personarum non , nisi obscurè , & quidem pauci , cognovere : hæc Catholicos ab Arrianis olim distinxit : hæc ex ore infan-

tium , & lactentium auditur hodie : hæc fugitur à matris uberibus : hæc in scholis repetitur à pueris : hæc in Cathedris primatum tenet , &c. Hæc denique , Deo illucescente , jam amplius declaratur sic:

### DISP. PRIMA.

### *DE DIVINIS PROCESSIONIBUS.*

### QUÆST. I.

*AN IN DIVINIS DETUR Processio alicujus Personæ ab alia? Quotplex , & qualis?*

i **C**ommuniter AA. ab alijs quæstion. hanc disputationem incipiunt; sed quia ut inquit Subt. Doct. in 1. dist. 2. q. 6. Pluralitas Divinarum Personarum declaratur ex productione ; ideo ab hac quæst. exordium summo. Ad ejus intelligentiam est notand. 1. Quod Essentia Divina semetipsa est in Patre , id est , quod proprietas constitutens primam Personam sine aliqua productione oritur immediatè , ut infra extensius dicetur ab Essentia Divina. Secundo est notand. quod Essentia Divina non potest esse terminus formalis alicujus productionis , nisi per veram productionem sit com-

municata alicui supposito , accipienti esse per productionem. Et quia suppositum productum , cui Essentia Divina communicatur , realiter distinguitur à supposito producente ; ideo querit hic Doct. Subt. Quomodo Essentia Divina , cum singularissima sit , & perfectissima existens in prima persona , eadem possit communicari alteri supposito per productionem realiter distincto à prima persona , quin & ipsa , ut in secunda persona , realiter distinguatur à se ipsa , ut in prima persona ; quia ut in prima persona est ratio formalis communicandi se ipsam per productionem : & in secunda persona est terminus formalis , sive terminus communicatus per productionem. Ratio dubitationis , quia in creaturis semper ratio formalis producendi aliquid realiter distinguitur à termino formalis productionis ; & ideo Doct. inquit Lichetus , prius declarat productionem personarum.

2. Notandum est 3. Per Professionem in Divinis intelligi veram , & realem emanationem , seu exitum unius personæ ab alia , quæ scilicet , non exeat extra Deum in Creaturas sed maneat intra entitatem Divinæ substantiæ , & veluti in sinu producentis æternum subsistens , de quo illud Jonannis 1. *Unigenitus , qui est in sinu Patris . Qualem professionem Theologi distinguunt in*

activam , & passivam. Processio activa est ipsa actio personæ producentis. Passiva autem est psa emanatio personæ productæ. Et licet processio ex usu Ecclesiæ significat emanationem Spiritus-sancti , qui in Symbolo Athanasij dicitur , *non genitus , sed procedens* : ejus tamen significatio apud Theologos latius usurpari consuevit , ad exprimendam , scilicet , utriusque personæ emanantis originem. His suppositis , sit primæ :

3. Conclusio. In Divinis datur vere , & realiter processio unius personæ ab alia. Probatur 1. ex Sacra Scriptura Joann. 8. dicit ipse Dei filius : *Ego ex Deo processi* ; & 7. *Ego scio eum , quia ab ipso sum*. Eccles. 2. 4. dicit sapientia Dei : *Ego ex ore altissimi , ( id est , ex intellectu Patris ) prodixi primogenita . Ante omnem creaturam . Micheæ 5. Egressus ejus ab initio à diebus aeternitatis . De Spiritu S. dicit . Joann. 15. Cum venerit Paraclitus quem mittam vobis à Patre Spiritum veritatis , qui à Patre procedit . Et 16. ait Christus : Ille me clarificavit , quia de meo accipiet , & anuntiavit vobis .*

4. Probat. 2. Ex Conclisi: In Niceno dicitur Verbum D. Deus de Deo , lumen de lumine , Deus virus de Deo vero : & inferioris additur de Spiritu sancto ; qui ex Patre filioque procedit . In Toletano 11. habetur , Patrem

non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur; ipse enim à nullo originem dicit, ex quo, & filius nativitatem, & Spiritus S. processionem accepit. Sic, & alia CC. passim, & PP. de quibus non est locus ambigendi.

5 „ Probat. 3. ratione Subt. „ nost. Mariani Doct. citat. „ Quidquid de ratione sua for- „ mali est principium producen- „ di, illud in quocumque est à „ se, in eo est principium per- „ fecte producendi; sed memo- „ ria perfecta, sive quod idem „ est explicando, intellectus ha- „ bens objectum intelligibile sibi „ præsens, ex ratione sua forma- „ li est principium producti- „ vum notitiae genitæ, & patet, „ quod memoria talis est in ali- „ qua persona Divina, & à se, „ quia aliqua est mproducta: „ ergo illa persona i poterit per- „ tale principium perfectum per- „ fecte producere. Vel sic potest „ argui: omne suppositum ha- „ bens à se quocumque suffi- „ ciens principium producendi „ potest producere productum „ adæquatum illi principio: ali- „ quid suppositum Divinum ha- „ bet à se principium quocum- „ que sufficiens producendi; „ quod est memoria perfecta: „ Igitur, &c.

6 „ Ulterius consequen- „ ter arguo: Nulla produc- „ tio per memoriam perfectam

„ potest esse perfecta, nisi sit no- „ notitia adequata illi memorie, „ sive illi intellectui respectu „ talis objecti: memorie autem, „ sive intellectui personæ Divinæ „ cum sit infinita nulla notitia „ adæquatur respectu Divinæ Es- „ sentiæ infinite, ut intelligibili- „ lis, nisi infinita, quia intellec- „ tus ille est comprehensivus il- „ lius objecti infiniti: Igitur ali- „ qua Persona Divina per memo- „ riam potest producere notitiam „ infinitam: Sed illa erit in na- „ tura Divina; quia nihil aliud „ est infinitum: ergo in Divinis „ per memoriam potest esse pro- „ ductio ad intra. Sed si potest „ esse: igitur est. Tum quia ibi „ omne possibile est necessarium, „ Tum, quia illud principium „ est productivum per modum „ naturæ: igitur necessario agit. „ Consequentia patet, quia non „ potest impediri, nec ab aliquo „ alio dependet in agendo: om- „ ne enim agens ex necessitate „ naturæ necessariò agit, nisi im- „ pediat, vel ab alio depen- „ deat in agendo. Maj. primi filo- „ gismi apparent; quia quod prin- „ cipio productivo ex se non „ conveniat, quod in illo sit pro- „ ductivu non potest esse, nisi prop- „ ter alterū duorum, vel propter „ imperfectionem ejus in illo, vel „ quia ut in illo acceptum est per „ productionem adæquatam illi „ principio; sicut est de patentia

„ generativa si sit in Filio , & vi  
 „ spirativa si sit in Spiritu-santo.  
 „ Utrumque autem istorum ex-  
 „ cluditur per hoc , quod dicitur  
 „ in majori à se , quia nihil habet  
 „ à se principium productivum,  
 „ nisi habeat illud sine imperfec-  
 „ tione , & etiam non communi-  
 „ catum per productionem com-  
 „ petentem tali principio. Hucus-  
 „ que Doct.

7 Alijs tribus rationibus id ipsum probat ; sed illas omittit ob brevitatem temporis; tūm etiam , quia aliquali nimis longa explicatione indigent. Tūm denique præcipue , quia ut benē hic advertit Lichetus ; Marian. Doctor per illas non intendit probare Trinitatem personarum via naturali , ut aliqui volunt illi imponere. Doctor enim præsupponit productionem personarum esse possibilem in Divinis tanquam Articulum Fidei : hujusmodi tamen possibilitatem per has rationes intendit persuadere, tām fideli , quām infideli ; nec intendit hoc demonstrare via naturali , quia statim sibi contradiceret , nām exp̄r̄s̄e quæst. 14. quodlibet. prolixē declarat quomodo est impossibile cūcumque intellectui creato , etiam Angelico , posse naturaliter cognoscere distincte Trinitatem. Hoc idem in 2. d. 3. q. 9. si tamen sint aliq̄æ rationes possibles ad hoc persuadendum , præcipue sunt

istæ posite à Doctore , quæ ita subtile sunt , quod videntur concludere evidenter proposi- tum ; & ex hoc multi moti sunt ad imponendum Doctori , quod ijs rationibus intendat naturaliter demonstrare Trinitatem personarum , non intelligentes mentem ipsius. Hucusque Lichetus. Quo respondeatur aliquibus instantijs.

8 Arguitur primo pro Hare- tics contrarium hujus Conclu- sionis sentientibus : Tūc intel- lectus solum est productivus no- titiæ genitæ , quando debet per illam intelligere , aut perfici: sed intellectus Divinus non potest perfici , neque intelligere per no- titiam genitam : ergo &c. Res- pondetur cūm Doctore neg. mai. quia cūm ratio activi non sit ge- neratio connexa , nec dependeat per se à ratione passivi , seu per- fectibilis , benē potest esse intel- lectus productivus notitiæ genitæ absque eo , quod per illam intel- ligat , & perficiatur. Quod autem in intellectu creato ita fiat , est de peraccidens ; quia ipse non habet notitiam ingenitam , qua intelligere possit. Igitur in ratione pro- ductivi nulla est imperfectio ; sed perfectio fecunditatis , & activita- tis ; & ideo hæc ratio reperitur in Deo ; in ratione vero recepti- vi est imperfectio ; & ideo hæc in Deo locum non habet.

9 Arguitur 2. Notitia inge- nita , & essentialis est adæquata in-

intellectui Divino : Ergo non potest habere aliam notitiam genitam. Patet consequentia ; ideo enim dicimus Verbum Divinum non esse productivum alterius verbi ; quia intellectus Divinus habet terminum adæquatum in productione unius tantum verbi. Respond. disting. antecedens. Notitia ingenita est adæquata, in ratione notitiae ingenitæ, seu respectu intellectus, ut est operativus ; Conc. Est adæquata, in ratione genitæ, seu respectu intellectus ut est productivus, neg. anteced. & consequent. Etenim, ut ait Subtilis Doctor, quamvis notitia ingenita sit quasi producta, utpote actus intellectus ; non tamen est producta propriæ : & idem quantumcumque memoria, ut in Patre habeat quasi productum, adhuc potest producere productum ; sed verum est, quod cum habuerit productum adæquatum, non poterit aliud producere.

10 Arg. 3. & est in litera Scoti : Nullum productum est ex se necessarium : Sed quidquid subsistit in essentia Divina est ex se necessarium : ergo &c. Probat. mai. quia nihil simul est ex se necessarium, & ab alio : Sed quod est productum, si est necessarium, est necessarium ab alio: ergo non à se. Mai hujus pro fillogismi probbo, quia si est necessarium ex se: g. est necessarium, circumscripto omni

alio : Si autem est necessarium ab alio, non est necessarium illo circumscripto. Secundo probat. prima mai. Quia omne productum possibile fuit produci ; alioquin impossibile produci esset productum : Ergo omne productum aliquam possibilitatem includit ; & omnis possiblitas repugnat necessariò ex se. Ergo, &c.

11 Præterea Essentia Divina circumscripta productione, non habet illud productum : Ergo per productionem fit essentia Divina de non habente illud, habens illud ; & ita mutatio. Denique si est productum : Ergo dependet. Consequens est falsum ; Ergo antecedens. Probat. Conseq. Quia si nullo modo dependet productum à producente: ergo utrumque ex aequo haberet naturam ; & ex hoc ultra non magis præxigeret productum ad sui productionem, & esse, quod produceens prehaberet suam naturam, quam è converso; quod est contra naturam productionis.

12 Resp. Subt. Doct. ad pri-  
mum neg. maj. Cum probatur primo per necessarium ex se, & ex alio : dico, quod si idem ge-  
nus causæ importetur per hæc  
duo, ex se, & ex alto, verum est,  
quod nihil sic est necessarium ex  
se, & ex alio ; si autem aliud ge-  
nus causæ, importetur, nempē  
per illud ex se causa formalis, &  
per illud ab alio causa effectiva,  
vel

vel productiva ; non est inconveniens idem esse necessarium, ex se uno modo , & ab alio , alio modo ; cum pto batur major pro silogismi , dico ; quod necessarium ex se formaliter , non potest non esse , circumscripro quocumque alio , cuius circumscrip-  
tio non includit in composibili-  
litate , ponendo illud esse ; sed  
ex se necessarium formaliter , se-  
quitur posse non esse , circuns-  
cripto quocumque alio per im-  
possibile ; sicut ex uno impossibi-  
li posito , sequitur aliud in-  
compossible ; ita de Filio :: stat  
ergo , quod sit ex se formaliter  
necessarius , & tamen ab alio  
producente cum quo habet ean-  
dem entitatem necessariam.

13 Ad secundam probat.  
major. dico ; quod possibile lo-  
gicum differt à possibili reali.  
Possibile logicum est modus  
compositionis formata ab intel-  
lectu illius quidem , cuius ter-  
mini non includunt contradic-  
tionem ; & ita hoc modo possi-  
bilis est hæc propositio ; Personam  
Divinam posse produci ; &  
Deum esse Deum : sed possibile  
reale est , quod accipitur ab ali-  
qua potentia inhærente alicui,  
vel terminata ad illud , sicut ad  
terminum ( dicitur , ait Liche-  
tus , à potentia inhærente , id est ,  
à potentia activa transmutativa ,  
qua mediante , dicitur aliquis  
posse transmutare aliud essentiali-

ter à se distinctum ) Filius au-  
tem non est possibilis possibili-  
tate reali , nec possibilitate inhæ-  
rente nec terminata ad ipsum ,  
quia possibilitas , sive activa ,  
sive passiva est ad aliud in natu-  
ra ; Filius , tamen , est terminus  
potentia productiva , quæ abstrahit  
à ratione potentia effectiva.

14 Ad aliud dico : quod illa  
persona , id est proprietas per-  
sonæ , non esset in essentia sine  
productione , non sequitur : er-  
go , essentia de non habente , sit  
habens ; sed sequitur : ergo es-  
sentia de ratione sua non habet  
illam , vel non includit illam ::  
non autem sequitur mutatio ex  
hoc , quod aliquid inest alicui ,  
quod non est de ratione ejus : sed  
mutatio requirit , quod aliquid  
inest alicui , cui prius infuit op-  
positum , quod non habetur in  
proposito. Ad ultimum dico :  
Quod non sequitur ; est ab alio :  
ergo dependens. Cum probat.  
concedo quod æquæ independenter  
est natura in producente , &  
producto. Cam arguitur ex in-  
dependentia , quod non ex præ-  
exigentia ; neg. consequiam ,  
quia dependentia sequitur enti-  
tatem formalem dependentis ab  
illo , aquo dependet ; quando  
igitur habet eamdem entitatem ,  
non est ibi dependentia ; potest  
tamen ibi esse præxigentia , si  
unum suppositum habeat illud  
ab altero.

15 Conclusio 2. Duplex tantum datur processio in Divinis, una Filii a Patre, Altera Spiritus S. ab utroque. Est de fide. Patet ex I. Joannis 3. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo.* Deinde, si essent aliæ personæ ultra tres, diminuta esset Sacra Scriptura in re simpliciter necessaria, quod non est concedendum. Prob. etiam ratione Subt. nost. Mag. in I. dist. 2. q. 4. Et quodlib. 2. artic. 2. & 3. Divinæ processiones sunt actus adæquati intellectus, & voluntatis: sed in Deo tantum est unus intellectus, & una voluntas: ergo tantum erunt duas processiones. Major. probat: Nam si termini non essent adæquati, sequeretur infinitos, & si sic: ergo necessario sunt infiniti; quia nihil potest ibi esse, nisi necessario. Ultimum consequens est impossibile manifeste: erg. & primum antecedens.

16 Probat. sequella auctoritate August. contra Maximin. lib. 1. ubi ait: Absit, ut idem potentior sit Pater Filio, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem. Neque enim non potuit: sed non oportuit. Et subdit. Quare non oportuit? Immoderata esset Divina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri; quia nisi, & ipse nepos Avo suo pro nepotem gigneret, secundum vestram mirabilem sapientiam

impotens diceretur; similiter, & ille, & ille, &c. Et subdit nec impleretur generationis series si semper alter ex altero gigneretur, nec etiam perficeret ullus eam, si non sufficeret unus omnipotens: Hæc August. „ Ex ista intentione August. habetur, „ quod si una persona producta „ productione tali non sufficeret „ ad complendam unam, vel to- „ tam productionem in Divinis, „ pari ratione, nec aliæ aliqua, „ nec quacunque; & ita sive „ eundo in directum, quod Fi- „ lius generaret alium filium, si „ vè comparando ad eamdem „ personam Patris; quod, scilicet, „ habeat istum filium, & alium fi- „ lium, semper qua ratione po- „ nitur pluralitas, pari ratione se- „ quirur infinitas ejusdem rationis. „ Hucusque Doct. quodlib. citat.

17 Insuper probat eamdem sequelam ratione hac: Quodquod est plurificabile ejusdem rationis, vel ad plura ejusdem rationis se habens, non determinatur ex se ad certam pluralitatem; sed ex se potest plurificari in infinitum, nisi aliunde impediatur: sed non est in Deo à quo impediatur plu- rificatio processionum: ergo si primus terminus non est adæqua- tus, erunt infiniti termini. Maj- est certa: Probatur min.: nam Deus non potest impediri ab ali- quo creato, ut per se patet, ne- que potest impediri à se ipso, nam

näm ipsæ Processiones sunt necessariæ, & non liberae libertate contingentia, & principia earum sunt infinita : erg. vel unum principium una productione producit unum terminum adæquatum, vel infinitos terminos, quod est impossibile illatum.

18 Quod non sit tantum una productio probat Doct. in 1. citatus: sic: „Omnis pluralitas re- „ducitur ad unitatem, vel ad „paucitatem tantam, ad quan- „tam reduci potest: erg. plurali- „tas principiorum activorum, vel „productivorum reducetur ad „unitatem, vel ad tantam pauci- „tatem, ad quantam potest re- „duci; sed non potest reduci ad „aliquid principium unum pro- „ductivum aliud ab istis; pro- „batio; quia principia produc- „tiva, quæ sunt natura, & vo- „luntas habent oppositos modos „principiandi; quia alterum in- „clinatur ex se ad agendum na- „turaliter, alterum liberè, ita „quod ad hoc ex se naturaliter „non inclinatur. Si autem redu- „ceretur ad aliquid unum prin- „cipium productivum, illud ha- „beret determinatè alterum mo- „dum principiandi alterius isto- „rum principiorum, vel enim „esset productivum ex se deter- „minatè, & tunc per modum „naturæ: vel non ex se determi- „natè, sed liberè, & ita per mo- „dum voluntatis: erg. non pos-

Tom. I.

, sunt reduci ad aliquod princi- „pium, quasi tertium ab istis, „quod, scilicet, se in producendo „neutruius istorum habeat rati- „nem. Nec unum istorum reduci- „tur ad alterum, quia tunc alterū „secundum totum genus suum „esset imperfectum, quod falsum „est; quia cum ex eadem perfectio- „ne conveniat utriusque esse prin- „cipium operativum, & produc- „tivum, & neutrū sit ex se im- „perfectum, in quantum est ope- „rativum; quia tunc non esset „formaliter in Deo: erg. nec in „quantum est productivum, est „imperfectum: erg. non possunt „reduci ad paucitatem minorem, „quam ad dualitatem principij „productivi per modum naturæ, „& principij productivi per mo- „dum voluntatis.

19 Doctor ipse Subt. contra se obiicit aliqua non parum dif- ficultia, quorum solùm sequens proponam: „Quero enim, ait „in 1. citat. Unde probatur illa „propositio, quæ dicit, quod „stante uno aëne adæquato poten- „tiæ ipsa non potest simul habe- „re aliud? Si intelligat adæqua- „tum secundum extensionem, pe- „titur principium. Si secundum „intensionem, videtur falsum; „nam licet visio verbi adæque- „tur potentia intellectivæ ani- „mæ Christi, tamen potest nos- „cere etiam actu elicito aliud in- „telligibile à se. Pater etiam „quod

LII

„ quod Deus novit se notitia  
„ adæquata intellectui suo secun-  
„ dum intensionem , & tamen no-  
„ vit alia à se. Si igitur ita est de  
„ actu adæquato potentia opera-  
„ tivæ , quod compatitur aliud ,  
„ multo magis videtur de poten-  
„ tia productiva ; quia ejus pro-  
„ ductum , vel productio non est  
„ in potentia productiva , sicut  
„ operatio est in potentia operati-  
„ va. Hucusque Doctor.

20 Resp. tamen ex ipso quest. 2.  
quodlibetali , art. 3. Quod ratio  
ipfus procedit de adæquatione  
omnino modis , ubi impossibile est ,  
actionem excedere principium  
formale agendi ; & secundum if-  
tum intellectum , patet quod me-  
moria sic in Patre habet dictionem  
in Patre adæquatam , quod  
impossibile est principium dicti-  
vum excedere hanc dictionem ;  
sicut impossibile est in Divinis  
dictionem esse , nisi hanc ; quia  
de se est hæc , & per consequens  
ejus habet hanc dictionem omni-  
no adæquatam sibi : non potest  
ergo esse principium alterius , nec  
in Patre , nec in Filio. Ita Doct.  
paucis mutatis. Unde patet exem-  
pla non esse ad rem , nam Deus  
unica visione , quæ de se est hæc ,  
videt essentiam , & omnes creatu-  
ras ; & ita hoc exemplum potius  
est in favorem dictæ rationis ; quia  
sicut in Deo solus est unicus ac-  
tus operativus , quo se , & omnia  
cognoscit , & esse plures , esset

imperfectio ; ita etiā solus est  
unicus actus productivus , qui  
de se est hic , & unus numero.

21 Nec exemplum de Visio-  
ne Christi valet , quia de se non  
est hæc , & singularis , sed per  
differentiam individualem ; & ideo  
quantum est de se potest multi-  
plicari ; nam licet visio summa ,  
qua videt verbum , & in eo om-  
nes creature sit adæquata intel-  
lectui , quatenus instructus lumi-  
ne gloriæ ; non tamen est adæqua-  
ta principio intelligendi absolu-  
tè , cum possit habere aliam cog-  
nitionem rerum in proprio gene-  
re ; & ita nulla visio seorsim spec-  
tata est adæquata uni totali prin-  
cipio intelligendi , quod est in  
Christo , quia nulla visio creata  
est de se hæc. Ita intelligent Sub-  
til. Doctorem Smising , Postna-  
nienensis , Felix , & alij plures Sco-  
tistæ.

22 Conclusio 3. Divinæ Pro-  
cessiones sunt immanentes , &  
non transeuntes. Ratio est , quia  
Filio , & Spiritui-sancto commu-  
nicatur eadem numero natura ,  
quam haber Pater : Unde sicut  
creature procedunt ad extra , quia  
recipiunt à Deo naturam à divi-  
na distinctam ; ita Secunda , &  
Tertia Persona Sanctissimæ Trini-  
tatis procedunt ad intra , quia  
eandem ipsam naturam Patris ac-  
cipiunt. Deinde dictio est in Pa-  
tre ; & licet Verbum , quod est  
terminus dictionis non afficiat  
for-

formaliter Patrem, nec Pater formaliter sit Sapiens Verbo; tamen per identitatem essentiæ intimius Verbum manet in Patre, quam verbum creatum in dicente, cum quo non identificatur. Nec Subt. Doctor contradicit, dum Quodlibeto 14. ait: Productio non manet quantum ad terminum, operatio autem omnia in immanet. Non, inquam, contradicit, nam solum vult, quod terminus productionis, non manet quasi forma producentis, sicut operatio essentialis manet, quasi forma in operante.

## QUÆST. II.

UTR. SINT TANTUM TRES Personæ in Essentia Divina? Et num distinguantur realiter inter se?

**I** Conclusio Prima: Tantum sunt tres Personæ in Essentia Divina. Hæc Conclusio est de Fide. Prob. primo: Tum ex Veteri Testam. per ilud I<sup>o</sup>ai. c. 6. Clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Cùr enim Trina repetitio, nisi quia Pater & Filius, & Spiritus-sanctus; Sanctitate una sunt? ait S. Ambros. lib. 2. de Fide ad Gratianum, c. 4. In super in Psal. 66. Ter repetitur Deus in hunc modum: Benedicat nos Deus, quibus significatur Pater; Deus

noster, quibus denotatur Filius, qui per Incarnationem datus est nobis, & noster factus est: Benedicat nos Deus quibus insinuat Spiritus S. Frustranea enim vide-retur Trina repetitio, si Mysterium aliquod non involveret; nec aliud certe; quam adorandam Trinitatem in Unitate. Deinde patet, quod Scriptura unicum tantum Patrem nominae singulari exprimat, unicum quoque Filium. Joannis 1. *Unigenitus, qui est in situ Patris.* Et Tertio: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; unicum quoque Spiritum-sanct. 1. Corinth. 12. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Et infra: *Hæc autem operatur unus, atque idem Spiritus.* Et rursus: *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus Baptizati sumus.*

**2** Præterea ex novo Testamento: ubi expresse dicitur Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.* Ubi tres Personæ clare, expresse, & distinctè nominantur. Prima Joann. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus-sanctus.* Patet etiam conclusio ex Concilijs, & PP. qui omnes uno ore, uno consensu Personarum Trinitatem in Divinis agnoverunt, ut luce clarius eorum scripta passim docent.

**3** Probatur 2. ex nost. Sub-

filii. Mag. in 1. citato. Sunt tantum duæ Personæ productæ, & tantum una improducta: ergo tantum sunt tres Personæ. Circa primam propositionem, probatur primo; quod sint duæ productæ: Secundò, quod non plures. Ad probandum, quod sunt duæ persona productæ, primo probo, quod est aliqua persona producta actu intellectus, & hoc sic: „Intellectus, ut est perfecta memoria, idest, habens objectum actu intelligibile sibi præsens, per aliquem actum suum est productivus termini adæquati, scilicet, infiniti, ex præcedenti quest. nil autem se ipsum producit, juxta Aug. 1. de Trinitate c. 1. Ergo quod productur actu intellectus aliquomodo distinguitur à producte: Essentialiter non distinguitur, quia Essentia Divina, & quæcumque essentialis perfectio intrinseca sibi, est indistinguibilis: Igitur distinguitur personaliter productum à producente: ergo est aliqua persona producta actu intellectus. Consimiliter argumentor de producto actu voluntatis.

4. Quod autem persona producta actu isto, & illo, sit alia, & alia: Probo, quia non potest eadem persona produci duabus productionibus totalibus sufficientibus: Hac autem productione alia est ab illa, ex quæst. præcedenti: ergo hac, & illa non

producitur eadem persona, sed duæ: Ulterius, quod non possunt esse plures persona productæ, tñ sunt quædam istæ duas, probo sic: Non possunt esse plures productæ intra, quod aliqualiter suadetur in questione prædicti. Nulla autem istarum productarum terminari, nisi ad unam personam, quia persona producta est terminus adæquatus illi productioni: ergo &c.

5. Nunc restat probare, quod una tantum sit non producta, quod persuadeo sic: Quidquid potest esse in pluribus suppositis, & non determinatur ad certum numerum suppositorum per aliud, à se, quantum est de se, potest esse in infinitis: & si est necesse esse, est in infinitis, quia quidquid potest ibi esse, est; sed ingenitam si potest esse in pluribus suppositis, non determinatur ab aliquo, in quo suppositis sit; quia determinari ab alio ad esse in supposito, vel in suppositis est contra rationem ingeniti: Igitur de ratione sua potest esse in infinitis. Et si potest esse, est; quia esse in genitum est ex se necesse esse: Consequens est impossibile: ergo illud ex quo sequitur.

6. Secundo sic: Nunquam pluralitas ponenda est sine necessitate; nulla autem necessitas, nec ad se, nec ad extra, cogit, plures esse inascibiles: ergo est tantum unus. Tertio: quia ceterum

„ sentia una actu existens non  
 „ videtur ex se immediate ha-  
 „ bere plures modos essendi.  
 „ Oppositum sequitur, si plura  
 „ essent supposita ingenita, non  
 „ autem sequitur modo; quia  
 „ Essentia Divina non habet plu-  
 „ res modos essendi immediate si-  
 „ ne productione; sed tantum  
 „ unum modum essendi sine pro-  
 „ ductione, & alios duos median-  
 „ tibus productionibus. Objectio-  
 „ nes contra hanc Conclusionem  
 „ solventur conclusione sequen-  
 „ ti.

17 Conclusio 2. Tres Divinæ Personæ sunt inter se realiter dis-  
 tinctoræ. Est etiam de Fide, contra  
 plures Hæreticos. Probat. primo:  
 ex Scriptura Matth. 28. *Baptizan-*  
*tes eos &c.* Ubi conjunctio &  
 bis interposita, evidenter denotat  
 distinctionem esse realem, non  
 naturæ, ut supponimus, sed Per-  
 sonæ, inter Patrem, Filium, &  
 Spiritum-sanctum. Et certè sicut  
 ineptissimè diceretur, hoc tibi  
 præcipio in nomine *Marij*, &  
*Tulij*, & *Ciceronis*, quia unica  
 est persona Marcus, Tullius, Ci-  
 cero, ita & in nostro casu, si Pa-  
 ter, Filius, & Spiritus-sanctus uni-  
 ca essent Persona. Deinde ex  
 Joann. 24. *Ego rogabo Patrem,*  
 & alium Paraclytum dabit vobis;  
 Ubi ly Ego, seu Filius rogans de-  
 bet distingui à Patre rogato, cum  
 nullus roget seipsum, sed distinc-  
 tum: Paraclytus autem, seu Spi-

ritus-sanctus distinguitur à Pa-  
 tre per hoc, quod sit ab illo dan-  
 dus, scù mittendus; à Filio verò,  
 per hoc, quod sit alius paraclit-  
 tus, seu advocatus, quam Filius.  
 Ex Symbolo Athanasij: *Alius Pa-*  
*ter, alius Filius, alius Spiritus-*  
*sanctus.* Idipsum habetur pa-  
 sim in PP, qui hanc doctrinam  
 ab Apostolis receptam, ad nos  
 per varia Concilia inviolabili tra-  
 ditione trans-misserunt:

8 Probat. denique ratione  
 Theologica: Inter producens, &  
 productum realiter necessariò in-  
 tercedit distinctio realis, cum  
 nihil producat seipsum, vel pro-  
 ducatur à seipso, ut supra di-  
 xit Subt. Doct. cum Augustino:  
 Sed in Divinis Pater realiter pro-  
 ducit Filium, & uterque simul  
 Spiritum-sanctum, daturque in-  
 ter ipsos vera oppositio relativa,  
 & relationum incommunicabili-  
 tas: erg. &c.

9 Argu. Contra primam con-  
 clusionem: Relationes oppositæ  
 sunt æqualis dignitatis: ergo si  
 relatio primi producentis tan-  
 tum constituit unam personam  
 correspondit sibi alia relatio  
 tantum, constituens personam  
 unam productam; & ita taptum  
 erit una persona producta. Præ-  
 reâ, duabus relationibus pro-  
 ductorum correspondent duæ  
 producentium, & æquè distin-  
 guntur ista extrema inter se: erg. si  
 iste duæ relationes constituunt  
 duæ

duas personas ; & aliae duas constituent alias duas , & ita erunt quatuor personæ Divinæ. Respond. Subtilis Doctor , in 1. cit. s. ad argumenta principalia : Cum arguitur , æquè nobiles sunt : erg. tot : fallacia est figura dictionis , commutando , quale in quot. Et ratio defec- tus consequentiæ est ista : non enim est propter nobilitatem , vel ignobilitatem relationis , vel rationis principij , vel principiati , quod multiplicetur , vel non multiplicetur ; sed de ra- tione principij est unitas , licet in principiatis possit esse plura- litas ; quia semper est reductio pluralitatis ad unitatem ; & ideo stante æquali nobilitate , potest esse multiplicatio , vel distinctio in relationibus productorum , li- cet non in relationibus produ- centium à se.

10. Ad secundam ratio- nem , concedo , quod rela- tionibus ex parte producen- tium , vel productivi correspon- dent relations ex parte pro- ductorum , & tot , sed non sequi- tur , si relations producti dis- tinguntur sic , ut sint in distinctis suppositis : ergo & relations productivis . Cujus ratio assig- natur , quia relations producti possunt distingui propter dis- tinctas rationes producendi , quæ sunt in producente , licet sit idem suppositum producens , si-

, cut productio artificialis , & na- turalis distinguntur per princi- pia productiva , scilicet , per ar- tem , & naturam , licet ista con- currant in eodem supposito : Re- lationes autem producti non possint ita concurrere in eodem supposito , & una persona ; sed sunt distinctæ personaliter , quia productum est per se subsistens & suppositum . Alia responsio pa- tet ex superiori ratione , quia non potest idem produci duabus productionibus totalibus , licet idem possit producere duabus productionibus totalibus ; & deo rela- tiones producti non plurifican- tur in eodem , licet relations producendi possint plurifica- ri.

11. Contra secundam Con- clusionem : Arguunt 1. Si Personæ Divinæ realiter distingueren- tur , qualibet esset Trina in per- sonis , cum qualibet sit Deus , qui est in personis Trinus : sed hoc implicat : erg. &c. Resp. neg. sequellam , & dico : licet qualibet persona sit Deus , non tamen qualibet est Trina ; quia ly *Tri- nus* competit quidem Deo sumpto adæquate , seu pro omni eo , quod est Deus ; non tamen Deo , quasi inadæquate considerato , seu pro eo , quod ad certam perso- nam restringitur.

12. Instabis : Implicat in ad- jecto , quod una , & eadem res , manens una , sic multiplex , & di-

visa , cum unum sit idem , ac in-  
divisum : sed Dens est Unus , &  
Trinitas est divisa : erg . &c. Re-  
spond . disting . maj . sub eadem ra-  
tione , qua unum est , conc . sub  
alia ratione , qua non est unum ,  
neg . maj . Deus itaque est Unus  
in essentia , & multiplex in Per-  
sonis ; & ideo non est Unus , &  
multiplex sub eadem ratione , sed  
sub diversa .

13 Arg . 2. Quæcumque uni,  
& eidem simpliciter sunt simpli-  
citer eadem , inter se sunt eadem  
simpliciter : dicitur , „ Simplici-  
ter , ad excludendum identita-  
tem secundum quid ; quia si  
„ sunt eadem eidem non simpli-  
„ citer , sed secundum quid ; vel  
„ si eidem simpliciter , sunt ea-  
„ dem solum secundum quid :  
„ non oportet illa esse simpliciter  
„ eadem ; sed Personæ Divinæ  
„ sunt simpliciter , & omnino  
„ idem Essentia Divinæ , quæ  
„ in se , & omnino est simplici-  
„ citer eadem : erg . &c. Maj .  
„ Patet : Tum , quia per eam re-  
„ ner omnis forma syllogismi  
„ perfecti , quæ forma est de se  
„ evidens ; quia in præmissis no-  
„ tantur extrema in medio con-  
„ jungi , & ex hoc solum con-  
„ cluditur identitas extremorum  
„ inter se in conclusione . Tum ,  
„ quia oppositum prædicati des-  
„ truit subjectum ; quia si non  
„ sunt eadem omnino inter se ,  
„ non sunt simpliciter eadem ali-

„ cui eidem simpliciter . Minor  
„ prob . quia essentia Divina  
„ propter summam simplicitatem  
„ est quidquid habet , secund .  
„ August . 11. de Civit . cap . 10.  
„ Similiter alia pars minoris pa-  
„ tet ; quia ipsa est in se omnino  
„ simplex , & indivisibilis : erg .  
„ &c. Hoc argumentum adeò tor-  
„ sit Catholicorum ingenia , ut  
„ penè nullus cum alio in ref-  
„ pondendo conveniat .

14 Respondet , tamen , Sub-  
tilis nosf . Doctor , sua consueta ,  
& mirabili subtilitate , quod ma-  
jor sic est intelligenda : „ Quæ-  
„ cumque aliqua identitate sunt  
„ eadem alicui , illa tali identi-  
„ tate inter se sic sunt eadem :  
„ quia non potest concludi ali-  
„ qua identitas extremorum in-  
„ ter se ; nisi secundum illam iden-  
„ titatem qua sunt eadem in me-  
„ dio , & medium in se sic sit  
„ idem , & per hanc proposicio-  
„ nem sic intellectam tenet om-  
„ nis forma syllogistica : omis-  
„ sa autem altera conditione  
„ vel unitatis medij in se , vel  
„ extremorum ad medium , non  
„ est syllogismus , sed paralogis-  
„ mus accidentis . Cum accipitur  
„ in minori , quod quidquid est  
„ in Essentia Divina est idem illi  
„ essentia , non est verum ; in-  
„ telligendo de identitate forma-  
„ li , & ideo non potest concludi  
„ formalis identitas extremorum  
„ inter se ; quandiu autem stat-

„ for-

„ formalis distinctio relationum  
„ suppositi , stat formalis distinc-  
„ tio suppositorum.

15 Et si dicas : „ Quod sal-  
„ tem ex identitate reali eorum ad  
„ essentiam concludam identita-  
„ tem realem eorum inter se. Di-  
„ co: Quod essentia non habet  
„ identitatem talem unicam, sci-  
„ licet , subsistentia , prout per-  
„ sonæ , vel personalia , ut ex-  
„ trema uniuntur in essentia,  
„ (quia tunc inquit Lichetus,  
„ essentia esset in se una persona,  
„ sive unum suppositum) & ideo  
„ non potest concludi identitas  
„ subsistentis , vel subsistentia per  
„ rationem identitatis eorum in  
„ essentia , ut in medio. Hucus-  
„ que Doctor. Et paulò inferius:  
„ Quod si saltem arguas extrema  
„ realiter esse idem inter se; quia  
„ etiam in medio sunt idem,  
„ conc. quod potest inferri iden-  
„ titas essentialis non formalis,  
„ vel suppositiva , & ideo non  
„ debet inferri , quod Filius est  
„ Pater , quia ibi denotatur , ex  
„ vi illationis , & sermonis, iden-  
„ titas formalis , vel hypostatica:  
„ sed sic debet inferri: Filius est  
„ idem cum eo , quod est Pater;  
„ vel Filius est id , quod est Pa-  
„ ter.

16 Per hoc patet ad talia  
sophismata: „ Hic Deus est Pa-  
„ ter , Filius est hic Deus: erg.  
„ Filius est Pater. Quod confirm.  
„ quia medio existente hoc ali-

„ quid , necesse est extrema con-  
„ jungi. Resp. Quid sicut in crea-  
„ turis commune se habet , ut  
„ quale quid; singulare , ut ali-  
„ quid , ita hæc essentia commu-  
„ nis Personis habet rationem  
„ qualis cuius , & persona habet  
„ rationem hujus aliquujus. Me-  
„ diam ergo hic est quale quid,  
„ & non hoc aliquid: Concludi-  
„ tur autem idenitas extremo-  
„ rum in conclusione , ac si me-  
„ diam fuisset hoc aliquid. Si  
„ militer ibi videtur esse fallacia  
„ accidentis , & consequentis;  
„ quia ly Deus accipitur in præ-  
„ missis pro alio , & alio suppo-  
„ sito. Hucusque Subtilissim. Ma-  
„ rian. & cum eo famosiores Sco-  
„ tistæ.

17 Aliqui , tamen , aliter  
respondent , sic disting. Quæ sunt  
eadem unius tertio , sunt eadem in-  
ter se , si ipsis ex proprijs earum  
rationibus non repugnet identifi-  
cari inter se , concedunt ; si ipsis  
ex proprijs eorum rationibus re-  
pugnet ; neg. Etenim licet Essen-  
tia Divina ratione sue infinitatis  
realiter sibi identificet omnes ra-  
tiones formales ab imperfectione  
separatas , tam absolutas , quam  
relativas , eas tamen sic sibi iden-  
tificat , ut remaneat salvus , &  
in confusus earundem essentialis  
conceptus , & prædicta sua essen-  
tialia : & cum de conceptu for-  
mali , & essentiali relationis mu-  
tuæ sit oppositio relativa , neces-

lariò inferens distinctionem realēm à suo correlativo ; & cum de ratione unius suppositalitatis sit repugnantia ad se identificari cum altera : hinc est quod Essentia Divina ita sibi identificat relationes Divinas , ut tamen ea rūdem inter se realēm distinctionem non tollat , sed compatiatur. Alij aliter respondent : sed nulla responsio mihi placet , nisi responsio Subtilissimi nostri Doctoris , quæ meo videri subtilior , verior , & efficacior est ad salvandum prædictum principium in Divinis ; nam magnum inconveniens judico asserere , Trinitatis Mysterium alicui naturali principio repugnare , quippè hoc est odiosum , & repugnaret etiam quoad sui credibilitatem.

18 Quamplurimi tamen Recentiores , vel non intelligentes , seu nollentes intelligere , ut bene agant , Subtil. hanc speculationem Marian. Doct. illam impugnant , tamquam nugatoriam , & reden- tem principium inutile ; nam dicta explicatio (inquirunt) idem sonat , ac si diceretur ; quæ sunt eadem uni tertio , sunt eadem uni tertio , vel in tertio. Ubi idem arguitur in antecedenti , ac in consequenti. Ad quod respondeo : Falsum esse , hoc principium redi inutile , juxta Scoticam Expositionem : quia ista admissa , adhuc prædictum principium vim illativam habet , & quid diver-

sum ponitur in consequenti ab eo , quod positum est in antecedenti. Sensus ergo illius , juxta dictam expositionem , est hic : quæ comparata cum aliquo tertio , reperiuntur identificari cum illo , si posteà comparantur ad invicem inter se reperiuntur etiam , ut sic identificari , non absolute , sed eo modo , & genere identitatis , quo identificabantur cum tertio. Constat ergo diversum esse , quod ponitur in consequenti ab eo , quod positum fuerat in antecedenti ; cum in antecedenti solum fiat comparatio extremonum cum tertio , & in consequenti comparatio extremonum inter se , non precise , & nudè sumpta , sed connotando medium tamquam quo , seu ratione identificandi utrumque.

19 Etenim cùm identitas sit relatio in præmissis , explicatur talis relatio extremonum respectu medij , & medij respectu extremonum ; in conclusione vero explicatur talis relatio extremonum inter se , ubi non ingreditur medium , tamquam relatum , & in recto : sed de connotato , & tamquam ratio fundandi relationem , quæ refert utrumque extrellum. Et quando Doct. Subtil. ait : Extrema esse idem inter se ea identitate , qua sunt idem cùm medio , judico sine præjudicio , quod ly ea identitate idem sonat , ac identitate ejusdem rationis ; quippè

numerice distincta identitas explicatur, cum fiat distincta praedicatio, distinctaque comparatio ab illis, quae erant in præmissis. Igitur dicebat Subtilis Doctor, attendi debet diligenter qualis est unitas medijs, ut videatur qualis unitas ex ipso refunditur in extremis; quia solum potest refundere illam, quam in se habet, modo dicto, non majorem, nec minorum.

20 Ex quo deveniendo ad hunc syllogismum; Hic Deus est Pater: Filius est hic Deus: ergo Filius est Pater: dico; Patrem, & Filium esse idem, & unum inter se eadem unitate, quam habet medium in se, scilicet, hic Deus; & cum hoc tantum habeat unitatem essentialem individualem, & communicabilem, non logicè, seu per multiplicationem, sed realiter, seu per communitatem inexistentiarum, hinc est, quod extremis nimis Patri, & Filio, solum unitatem individualem, essentialem, & communicabilem praestare potest; ac proinde inconsequenti solum infertur inter Patrem, & Filium identitas realis de linea individui essentialis, & communicabilis; non vero identitas de linea relativi, & incomunicabilis, seu realis personalis; quia ista non habebat in se medium, & derivaret in extrema identitatem, quam in se ratione sui non habet, quod

est impossibile. Si haec Doctrina bene, & diligenter scrutetur, credo, quod facile præcludentur, quam plurima sophismata, quibus Hæretici insurgunt contra hoc profundissimum Mysterium

21 Arg. 3. & est etiam in litt. Mag. Subtilis: . Nil est ponendum in entibus, & maxime in summo bono, quo non posito, nihil perfectionis deficit in universo; sed aliqua Persona Divina non existente in Divina essentia, nihil perfectionis deesset in universo: ergo pluralitas talium non est pondenda in Deo. Prob. min: Si secunda persona non esset, quid quid perfectionis esset in ea, esset in persona alia, & ita nihil perfectionis deesset in universo, si ipsa non esset; quia quid perfectionis simpliciter est in una, est in alia: ergo substracta una, & manente alia, nihil perfectionis tollitur ab universo. Dices: Quod non sub omnimo, quidquid perfectionis est in una, est in alia. Contra: iste modus habendi, vel essendi, aut est perfectio aut non? Si sic, erit in Deo; & per consequens persona prima non erit simpliciter perfecta, quae non habebit illum modum. Si non? ergo stat argumentum, quod non manente secunda persona, manet tota ejus perfectio in persona prima: ergo nil perfec-

fectionis deperditur ab universo , amota persona secunda.

22 . Resp. ipse Scotus ad argum. Quod si in majori per illud *si* intelligatur conditio possibilis, major est vera, & minor falsa. (Quasi sit formata ratione sic : quodcumque bonum , si non esset , nil perfectionis deficeret in universo ; necessario non est ponendum) Nulla enim positione possibili posita, potest deesse secunda persona in Divinis, quin summum bonum, & summa perfectio deesset. Et si probes, quod si illa decesset, summa perfectio esset in Patre : Dico ; quod si illa decesset, summa perfectio decesset; & si illa decesset , & Pater non decesset, summa perfectio adesset; & ita ipsam deesse , & Patrem esse, includit contradictionem. Si autem in majori per ly *si* panatur positio incompossibilis ; dico: Quod major est falsa ; illud enim ponendum est in summo bono , quod non potest poni non esse sine positione incompossibilis.

### DUBIUM INCIDENS.

23 **S**ED hic restat, inquit Subtilis Doctor, ulterior difficultas; non enim videtur intelligibile, quod essentia non plurificetur ; & supposita sint plura , nisi aliqua distinctione

ponatur inter rationem essentiæ, & rationem suppositi ; & ideo ad salvandam istam compossibilitatem prædictam, oportet videre de illa distinctione. Et dico sine assertione, (non debet intelligi , inquit Lichetus , quod hic non sit determinata intentio Doctoris; Tum , quia istæ rationes concludunt evidenter propositum. Tum etiam , quia dist. 8. afferit hoc esse simpliciter necessarium ; hoc idem in pluribus alijs locis.) & præjuditio sententia melioris, quod ratio , qua formaliter suppositum est incommunicabile , & ratio essentiæ, ut essentia , habent aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati , & increati.

24 Et probo sic : Primum , suppositum habet realiter (præter omne opus intellectus) entitatem communicabilem , scilicet , naturam Divinam , alioquin non posset eam communicare ; habet etiam realiter entitatem incommunicabilem, alioquin non esset positivè , & in entitate reali suppositum. Et intelligo sic realiter , quod nullo modo per actum intellectus considerantis : Imo quod talis entitas esset ibi , si nullus intellectus consideraret : & sic esse ibi , si nullus intellectus consideraret , dico , esse ante omnem actionem intellectus communicabilem ; & aliqua entitas sic de se

incommunicabilis, ita quod sibi contradicat communicari, nisi ante actum intellectus sit aliqua distinctio inter hanc entitatem, & illam: ergo, &c. Si dicas, quod ante omnem actum intellectus non est aliqua distinctio, sed est entitas omnino unius, & ejusdem rationis. Contra; igitur entitatem istam uniū rationis totam communicat Pater, & ita nullam entitatem positivam in se habet Pater, quam non communicat Filio: ergo, communicat ei Paternitatem, sicut essentiam.

25 Secundo arguitur sic: Distinctio una in intellectu, est penes diversum modum, idem objectum formale concipiendi, & hoc, sive concipiendo grammaticè, ut homo, & hominis, sive Logicè, ut homo, & humanitas. Alia major distinctio est in intellectu concipiendo duabus actibus duo objecta formalia, & hoc sive illis corrispondent diversa res, ut in intelligendo hominem, & assinum, sive una res extra, ut intelligendo colorem, & disgregativum.

26 Ex hoc arguo sic: Pater intelligens se, in illo primo signo originis, aut intelligit essentiam, & A proprietatem, ut diversa objecta formalia, aut precisè, ut idem objectum sub alio, & alio modo concipien-

di? Secundo modo non, quia tunc non esset major differentia inter Deum, & relationem, quam concipiendo Deum, & Deitatem: & ita non conciperet A proprietatem magis incomunicabilem, quam Deitatem; nam homo non est incommunicalis, si humanitas est communicabilis, nec e converso: ita in proposito. Similiter tunc non magis esset intellectus Patris in Essentia Divina beatus, quam in A, quæ dicitur proprietas Patris; nec magis in A, quam in proprietate Filij, & ita in duabus objectis, ut in proprietatibus Patris, & Filij primo esset beatus.

27 . Et si detur primus modulus, quod Paternus intellectus habeat essentiam, & A, tamquam duo objecta formalia; tunc arguo sic: Intellectus nihil intelligit, nisi intuitivè; quia omnis intellectio abstractiva, & non intuitiva est alioquomodo imperfecta: cognitio autem intuitiva est objecti, ut objectum est præsens in existentia actuali, & hoc in se, vel in alio eminenter continente totam entitatem ipsius: ergo quæ cognoscuntur intuitivè, ut objecta formalia distincta, vel unum eminenter continetur in alio, vel utrumque secundum propriam existentiam terminat actum, ut est ejus. Nihil autem intrinsecum

Item Personæ Divinæ propriæ continetur in aliquo eminenter; quia tunc esse ens per participationem illius continentis. Igitur quæcumque intrinseca sunt diversa objecta formalia intuibilitia secundam propriam existentiam actualem terminant intuitionem, ut objecta, & ita habent aliquam distinctionem ante actum intelligendi. Hucusque Doctor. Hanc litteram ( inquit Marginista ) ponderabis propter notitiam intuitivam Dei respectu omnium creabilium aeterno, ante ipsorum existentiam. Et nota ex ista littera ( inquit Licherus ) quomodo est necesse concedere, proprietates Divinas dicere ex natura rei alias existentiam ab existentia naturæ Divine, & non est hoc inconveniens: esset tamen inconveniens, si essent ibi tales existentia realiter absolute distinctæ ab existentia essentia.

28 Si dicas ( prosequitur Doctor ) quod essentia de se facit unum conceptum in intellectu Patris, sed circa illam potest intellectus Paternus facere diversas rationes, & præcisè secundo modo distinguitur essentia, & A in intellectu Paterno, & non primo modo. Contra: Quidquid intellectus causat, si ne actione objecti, circa objec- tum præcisè, hoc est virtute

propria intellectus, & hoc lo- quendo de objecto, ut habet es- se cognitum in intellectu præ- cisè, & de intellectu, ut consi- derans est illud est præcisè rela- tio rationis: nunc autem illa ratio, quam facit essentia de se, pater, quod est absoluta, aliter non beatificaret intellectum Pa- tris: ergo præter istam ratio- nem absolutam, nulla est alia in re ante actum intellectus, alias haberetur propositum. Nulla etiam est alia, per te, in intellectu Patris, nisi per actum intellectus negociantis, & non per impressionem factam ab objecto; quia non imprimit, per te, nisi unum conceptum: Ergo, qualibet ratio alia ratio- ne absolutæ essentiae erit præcisè relatio rationis: ergo, proprie- tas Patris, quæ est incommuni- cabilis, erit relatio rationis, quod est inconveniens.

29 Secundo; oportet videre qualis sit ista differentia, quæ po- nitur præcedere omnem actum intellectus. Dico :: . Quod dif- ferentia hic intenta est minima in suo ordine, id est, inter om- nes, quæ præcedunt intellectio- nem. Concluditur autem sic: distinctio divinorum supposito- rum est realis: cum igitur non posset idem eodem forma- liter convenire realiter, & dis- ferre realiter, concluditur ali- qua

• quia differentia essentiæ in qua  
• supposita conveniunt ab illis  
• rationibus , quibus supposita  
• distinguuntur. Similiter ex dif-  
• ferentia objectorum formalium,  
• quorum neutrum continetur in  
• aliquo eminenter , & hoc in in-  
• tellectu intuitivè considerante,  
• concluditur aliqua differentia  
• ante actum intellectus eoram,  
• quæ cognoscuntur intuitivè.

30 Brebiter igitur dico:  
• Omittendo illa verba de dis-  
• tinctione rationis , & de dis-  
• tinctione virtuali ; non quia  
• sint male dicta , sed , quia non  
• opportet eis uti : dico , quod in  
• essentia Divina , ante actum in-  
• tellectus , est entitas A , & enti-  
• tas B , & hæc non est formalit-  
• ter illa ; ita quod intellectus Pa-  
• ternus considerans A , & consi-  
• derans B , habet ex natura rei ,  
• unde ista compositio sit vera:  
• A non est formaliter B , non au-  
• tem precisè ex aliquo actu in-  
• tellectus circa A , & B. Istam dif-  
• ferentiam , seuhanc distinctionem  
• formalem manifestat etiam Sub-  
• tilissimus Doctor per exempla  
• in creatis ; insuper , & per au-  
• thoritates Augustini : & Scotis-  
• ta congregant pro illa , quam  
• plurima argumenta , tam à ra-  
• tione , quam ab authoritate ,  
• quæ , sicut & adversariorum res-  
• ponsiones , & illarum impugna-  
• tiones satis abunde apud recen-

tiores inveniuntur ; & quia mihi  
magis movent Marianii Doctoris  
verba , in illis videnda relinquo.

## QUÆST. III.

QUID , ET QUOTUPLEX  
*sint Divinae Procesiones?*

1 **S**Tatuimus jam dare in  
Diyinis duas tantum  
Procesiones ; nunc autem con-  
sequenter inquirimas , quid sint  
ista Procesiones , & quales , an ,  
scilicet , sint operationes intellec-  
tus , & voluntatis , & quales ; an ,  
vero , diversæ operationes alia?

2 In hac re fuit singularis  
Sententia Durandi ; Filium pro-  
priè , & verè non procedere per  
intellectum ; neque Spiritum  
sanctum per voluntatem ; sed  
utrumque immediate procedere  
per naturam Divinam. Unde con-  
sequenter ad hæc dicebat , Pro-  
cessiones Divinarum Personarum  
non esse operationes intellectus ,  
& voluntatis ; sed operationes  
naturæ Divinæ. Contra illum ta-  
men omnes Scholastici conspi-  
rant , dicentes : Filium procede-  
re per intellectum ; & Spiritum  
sanctum per voluntatem ; & conse-  
quenter Procesiones Divinarum  
Personarum esse ( inquiunt ) ope-  
rations intellectus , & volunta-  
tis. *Ita Subtilis Doct. in 1. dist. 2.  
quest.*

quæst. 7. & dist. 24. q. 1. & 2. &  
 & alibi sapè. Div. Thomas, om-  
 nesque Scotistæ, & Thomistæ,  
 & est etiam communis consentaneus  
 PP. quos recentiores longo cala-  
 mo referunt: qua propter plures  
 affirmant, Sententiam Durandi  
 esse ad minimis temerariam. Im-  
 pugnationem ejus omitto. Acce-  
 damus ergo ad præcipuam hujus  
 rei difficultatem.

3 Circa quam: Molina, &  
 Suarez inquiunt: Procesiones  
 Divinas activè sumptas non esse  
 veras actiones, sed meras resul-  
 tantias, ita, ut una persona re-  
 sultet ab altera, eo ferè modo,  
 quo proprietates resultant ab es-  
 sentia per simplicem emanatio-  
 nem, seu resultantiam, absque  
 ulla actione propria. Thomistæ  
 verò volunt quidem esse veras  
 actiones intellectus, & voluntatis,  
 sed ab intellectione essen-  
 tiali, & essentiali volitione om-  
 nimodè indistinctas: ita, tamen,  
 ut intellectio, per quam proce-  
 dit Filius, modificetur per Pa-  
 ternitatem; & volitio per quam  
 procedit Spiritus-sanctus, mo-  
 dificetur per Paternitatem, &  
 Filiationem. Scotistæ, autem, vo-  
 lunt etiam esse veras actiones, sed  
 formaliter ex natura rei ab in-  
 tellectione essentiali, & essentiali  
 volitione distinctas: Unde cum  
 suo Mar. Doct. duos ponint ac-  
 tus in intellectu formaliter ex na-  
 turæ rei distinctos, intellectionem,

& distinctionem; Similiter duos co-  
 dem modo distinctos in volunta-  
 te, amorem, & spirationem; &  
 dicunt, verbum procedere per  
 distinctionem, non per intellectio-  
 nem; & Spiritum-sanctum, per  
 spirationem, non per amorem.

4 Sed, ut hæc Scotica senten-  
 tia clarius percipiatur, præsuppo-  
 nere oportet ex libris de anima,  
 qualiter secundum mentem Scoti,  
 Verbum creatum procedat ab in-  
 tellectu creato. Etenim Verbum  
 creatum producitur à duplice  
 principio partiali, nempe ab in-  
 tellectu, & objecto, ex quibus  
 coadunatur unum principium to-  
 tale, quod memoriam fecundam  
 appellat Subt. Doctor: Intellectus  
 enim fecundatus specie represen-  
 tante objectum, vel ab ipso ob-  
 jecto, producit per actionem,  
 quam appellat Doctor distinctionem,  
 speciem impresam, seu intellec-  
 tionem, quæ dicitur verbum  
 mentis, & est realiter distinctam,  
 à dictione, seu actione, per quam  
 producitur; quia dictio est ac-  
 tio, & Verbum est qualitas, ut  
 diximus in libris de Anima. Un-  
 de in intellecta sunt duo actus,  
 unus dicendi, & prudenterius;  
 alijs verò intelligendi, & mere  
 operativus. Hunc ordinem, quam  
 ponit Subtilis Doctor in nobis  
 inter dicere, & intelligere, po-  
 nit etiam inter spirare, & ama-  
 re; quia spiratio est actio in vo-  
 luntate, qua producitur amor.

Se-

5 Secundò est præsupponendum; quod istud Verbum mentis dicitur expresa similitudo objecti, notitia genita, conceptus productus, species expresa, & vera proles memoriae, à qua informatur de novo intellectus, & media ista informatione, & receptione percipit objectum, & vitaliter operatur, & hoc vitaliter operari est formaliter intelligere; in hoc verbo Credo inveniuntur plures respectus; primo enim respicit intellectum, ut principium productivum illius. Secundo; dicit respectum ad illum, ut ad receptivum illius; quia cum sit qualitas, requirit subjectum receptivum. Tertio: dicit respectum ad objectum, veluti ad ejus principium partialiter productivum. Ultimo etiam dicit ordinem ad objectum, veluti representantis ad representatum. Idem philosophatur de amore à voluntate producto. Ex his facile potest cognosci, quid sit dicendum de productione Verbi Divini, & Spiritus sancti: nam si imperfectiones, quæ reperiuntur in productione Verbi creati, & creati amoris reijciamus, eodem modo est philosophandum, seu theologizandum de productione Verbi Divini, & Divini amoris notionalis; intellectus enim, seu memoria Patris aeterni faciundata ab essentia sua, tanquam ab objecto, dicit, seu producit ver-

bum, seu Filium, aut notitiam genitam, & imaginem sui.

6 Imperfectiones autem, quas reijcere debemus, sunt sequentes: Prima; quod in productione verbi creati regulariter objectum non unitur immediate, & per se cum intellectu, sed media specie, quæ est accidens; in Patre vero aeterno objectum, seu essentia per se immediatè, & absque accidente unitur intellectui Divino. Secunda; quod verbum creatum est accidens indigens subjecto ad sui receptionem; Verbum vero Divinum est per se subsistens, & sic non recipitur in intellectu Paterno. Tertia; quod dictio verbi creati, est actio inferens causalitatem verbi à potentia productiva, & est subjectivè in agente; in Divinis vero non est ita actio, nec factio inferens causalitatem, aut dependeniam producti, nec subjectatur in Patre; quia talis dictio; non est accidens; nec Pater est capax recipiendi aliquid. Quarta; quod intellectus noster intelligit per verbum, tanquam per formam, seu rationem formalem intelligenti; imperfectio est, enim, habere potentiam perfectibilem per aliquid à se distinctum, medio quo operetur: intellectus vero, Paternus non intelligit per verbum, sed intelligere divinum est per intellectuionem essentialiem, quæ præcedit in aliqua priorita-

re productionem verbi. Unde, licet, in creatis prius sit dicere, quām intelligere; quiā dictio est actio productiva intellectionis; in Divinis vero prius est intelligere, quām dicere; & prius est amare, quām dicere, & spirare. Non quia sunt principia ipsorum, sed quia intelligere, & amare sunt actus improducti, operativi, toti Trinitati communes, & essentiales, & omnia essentialia, quæ non dicunt ordinem ad aliquid creaturem, sunt priora notionalibus juxta communem consensum Theologorum. Ultima; quod in creatis verbum non continet in se verè, & realiter essentiam objecti, sed solum repräsentative illam significat; Verbum vero Divinum realiter, & verè continet, & includit Essentiam Divinam, quæ est objectum, ex cuius fecunditate produceatur. His suppositis, sit

7 Conclusio 1. Procesiones Divine non sunt simplices emanationes metaphysicæ; sed verè, & propriè sunt actiones vitales, seclusis imperfectionibus. Est Subt. Doct. & D. Thomæ cum suis. Prob: Aliter Essentia Divina determinatur ad Filium, & Spiritum sanctum, quām ad Patrem: ad illos, enim, determinatur, quatenus dicuntur produci, non ita ad Patrem, qui à nullo producitur: ergo cùm ad Patrem determinetur, juxta adversarios per simplicem resultan-

tiam; ad Filium, & Spiritum sanctum, determinari non debet, per illam, sed per realem, & propriè dictam actionem, seclusis imperfectionibus. Confirmata. Simplex resultantia est, quando ab ipsa natura substantiali immediate effluit; sed Processiones Divinæ non sunt immediate ab ipsa essentia sola, sed simili cuncti intellectu, & voluntate: ergo non sunt simplices resultantiae.

8 Arg. contra: Relationes non sunt per veram, & propriam actionem, sed resultant ex fundamento, & termino positis: atqui constitutiva Divinarum Personarum, seu processiones sunt relationes: ergo &c. Præterea, actio propriè dicta, plures involvit imperfectiones, nempe, quod sit motus, egressio ab agente, & receptio in passo, & quod illius terminus sit realiter effectus, & actus; sicut principium est realiter agens, & efficiens; sed omnes imperfectiones istæ in Deo nequeant admitti: ergo &c.

9 Resp. ad primum, distinguendo maj. Relationes creatæ, quæ sunt accidentia, exiguae, & diminutæ entitatis, non sunt per veram actionem, omitto maj. relationes constitutiva Divinitutis Personarum, nego maj. Nam Pateritas Divina dici potest formaliter generatio, & Filiatio D. genita; & generatio, est vera actio;

& quod est genitum, verè productum. Ad aliud resp. neg. maj. Quia actio, secundum conceptum communem actionis, solum est ultima actualitas agentis, ab eo egrediens egressu virtutis, in quo nulla imperfectio importatur; quia nec contingentiam, nec dependentiam significat. Nec pariter ex inde sequitur, quod terminus productus sit effectus, aut actus, sed tantum, quod sit verè, & realiter productus. Sed ut bene advertit Merinero, quia ex communi usu loquendi, actio sumitur pro fieri, & medio inter producens, & productum, & non pro relationibus præcisè prædudentis ad productum, & producti ad producens; ideo processiones Div. absolutè non sunt appellandæ actiones, sed utendum est nominibus processionis, Originis, Dictionis, & Spirationis activæ, vel passivæ, ut utuntur omnes PP. & communiter Scholastici.

10 Conclusio 2. Processiones Divinæ, non sunt ipsi actus essentiales intelligendi, & volendi. Hæc conclusio est Subtilis Nost. Doctor: cum suis; contra Thomistas, & alios. Prob. primo: Intellectio, & volitio sunt communes tribus Personis; sed Processiones activæ non sunt illis communes, alias omnes Personæ producerent Verbum, & Spiritum-Sanctum, siveque, vel plu-

res essent Personæ, quam Tres, vel certe aliquæ productæ se ipsas producerent; quod nemo cogitavit: erg. &c.

11 Prob. secundo: Quia ex opposito, quam plurima absurdâ sequerentur. Hæc in Deo non sunt admittenda: erg. &c. Prob. sequella: Primo enim sequeretur Patrem non communicare essentiam perfectè beatam Filio: Hoc est magnum inconveniens: erg. &c. Prob. sequella; quia beatitudine consistit potius in actu voluntatis, quam in actu intellectus; Beatitudo enim est fruitio, quæ est formaliter actus voluntatis; sed intellectio præcedit actum voluntatis, ac proinde ipsam fruitionem: ergo, si Verbum produceretur per intellectiōnem, Pater conciperetur eum producere, ante quam esset perfectè beatus; & sic Filius reciperet essentiam nondum perfectè beatam. Deinde inquiero: aut Filius deinceps est beatus, et sic habet aliquid non acceptum à Patre, quod est aliud inconveniens: aut non est beatus? Et ita non erit Deus, qui est ipsam beatitudinem, quod est Hæreticum.

12 Secundo sequeretur: quod aliquid notionale, scilicet, processio Verbi esset prius, quam aliquid essentiale, nempè, quam actus essentialis voluntatis, contra omnes Theologos. Sequella de se patet; quia intellectio essen-

tialis amorema essentialem præcedit; sed in illo signo, quo intelligitur intellectio, intelligitur productio Verbi, quæ est quid notionale: erg. &c. Tertio, sequeretur, Patrem esse formaliter sapientem sapientia genita: hoc est magnum inconveniens, & contra August. qui apud Subtil. Doctor, inquit: In illa Trinitate quis audeat dicere Patrem, nec se ipsum, nec Filium, nec Spiritum-Sanct. intelligere nisi per Filium, vel diligere, nisi per Spiritum-Sanctum? Quis hæc in illa Trinitate, vel opinari, vel affirmare præsumat? Si enim solus ibi Filius intelligat, ut intelligentia sit, & sibi, & Patri, & Spiritui-Sancto, ad illam absurditatem redditur, quod Pater non sit sapiens de se, sed de Filio. Hæc ille. Sequella patet; quia Pater est formaliter intelligens; sed formaliter intelligens, intelligit termino suæ intellectionis, qualis terminus in sententia Thomistarum est Verbum, seu sapientia genita, si producitur per intellectionem: erg. &c.

13 Respondent primo: Duplicem in Deo distingui actum intelligendi, & volendi; unum essentialem, alterum notionalem, & per unum personas produci, & non per alium. Sed contra est: In Deo non possunt poni plures Deitates, quarum una sit essentialis, alia notionalis: ergo nec plures

intellectiones, nec plures amores. Patet consequentia: Ideo enim, Deitas non potest plurificari, quia est formaliter infinita, & implicat, esse plura infinita ejusdem rationis; quia infinitum complectitur omnino omnem perfectionem cogitabilem intra proprium genus; sed intellectio, & amor in Divinis non minus sunt quid infinitum in ratione intellectionis, & amoris, quam Deitas in ratione Deitatis: erg. etiam repugnat multiplicari intellectualem, & amorem.

14 Respondent 2. Intellectionem, & volitionem esse quidem processiones activas, non absolutas, sed ut modificatas ad sensum superius expressum. Sed contra est; vel illa modificatio addit aliiquid intellectioni, & amori essentiali, vel nihil? Si nihil addit, nihil Thomistarum responsio valet, & stat nostra probatio, quia si non est ratio, cur in una persona producat terminum, non verò, in alia, idem enim manens; idem omnino in re, semper natum est in re facere idem. Si addit aliiquid, vel est aliiquid essentialie, & reddit eadem difficultas; quia essentialia sunt communia omnibus personis; vel est aliiquid notionale? Et hoc non; quia nihil est notionale, nisi relationes personarum constitutivæ, aut quasi constitutivæ. Quoniodò, autem, relatio

modificabit intellectu[m] , & faciet , ut id , quod est commune tribus personis , sit proprium uni? Certe non intelligimus ; n[on]ām inde sequeretur , quod nec bonitas , qua[us] est in Patre , sit communis tribus personis , cum illa non minus debeat esse modifica ta per Paternitatem , quām intellectio , & volitio .

15 Conclusio 3. Proces siones Divinæ activè sumptu[m] sunt formaliter dictio , & spiratio ac tiva , qua[us] formaliter distinguntur ab intellectione essentiali , & essentiali volitione . Prob. quia Persona Divinæ , non procedunt per actus essentiales intelligendi , & volendi ; ergo superest , & apertè sequitur , quod procedant per actus notionales dictio[n]is , & spiratio[n]is , formaliter ab actibus essentialibus distinc tis ; quia alij in Divinis ex cogitari non possunt . Prob. 2. c[on]tra Doctore in 1. dist. 2. quæst. 7. ubi ostendit , quod S. August. passim doceat , Verbum , tam creatum , quām Divinum , pro cedere à memoria secunda ; at qui memoria secunda est productiva per dictio[n]em notional em , & idem dicendum de processione Spiritus-Sancti à voluntate secunda .

16 Probat. minor : Memo ria enim secunda versatur circa Verbum producendum ; intelligentia vero circa objectum per-

cipendum : memoria secunda in termini productione detinetur , intelligentia verò in simplici ob jecti visione : memoria secunda est productio , qua Pater generat Filium sibi omnino aequalē vi suæ processionis : intelligentia verò est operatio Divinitatis , qua Personæ Divinae suam essentiam , & se ipsas comprehendunt : ergo memoria secunda est productiva per dictio[n]em , & non per intellectu[m] . Ex quibus omnibus utique patet , quod actus notionales dictio[n]is , & spiratio[n]is activæ sunt formaliter in re distincti ab intellectione , & volitione es sen tiali .

17 Quod ulterius sic brevi ter ostendo : Intellectio est quid absolutum , dictio est relatio : sed ista in Divinis formaliter in re distinguuntur : ergo &c. Præterea dictio est productiva , intellectio non est productiva ; sed productivum , & non productivum sunt contradictoria : ergo eidem ex natura rei non possunt convenire . Deinde , Pater actu , quo producit Verbum , distinguitur ab illo ; sed non distinguitur per intellectu[m] , qua[us] est communis : ergo per dictio[n]em : ergo dictio , & intellectio ex natura rei distinguuntur . Thomistæ respondent ; quod ad hoc quod Pater , & Verbum distin guantur per dictio[n]em , sufficit , quod

quod dictio ab intellectione  
distinguitur per rationem. Contra: ergo seclusa ratione, dic-  
tio non distinguitur ab intellectione? concedunt. Ergo seclusa  
ratione, Pater non distinguitur à Verbo. Prob: Nam seclusa ra-  
tione, Pater non habet distinctivum, cum distinguitur per  
dictionem: ergo seclusa ratio-  
ne, Pater à Verbo non distin-  
guitur; quod est error: ergo  
dicendum est quod ex natura  
rei intellectio, & dictio formaliter  
distinguuntur; ac per con-  
sequens, quod verbum, non  
per intellectiōnem formaliter;  
sed per dictionem producitur.

18. Contra ista (inquit Subtilis Doctor, citat.) instatur:  
. Non videtur differentia inter  
. memoriam, & intelligentiam  
. in Patre: ergo non videtur  
. aliud esse, improbare Pa-  
. trem, ut intelligentiam esse  
. principium Verbi, & Patrem,  
. ut memoriam: idem igitur  
. approbas, & improbas. Prä-  
. tereà, quare Pater isto actu  
. producit notitiam genitam,  
. & non illo? Non videtur ra-  
. tio, cùm uterque sit actus se-  
. cundus, & principietur virtu-  
. te ejusdem actus primi. Insu-  
. per August. 15. de Trinit. cap.  
. 13. & 37: *Verbum est visio  
de visione*: ergo actualis noti-  
. cia est ratio cognendi verbum.

19. Resp. Subtilis Doctor

. ad primum: cùm dicitur de  
. differentia memoria, & intel-  
. ligentia; dico: Quod ipsi ad-  
. versarij non ponunt differen-  
. tiā realē inter intellectu-  
. tum, & voluntatem Patris;  
. & tamen habent concedere  
. tantam differentiam, quod al-  
. terum potest esse principium  
. elicitiū alicujus produc-  
. tionis, cuius alterum ne po-  
. test esse principium elicitiū  
. formale. Filius, enim, pro-  
. ducitur formaliter per modum  
. naturæ; sed non producitur  
. formaliter per modum volun-  
. tatis: Igitur, licet, non dif-  
. ferant realiter memoria, & in-  
. telligentia Patris, est, tamen,  
. tanta differentia inter illa,  
. quod alterum posset ponī prin-  
. cipium elicitiū alicujus pro-  
. ductionis, cuius reliquum non  
. ponatur principium eliciti-  
. um formale. Talis differen-  
. tia patet secundum August. 15.  
. de Trinit. cap. 8. Talis est  
. enim, quod si Pater esset me-  
. morialiter noscens, non au-  
. tem intelligens, non esset per-  
. fectus juxta Philosophum 12.  
. Metaph. non obstante illa  
. identitate memoriae ad intelli-  
. gentiam, sive recordationis ad  
. intellectiōnem.

20. Ad secundam instan-  
. tiā Resp. idem Mar. Doct.  
. Quod hæc est immediata con-  
. tingens: *Calor calefacit*; &  
. ista

ista est immediata necessaria,  
*calor est calefactorius* : quia  
inter extrema neutrius isto-  
rum invenitur aliquid me-  
dium. Ita dico : quod ista est  
per se , operatio in quantum  
operatio , est non productiva;  
quia operationes , ut opera-  
tiones sunt fines , & perfec-  
tiones operantis ; productio  
autem , ut productio est , non  
est perfectio producentis , sed  
habens terminum productum  
extra essentiam producentis , vel  
saltem non includitur forma-  
liter in persona producentis.

21 . Quare , igitur , actus  
secundus , quo Pater intelli-  
git , vel operatur formaliter ,  
non producit? Responsio: quia  
illud *intelligere* ex ratione sua  
est *operari* Patris , & non est  
*producere*. Productione , au-  
tem , sive dictione produ-  
cit , sicut aliquid calefactio-  
ne calefacit formaliter , cu-  
jus non est alia causa prior.  
Quod antem dicis , idem esse  
principium istorum duorum  
actuum ; non altercando modò  
de intellectu agente , & possi-  
bili , potest concedi , quod ex  
plenitudine perfectionis potest  
competere alicui , quod ope-  
retur , & producat aliquid  
aliud à se ; magis tamen hoc  
patebit , quando dicetur , quod  
*dicere* non est aliquis actus in-  
telligendi formaliter ; est ta-

men aliquis actus intellectus:  
nullus autem actus intelli-  
gendi formaliter est produc-  
tivus , sed aliquis alius actus  
formaliter naturaliter praece-  
dens , vel subsequens potest  
esse productivus , qualis est  
actus dicendi. Hucusque Doc-  
tor , qui anteā dixerat : Ad  
eundem actum primum , qui  
est memoria Patris , ordinem  
quendam intelliguntur habere  
*intelligere* , quod est operatio  
Patris , & *dicere* , quod est  
*producere* Patris respectu no-  
titiæ genitæ ; non tamen talem  
ordinem , quod *intelligere*  
Patris sit causa , vel princi-  
pium elicitum *dicere* verbī;  
sed quod immediatus intelli-  
gere sit quasi productum à me-  
moria Patris , quam dicere ,  
vel quam verbum sit produc-  
tum ab eodem; operans , enim ,  
& producens per idem prim-  
cipium , prius est operans ,  
quam producens.

22 . Ad 3. instantiam inquit  
Doctor , & ipsem Aug. expo-  
nit sē 15. de Trinit. cap. 11. vel  
28: . *Simillima est visio cogita-  
tionis , visioni scientia*. Et eo-  
dem capite ; tunc enim est  
verbum simillimum rei notæ ,  
de qua signatur , & *imago*  
ejus , quando de visione scien-  
tia visio cognitionis exoritur.  
Iste constructiones sunt in  
transitivæ : nam sicut visio co-

.gitationis nihil aliud est quam  
.cogitatio , ita visio scientia  
.nil aliud est , quam scientia:  
.Idem est igitur dicere , de vi-  
.sione scientia nasci visionem  
.cognitionis , quod de scientia  
.nasci cognitionem : Scientia,  
.autem , es forma habitualis  
.perficiens memoriam secun-  
.dum eundem 15. de Trinit.  
.cap. 15. fivè 38. ubi dicit : Si  
.potest esse in Anima scien-  
.tia sempiterna , sempiterna  
.non potest esse ejusdem scien-  
.tiae cogitatio. Illud *sempiter-*  
.num secundum eum pertinet  
.ad memoriam , *non sempiter-*  
.num ad intelligentiam : nil  
.igitur , aliud vult dicere , vi-  
.sionem de visione , notitiam  
.de notitia , nisi actum secun-  
.dum , qui est visio , vel cogi-  
.tatio in intelligentia nasci de  
.actu primo , qui est in memo-  
.ria , quæ est visio habitualis,  
.vel scientia secundum eum.  
.Hucusque Doctor.

23 Qua subtilis doctrina,  
si bene comprehendatur , facili-  
mē , convelluntur , & proster-  
nuntur innumera argumenta ,  
quæ Thomistæ congerunt contra  
nostras Conclusiones , tam ab  
authoritate , quam à ratione;  
quia nullum illorum est ita dif-  
ficile , ut videri potest in AA.  
sicut ista , quæ sibi ipse obijcit  
Subtilissimus Doct. Advertendo  
etiam , quod plurimi Patres

confundunt dictiōnē cum in-  
tellecōne , dicentes esse idem;  
quia sunt idem radicaliter , seū  
habent eamdem radicem , &  
idem principium. Quæ solutio  
etiam habetur ex ultima Doc-  
toris.

## QUÆST. IV.

QUOD SIT PRINCIPIUM  
Personarum Divina-  
rum?

I Ndubitatū est apud  
Theologos , quod in  
Divinis datur principium ad  
intra productivum Personarum;  
nam ubi datur vera productio ,  
& verè terminus productus , ibi  
etiam debet esse verum princi-  
pium productivum. Est tamen  
advertisendum contra Gregor.  
Ariminensem : Quod in persona  
producente est duplex princi-  
pium , unum *quod* , nempe sup-  
positum producens , cui actio  
ultimate competit , illudque de-  
nominat: Alterum *quo proximum* ,  
scilicet intellectus in Patre res-  
pectu generationis Filii ; & vo-  
luntas in Patre , & Filio res-  
pectu Spiritus-S. processionis.  
Difficultas solum est de princi-  
picio *quo remoto* , in quo princi-  
pium *quo proximum* fundatur.

2 Nec difficultas est de  
principio , quod , seū totale ,  
nam certum est , esse Perso-  
nam

nem producentem. Hoc breviter paret : nec *Essentia Divina*, nec *intellectus*, & *voluntas* sunt *principium quod*: Ergo tantum est persona ; cùm nil aliad assignable videatur. Prob. antec. *Principium quod* debet realiter distingui ab eo, quod ab ipsomet principio procedit ; sed personæ productæ non distinguntur realiter ab *Essentia Divina*, neque ab intellectu, & voluntate : ergo &c. Unde in Concilio Lateranensi decernitur, *Essentiam Divinam nec generare, nec spirare*.

3 Circa præfatam igitur difficultatem variae sunt sententiæ ; D. Bonaventura enim, & alij asserunt, *principium hoc esse relationem*, seu Paternitatem in Patre, & spirationem activam in Patre, & Filio. Alij dicunt, *esse solam essentiam*, absque aliqua connotatione relationis. Alij, verò, *esse essentiam*, & *relationem ex aequo*. Qod autem, nobis sit tenendum, breviter per sequentes conclusiones propinanam, quarum sit:

4 Conclusio 1. *Relatio Paternitatis in Patre, & relatio spirationis activæ in Patre, & Filio*, non sunt *principium quo Divinarum Procescionum*. Hæc conclusio est nost. Subt. Doct. in 1. dist. 7. quest. unica s. loquendo, & alibi.

Prob. primo: Pater non producit per relationem, sed per naturam : ergo natura, & non relatio erit *principium quo producendi in eo*. Antecedens Prob. ex Damasc. i. de Fide, ubi expressè affirmat: generationem in Patre esse opus naturæ, non sicut generantis, sed sicut ejus, quo generans generat. Secundo; quia si Pater produceret per relationem tanquam *principium quo*, non esset generatio univoca ; quia Verbum per ipsā productionem, non esset simile Patri in principio productivo radicali, quod est simpliciter necessarium ad generationem univocam. . Tertio: quia tunc ( inquit Subt. Doct. ) Paternitas esset simpliciter perfectior Filiatione. Probat. conseq. dupliciter: Primo: quia illud quo producens producit, si non est ejusdem rationis cùm produc- ti forma, continet eam virtualiter, & est perfectior ea: ergo si paternitas est, quo Pater agit ; & non ejusdem rationis cùm filiatione, con- tinet filiationem virtualiter, & est perfectior ea. Secundo: quia filatio non dat Filio quod agat ; nil enim nec ad intra, nec ad extra producit Filius filiatione : ergo si Pater Pa- ternitate agit formaliter, Pa- ternitas erit aliquid perfec- tius

tius filiatione. Denique; quia tunc eadem relatio esset principium sui ipsius; quia in Patre non est, nisi unica relatio ad Filium; & illa est per te, quo respectu generationis, quæ, scilicet, generatio est eadem relatio, licet aliter nominatur: ergo, &c.

5 Conclusio 2. Essentia Divina non nudè sumpta, sed connotando relationem, est principium quo Divinarum Professionum. Hæc conclusio est Scotti: Et prob. quam plurimis authoritatibus SS. PP. quæ videri possunt apud AA. Prob. etiam, ratione Scotti in 1. dīſt. 7. quæſt. unica, §. Loquendo, vers. Partem affirmativam; ubi ait: Quod est perfectionis in principio productivo, non tollit ab illo rationem principij productivi; sed communicare se in identitate numerali, & adæquata communicatione sibi, ponit perfectionem in principio productivo: ergo hoc non tollit ab aliquo rationem principij productivi. Ista ratio Doctoris est tatis evidens. Illi enim, qui dicunt, Paternitatem esse rationem formalem, seu principium quo generandi; ex hoc dicunt, quia videtur impossibile, quod idem numero sit ratio formalis generandi, & per generationem sit communicatum producto; quia inter ra-

tionem formalem, generandi, & rem communicatam, videatur aliqua distinctio; videatur enim quod communicari se alicui in identitate numerali, aufert ipsi communicatio rationem principij productivi. Contrarium igitur intendit Doct. probare: Et subsumit: . Sed si Deus (per impossibile) generaret alium Deum, & ille alius tertium, Deitas poneretur principium productivum alterius, & non relatio, & tunc Deitas non communicaret se in identitate numerali, nec communicaret se communicatione adæquata sibi in ratione principij productivi; quia Deitas posset esse principium alterius communicationis, scilicet, factæ per impossibile à secundo Deo: ergo cum modo Deitas communicetur in identitate numerali, & communicatio ne adæquata sibi, ita quod Deitate non potest esse alia communicatio numero ejusdem rationis cum ista: Sequitur, quod multò magis modo poneretur, Deitatem esse principium productivum, quam tunc poneretur.

6 Exemplum istius est; si calor in igne communicaret se eundem numero ligno, & communicatione adæquata, ita, quod iste calor non posset esse principium productivum ca-

loris in ligno : cum modo de facto ponatur calor esse principium illius , & hoc cum duplice imperfectione opposita duplice perfectioni hic superposita , quia nunc est ibi diversitas caloris communicati , & communicatio non est adaequata. Hic autem esset identitas caloris , & communicationis adaequata , & tamen illa hypothesi posita , lignum calore non posset calefacere ; non enim se , quia accipit calorem calefactione , quæ est ab hoc calore , & tunc prius haberet calorem , quam haberet calorem ; nec aliud , quia ista calefactionis ligni ponitur adaequata illi calori in ratione principij activi ; ita intelligendum est in proposito ; quod illud quod ponetur esse principium alterius communicationis , si communicationis fieret in diversitate numerali , & non adaequata , illud idem debet modo poni principium quando sit communicationis ejusdem , & adaequata principio productivo. Hucusque Doct.

7 Secundo probat sic : Tota perfectio producentis sumitur simpliciter à ratione formalis producendi ; cum ergo in Patre nil sit perfectius Essentia Divina , & ipsa eadem in Filio est terminus formalis generationis : ergo in Patre erit simpliciter ra-

tio formalis generationis. Prob. conseq. quia impossibile est , agens communicare terminum formalem productionis , nisi agat forma æquè perfecta , si agit univocè ; vel perfectiori , si æquivocè : In Divinis autem nil est perfectius Essentia Divina ; erg. &c. Confirm. Illud est principium quo processionis , in quo genitum assimilatur generanti ; sed Filius assimilatur Patri , & Spiritu Sancti Patri , & Filio in essentia : g. &c. Minor est certa. Prob. maj. quia producens non assimilat sibi productum , nisi in forma , qua agit ; ignis enim genitus non est similis igni generanti , nisi in natura , qua agit ignis generans ; erg. &c.

8 Quod autem requirat essentia connotationem relationis ad hoc , ut sit principium quo Processionum Divinarum ; ex eo convinci potest , quod essentia nullo modo producit separata à relatione. Deinde si sola essentia , absque aliqua connotatione relationis , esset principium quo , sequeretur ( inquit Subtil. Doct. ) quod Essentia Divina in illo priori naturæ , in quo intelligitur ante personas existere per se , posset producere personas Divinas , quod est absurdum ; cum producens realiter distinguatur à producto. Sequela patet : nam juxta communem Philosophorum sententiam

tiam, forma, quæ est sufficiens principium ad agendum, si per se existat, per se aget; & operabitur etiamsi sit separata à persona, vel subiecto, ut videtur est in accidentibus Eucharistia. Præterea, si essentia esset tale principium absolute spectata, sequeretur, esse in Filio principium generationis formaliter, & generationis, ac spirationis in Spiritu-sancto, cum tam in Filiō, quam in Spiritu-sancto sit ipsa formaliter; sed hoc non potest concedi: ergo &c.

9 Quanvis, verò, in hoc AA. citati convenienter, est tamen controversia inter illos, quo pacto requiratur connotatio relationis? Dicendum igitur nobis est cum Subt. Doctore; relationem non requiri, ut essentia sit principium formaliter, seu constituatur adæquate in ratione principij *quo*; quia quantum est ex se habet essentia omnem virtutem ad producendum necessariam: requiritur igitur, ut constituatur natura Divina in esse suppositi realiter distincti à persona producta, quod ad producendum est necessarium, ut conditio. ( Sicut inquit Doct. §. Quia autem) etiam si potentia visiva sit aparte rei, & aliquod objectum de se mittat speciem, nihilominus potentia visiva non erit in po-

tentia proxima, sed solum in remota ad videndum tale objectum, nisi approximet: neque approximatio, quæ est conditio, dat potentia visiva virtutem, nec constituit formaliter potentiam illam in ratione potentia; sed solum est conditio, ut sit in proxima potentia ad videndum. Ita in proposito: Essentia Divina ex se, & seclusa relatione, habet totam virtutem ad producendum necessariam; tamen, quia ad producendum est conditio necessaria, quod principium producens sit suppositum realiter distinctum à supposito producto, cum hoc non habeat essentia ex se, sed à relatione; ideo meritò dicimus, requirere essentiam relationem, licet non ex parte principij *quo*, ex parte tamen principij *quod*, id est, licet non ut habeat virtutem necessariam ad producendum, ut constituatur, tamen, in esse suppositi realiter distincti à supposito producto, quod est conditio ad producendum in natura Divina necessaria.

10 Arg. primo ex Aug. 5. de Trinitate, cap. 6. Eo Pater est, quod est ei Filius: ergo eò est Pater, quod generat. Probatio consequentia, quia generatione est ei Filius. Subsumo: atqui Paternitate est Pater: erg. Paternitate generat: vel si Dei-

tate generat; g. Deitate est Pater. Deinde D. Ambros. lib. 4. de Fide, inquit: Generatio Paterna proprietatis est, non potentia. Div. Athan. dialog. 1. de Trinit. ait: Patrem hypostasi sua gignere.

11. Respond. Subtil. Doct. ad 1. ad August. dico: Quod intelligit eo formaliter; non eo fundamentaliter, seu causaliter. Exemplum: dicimus, quod Socrates est similis similitudine formaliter, sed dicitur similis albedine fundamentaliter, seu causaliter; ita in proposito: Pater generat generatione formaliter; sed hoc modo non querimus hic, quo generat; sed querimus hic, quo generatio elicetur, ut principio formaliter elicitive, quod, scilicet, sit fundamentum proximum istius relationis. Intendit igitur August. quod eo est Pater, quod ei Filius, id est, illa notione; hoc est, quod Pater non dicitur ad se Pater, sed ad Filium, non autem intelligit ibi, quod Pater sit Pater, sive generet ut principio elicitive generationis, scilicet patet ibi ex lit. sua. Ad Ambros. & Athanas. respond. quod Pater sua hypostasi gignat tanquam conditio sine qua non, non tanquam principium productivum; vel quod solum voluerunt generationem non esse actualem, vel non posset

poni in actu per solam naturam; sed necessario illi conjungendam esse relationem, sine qua non produceret, tanquam ex defecitu conditionis necessario requiritur.

12. Arg. secundo: Primum ex se indeterminatum indiget determinante; sed Divina Essentia est de se indeterminata ad generandum, & spandrund: ergo indiget aliquo determinante; sed hoc nil aliud potest esse, quam relatio: ergo relatio determinat essentiam, & consequenter concurrit cum illa, ut principium. Resp. cum Subt. Doct. neg. min: nam quando aliqua forma est productiva plurium effectuum, non ex aequo, sed juxta naturalem ordinem; tunc non dicitur propriè indeterminata. Essentia, igitur, Divina ex se prius petit, quod sit ratio producendi per intellectum, quam per voluntatem; & sic non est propriè indeterminata, sed potius determinata; & si aliquam determinationem accipit non est à relatione, sed à potentijs intellectus, & voluntatis, cum quibus conjungitur, tanquam cum principijs essentialibus.

13. Quod autem Paternitas non determinet Essentiam Divinam ad generationem probat. Subt. Doct. in 1. cit. sic: Relatio est ratio suppositi agentis:

tis: igitur si est determinativa principij quo, habebit duplum rationem principij respectu generationis, unam in quantum est ratio agentis; & alia in quantum est ratio determinativa principij agendi; & sic ipsa mediabit inter seipsum, & actionem; quia ex quo Paternitas est conditio agentis, quia est proprietas Patris; & sic est posterior ratione formalis agendi: & ex alia parte ponitur, quod sit determinativa rationis formalis agendi: ergo erit prior seipsa, ut est conditio agentis: ergo Paternitas mediabit inter seipsum, & actionem, nam ut est determinativa principij formalis agendi est prior seipsa, ut est conditio suppositi agentis, sicut ratio formalis agendi intelligitur, ut prior supposito agente: ergo & ratio determinativa ipsius principij formalis agendi erit prior ipsa conditio agentis, & ipsa Paternitas, ut est conditio agentis, est prior actione, id est, generatione activa, quæ generatio activa est formaliter ipsa Paternitas: ergo Paternitas, ut conditio suppositi agentis mediat inter seipsum, ut est determinativa rationis formalis, & ut est actio. Hucusque Lichetus, extendendo rationem Doctoris, cont. Henric. cuius est opinio impugnata.

14 Ulterius id ipsum impugnat Doct. quæst. 2. quodl. sic: Si principium elicivum (scilicet essentia, & intellectus, & essentia, & voluntas, quæ sunt per se unum principium simpliciter productivum) non sufficit sine principio determinativo, scilicet, sine Paternitate, hic & ibi eadem quæst. est: per quid essentia, quæ est principium elicivum indeterminatum (juxta Henricum) determinatur ad hoc, vel ad illud determinativum? Si enim principium ejusdem rationis, non potest esse per se principium respectu plurium alterius rationis, non poterit essentia, quæ est principium radicale elicivum, esse principium immediatum respectu plurium determinativorum principiorum alterius rationis; quia qua ratione aliquod ejusdem rationis est principium aliorum plurium diversæ rationis, eadem ratione, & aliorum. Vel si illa præcedant alia, erit processus in infinitum. Vel si ille est impossibilis, determinatio per respectus non sufficit. Præterea, illi respectus sunt productionis: Igitur idem determinat se ad se. Dicere enim, essentiam determinari ad generationem activam per respectum, qui nil aliud est, quam generatio activa, ut dicetur postea, est di-

cere, quod determinetur ad generationem per generationem; & ita quod idem est principium determinativum sui. Hucusque Doct. qua doctrina plures difficultates solvuntur.

15 Arg. 3. Actus proprius est à propria forma agentis, sed generare est proprius actus Patris: ergo ab ejus propria forma: sed propria forma Patris solum est Paternitas: erg. &c. Probat. maj. Tum quia forma propria dat esse: igitur, & agere; quia imperfectionis est, formam tribuere alicui actu primum, non secundum. Tum quia si forma communis, & effectus communis; quia causa, & effectus correspondent sibi invicem, universalis universalis, particularis particulari, 2. physicorum, & 5. metaph. cap. de causa. Item, medium est ejusdem generis cum extremis; sed supposita, quae sunt extrema, sunt relativa; igitur illud, quo suppositum agit, quod est medium inter ea, est relativum.

16 Item potentia est ejusdem generis cum actu; immo in Divinis sunt idem; sed actus generandi est relatio, vel relativus; ergo & principium erit relatio, vel relativum. Item producentis, & formæ, qua producens producit, eadem est relatio ad productum: Hoc

accipitur à Philosopho 2. Physicorum, & 5. Metaph. ubi vult; quod ad idem genus causæ, & principij pertinent ars, & edificator: ergo ad idem genus principij pertinent producens, & illud, quo producens producit: & ita si essentia sit, qua Pater generat, habebit essentia relationem realem ad genitum: hoc falsum est: erg. &c. Hæc argum. habentur in litt. nost. Doct. in 1. citat.

17 Resp. ipse ad 1. Quod duplex potest intelligi cùm communicabilitas formæ. Una quæ est universalis, quæ est per identitatem ad multa inferiora, quorum quodlibet est ipsum; sicut universale communicatur singularibus. Alia, quæ est ad multa, quorum quodlibet est ipso, sicut forma communicatur materia, sed non est ipsum. Nunc autem (ut explicant expositores ejus) resp. 1. neg. conseq. Satis enim est, id, quo Pater generat esse etiam ei aliquando proprium; non est autem tantum ei propria relatio Paternitatis. Cum etiam sit ei proprium illud absolutum, quod est potentia generandi, quatenus dicit ordinem naturalis prioritatis ad actu, ut in Calce questionis dicemus. Resp. 2. neg. maj. quia sufficit, ut aliquis actus sit proprius alicuius, quod forma communis, à qua

qua talis actus provenit, p̄fere-  
quirat aliquam conditionem,  
qua sit propria illius.

18 Cum prima propositio probatur primo, quia propria forma dat esse: ergo dat agere: neg. consequentiam: multæ enim sunt formæ dantes esse, quæ non sunt activæ, & ita nullo modo dant actum secundum, & talis est Paternitas, sicut & Filiatio. Quæ autem sit ratio, quare quædam formæ sunt activæ, & quædam non? difficile est assignare rationem communem :: sicut in speciali non videtur aliqua ratio, quare calor est calefactivus; nisi quia calor est calor: & ita videtur, quod hac sit immediata, calor est caloris effectivus: ita etiam videtur, quod omnes formæ de genere quantitatis, & omnes relationes, de quibus est modò sermo, non sunt activæ: & de omnibus talibus non valet: si dant actum primum; ergo & secundum. Cum prob. 2. consequentia; per Philosophum dico, quod loquitur de universali, & particulari: loquendo primo modo de communi; non autem accipiendo secundo modo, scilicet, prout eadem forma numero est communis participantiis eam secundum ordinem: ita quod uni communicatur ab alio, & hoc communicatione adæquata.

19 Ad aliud cum arguitur de medio, & extremis, dico: Quod quoddam est medium per participationem utriusque extremitati, sicut fuscum, quod est medium inter album, & nigrum: & de tali verum est, quod est in eodem genere cum extremis. Aliud est medium: aliquo alio modo accidentaliter sumptum, sicut operatio inter operans, & terminum: istud non oportet esse ejusdem generis cum extremis; quia quando anima intellegit se, intellectio ejus est qualitas, & tamen operans, & objectum sunt substantiae: tale autem medium accipitur in proposito; videlicet ipsum quo inter suppositum generans, & generatum. Vel potest dici, quod ipsum quo non est medium propriè, sed tenet se ex parte alterius extremitati, scilicet, generantis, proprium autem medium ( si quod detur ) potest dici generatio; & de illa verum est, quod est ejusdem rationis cum extremis; quia ipsa est relatio, sicut extrema sunt relativa.

20 Ad aliud de potentia, & actu, responderet Subt. Doctor, majorem falsam esse de qualibet potentia subjectiva, productiva, vel respectiva; & veram de sola potentia objectiva, que dicitur differentia entis, opposita actui existentia; Hac quippe

re non modo est ejusdem generis cum actu, verum etiam ejusdem speciei, & numeri. Ad illud de quo, & quod dico: quod illud dictum Philosophi, est verum in causa, & causato; quia ibi est distinctio realis cause, & principij, quo causat ab ipso causato. Dependentia etiam essentialis est causati ad principium causativum, sicut, & ad causam: & ratio est ibi, quia principium causativum non est nisi unicum in uno supposito. In proposito est autem oppositum; quia suppositum producens est distinctum, quo autem productus, est indistinctum; & ideo productum non realiter refertur ad principium quo, sicut refertur ad principium quod productus. Et ideo in proposito non est relatio realis principij productivi ad productum, sed productoris est relatio realis: principij autem productivi est relatio rationis. Hucusque Doctor.

### DUBIUM INCIDENS.

21 **U**T planius, & plenius præcipua hujus rei difficultas claré superetur, dubitatur, an principium, seu potentia generandi sit in Filio, & Spiritu sancto? Et idem inquitur de principio, seu potentia spirandi respectu Spiritus-

sancti? Ante resolutionem praemitto: Quod in principio generandi formalí, quod est memoria perfecta, & in principio spirandi, quod est voluntas perfecta, includitur essentia, & intellectus: essentia, & voluntas. Si queras ( inquit Subt Doct. quodl. 2.) istorum duorum concurrentium in principio formalí, nonne alterum est principium formale, & reliquum concomitans? Respondeo: duo que concurrunt in principio, scilicet, in memoria perfecta, essentia, & intellectus; & in voluntate perfecta, voluntas, & objectum diligibile praesens, non se habent per accidens, nec sicut rigorosè remotum principium, & propinquum; sed totum hoc intellectus infinitas habens objectum infinitum intelligibile ( advertite, quod non ut intellectum) sibi praesens est per se unum principium, ita quod alterum sine altero non est principium producendi, & ideo est unicum principium simpliciter productivum non distinctum in duo principia productiva. Consimiliter de voluntate, & objecto respectu inspirationis.

22 Praemitto etiam ex eodem Subt. Doct. dist. 7. 1. sent. quod principium, seu potentia generandi potest sumi dupliciter, vel pro eo, quod per se pri-

primo , &c in recto significat; vel pro eo , quod connotat, quod est proximum fundamen- tum talis relationis. Primo modo accipiendo dico ; quod potentia , seu principium signifi- cat relationem , sicut potentia- litas , vel principiatio , & hoc modo dubium non habet diffi- cultatem ; quia potentia gene- randi in Divinis dicit essentia- litè relationem ; & certum est, quod talis relatio est actualis generatio activa , actualisque diœlio ; atque etiam ipsa Pater- nitas, quæ absque dubio tantum Patri convenit. Cum sit dogma Fidei , Filium ex se , nec seip- sum , nec alium Filium , nepo- tem Patri posse generare ; unde in hoc sensu , si non potest , non habet potentiam: jure ergo sensus dubij proponitur tantum de principio , seu potentia pro connotato , quod est proximum fundamentum actualis respectus generationis activæ in Patre.

23 Circa quod demum Prä- mitto : Quod ulterius dupli- citer potest concipi : Primo , pro ipso principio præcisè sumpto sub ratione mērē absoluta; quod, ut dixi, est sola memoria secun- da complectens intellectum , & essentiam. Secundo , potest ac- cipi pro eodem principio cum omnibus alijs , quæ concurrunt ad hoc , ut possit elicere ac- tum , quæ scilicet , requiruntur

Tom.I.

ad rationem potentie propria- quæ , hujusmodi sunt (in crea- turis) approximatio passi , & im- pedimenti remotio. Hucusque Doct. Notanter dixit ( ait Vul- pes ) *in creaturis* ; quia in Divi- nis non est de rigore sermonis potentia remota , quæ approxi- metur ab extrinseco agente , nec ab illo aliquod impedimentum removetur : nec extrinsecum expostulat passum , ob cuius absentiam ad proximè operan- dum aplicari non valeat. Igitur dicitur potentia remota secun- dum nostrum modum conce- piendi , quando concipimus dictam memoriam in priori sig- gno ad actum essentialē intel- ligendi ; & in potentia proxi- ma , quando illam concipimus cum præfato actu essentiali , & cum ordine naturalis prioritatis ad actum notionalem : regula realis est , secundum Subt. Doct. de quibuscumque duobus com- paratis secundum ordinem ad idem primum , potentia pro- pinqua non est ad secundum , nisi primo posito.

24 Nunc directe respondeo ad dubium , primo : Quod to- tum absolutum reale , significa- tum per potentiam , seu prin- cipium generandi in Patre verē , & propriè absoluta necessitate est in Filio , & in Spiritu-S. Hæc resolutio est communis , & facile Prob. sic : Omne abso-

Ppp

lu-

lutum in Divinis , quod est perfectio simpliciter simplex , est necessariò commune tribus: ergo absolutum materialiter significatum per potentiam , seu principium generandi præcisè sub illa ratione spectatum , necessariò simpliciter est in Filio , & Spiritu-S. Rursùs , illud ab solutum est memoria fecunda , quæ est proximum principium operandi ; sed tale principium acceptum sub ratione operandi ; immò , & cum ipsa essentiali operatione est communne Tribus , cum quælibet Persona Divina formaliter intelligat intellectione sibi formaliter inexistentे , sicut quælibet persona est hic Deus Deitate sibi formaliter communicata : ergo , &c.

25 Respondeo 2. Quod de rigore sermonis , & non abtendo terminis , potentia sub ratione potentiae , seu principium sub ratione principij generandi modo ultimo explicatum , non est in filio , nec in Spiritu-S. non solùm proximè , sed neque remote ; nec solùm formaliter , sed neque fundamentaliter. Hæc resolutio non est ita communis , sicut prima , sed meo videri , est genuina mens nost. Doct. in 1. dist. 7. quæst. unic. §. ad formam , ubi ait: Gerundivum , aut gerundium constructum cum potentia

notat actum , ut egredientem ab eodem supposito , cui attribuitur potentia : Similiter est de scientia , & voluntate , quando construuntur cùm gerundivo , notant actum , ut egredientem , vel potentem egredi ab illo supposito , cui attribuitur scientia , vel voluntas , propter quod non ita concederetur ista : *Filius habet scientiam , vel voluntatem generandi* ; quomodo concederetur illa : *Filius fit generationem Patris , vel vult eam*. Immò videntur illæ negandæ , sicut illæ : *Filius fit generare , & vult gen rare*; quia idem videtur , velle agere , & habere voluntatem agendi ; sed non idem istis videtur esse , velle actionem ; quia hæc non includit eam velle , ut actionem voluntatis , quod alia videntur significare.

26 Id ipsum clarius habet: dist. 20. quæst. unica , §. Quantum , vers. Si quæras , ubi ait: Et si quæras , si idem absolutum est in Patre , & Filio , super quod fundatur potentia æqualis :: etiam illa , quæ est ad intra , quare non est potentia eadem in utroque ? Respondeo , dico , quod , et si idem absolutum , quod est potentia sit in Patre , & Filio , ( nota ) non tamen sub ratione potentiae , quantum ad actum notionalem est in utroque , quia non est sub

sub ratione prioris ad illum ac-  
tum: & potentia , sive princi-  
pium, requirit ordinem priorita-  
tis ad terminum. Quid clarius?

27 Hoc quidem extensus  
habet , quodl. 2. ubi , §. de  
Tertio , hoc sibi argumentum  
proponit : habens principium  
formale producendi perfectum  
potest illo producere ; sed Fi-  
lius habet principium formale  
dicendi , & generandi perfec-  
tum : ergo , &c. Prob. min.  
Memoria perfecta est perfectum  
principium dicendi , sive gene-  
randi : Filius autem habet me-  
moriā sicut Pater : ergo , &c.  
Huic argum. respon. §. ad pri-  
mum , vers. ad secundum , &  
vers. *Quantum ad secundum*  
dicit : Quantum ad secundum,  
potest fieri aliqua difficultas in  
maj. & min. quia habere ali-  
quid , potest dici multipliciter  
ex post prædicamentis : licet  
propriè non dicatur aliquid for-  
mam habere , nisi habeat eam ,  
sicut forma nata est haberī ; non  
enim propriè diceretur habere  
albedinem , qui haberet eam  
clausam in bursa ; quia non est  
ille modus perfectus ; quia al-  
bedo nata est haberī , ut forma  
informans.

28 Ulterius , nomen ab-  
stractum significans principium  
agendi constructum cum gerun-  
divo significante aliquam ac-  
tionem , natum est haberī à sup-

posito , ut sit illi principium  
agendi illa actione : v. gr. ha-  
beo potentiam videndi , ista  
potentia non solum nata est ha-  
beri à me , ut forma ; sed etiam  
ut principium mihi operandi  
secundum illam formam ; &  
hoc notat illa constructio ge-  
rundiū cum abstracto tali : si  
militér ista grammatica patet  
ex usu loquendi ; & si enim ve-  
ra sit hæc : *Filius Dei scit gene-  
rationem Patris* ; non tamē iſ-  
ta : *Filius habet scientiam gene-  
randi*. Consimiliter nec iſta;  
*Iſte habet voluntatem genera-  
ndi*. Nec est aliqua ratio , nisi ex  
constructione grammaticalī , quia  
non solum notatur abstractum  
haberi ab illo , ut forma ; sed  
ut principium talis operationis  
procedentis ab iſto supposito.  
Consimiliter hīc : *Michal scit ,  
Deum creare Mundum , & cr a-  
tionem Mundi* ; non tamē *scit  
creare Mundum*. Quando enim  
accipitur in maj. illud quod  
habet principium dicendi per-  
fectum potest per illud dicere:  
loquendo de *habere* propriè ,  
sicut dicitur abstractum haberī ,  
quando habetur , ut forma sup-  
positi , & etiam de constructio-  
ne propria nominis significantis  
principium actus cum gerundi-  
vo significante actionem : qua  
constructio notat , illam for-  
mam huic supposito esse prin-  
cipium agendi ; conc. maj. quia

In subjecto includuntur illa, quæ requiruntur ad hoc, quod predicatum insit; quando enim in hoc forma habetur, ut forma huic, & ut huic principium agendi, potest per hoc esse principium agendi; sed sic min. est falsa; quia & si Filius habet memoriam perfectam, aliquando habendi; non tamen, ut formam; & si habet ut formam, non tamen, ut principium agendi.

29 Ad prob. min. Illa propositio, *memoria perfecta est principium perfectum dicendi*: posset dici, quod est propositio truncata: & oporteret illam supplere per aliquod dativum significans, cui sit principium dicendi: vel quia est indiferens, potest concedi, quod absolute est principium dicendi; nec plus ponit illa maj. de memoria: Quod Filius habet memoriam perfectam est manifestum. Concludendo ergo, Filius habet principium perfectum dicendi, quæ fuit min. primi syllogismi: fit fallacia amphibologia, vel figuræ dictionis, vel consequentis amphibologiarum; quia in maj. constructio non determinat actum illum significatum per gerundium, procedere ab aliquo supposito determinato; quia nullum suppositum certum ponebatur ibi in subjecto orationis; sed tantum designabatur,

quod procederet ab aliquo principio formalis; quia illud ponebatur in propositione pro subjecto: in conclusione, autem, ponitur, & suppositum determinatum, & forma; & ideo ex vi constructionis notatur in conclusione, quod actus non tantum comparatur ad principium formale, sed etiam ad suppositum, ut egrediens ab aliquo. Figuræ dictionis; quia per similitudinem dictionis actus significati in gerundivo in præmissa, & in conclusione commutatur habitudo actus ad formale principium in habitudinem actus ad suppositum agens; & sic commutatur quale quid in hoc aliquid. Fallacia enim consequentis; quia in maj. habetur actus significatus in gerundivo in universali, ad nullum suppositum comparatus; in conclusione autem determinatur ad certum suppositum; & non sequitur; actus est per hoc principium: ergo est hujusmodi suppositi. Hucusque Subt. Doct.

30 Ex quibus manifestè constat: Quod licet in Filio, & Spiritu-Sancto sit illud idem absolutum, quod in Patre est potentia generandi; non tamen possumus hanc potentiam concedere in illis; quia prout in illis non habet ordinem prioritatis naturalis ad generatio-

nem, qui ordo essentialiter imbibitur in ratione potentia. Confirm. Licet in Deo, & in creaturis post actum præteritum remaneat illud idem absolutum, quod fuit potentia ad illum; tamen absolute dicimus, quod nec in Deo, nec in creaturis datur potentia ad præteritum; non alia ratione, nisi quia deficit jam ille ordo naturalis prioritatis: ergo pariformiter, &c.

31 Quod autem nec remota, nec fundamentaliter detur potentia generandi in illis, facile ostenditur ex dictis; quia potentia remota, & fundamentalis solum datur in supposito, cui potest convenire potentia formalis, & propinquā, ut per se patet; at qui ex dictis patet, quod nec Filio, nec Spiritui sancto potest con entre dicta proxima, & propinquā potentia generandi; ergo nec illis convenit potentia remota, nec fundamentalis. Deinde ordo naturalis prioritatis, etiam essentialiter requiritur ad potentiam remotam, & fundamentalē: ergo cum iste ordo non detur, nec dabitur potentia remota, nec fundamentalis.

32 Arg. contra ex D. August. ubi sup. qui dixit: Quod Filius non genuit alium Creatorem, non quia non potuit, neque quia non voluit; sed

quia non oportuit: ergo potuit; & per consequens habet potentiam generandi. Resp. ex Sabt. Doct. Quod intentum August. non est ponere in Filio potentiam generandi, modo quo illam Catholici profitemur: sed modo quo Maximinus illam concipiebat; opinabatur enim iste, quod potentia generandi erat ipsamē omnipotentia, qua operatur Deus ad extra; & cum Filius non potuisse generate alium Filium, dicebat, Patrem non genuisse illum sibi aqualem in Deitate: Contra quod August. arguebat: Quod Filius erat Patri æqualis in Deitate, & Omnipotens, quia tres Divinæ Personæ æqualiter ad extra operantur. Ita explicat Subtil. Doctor loco citat. & alibi.

33 Deinde: Si realiter, & verè datur in Filio potentia generandi, cum hæc sit naturalis, & naturaliter agens toto suo connatu, à nullo extrinseco impedibilis; quia formaliter infinita, necessariò profectio generaret; qua propter nulla esset illa consequentia August. non generat Filius, quia non oportet: quia quidquid est sibi possibile, oportet, & est absolute necessarium; & quod ibi non est de facto, & necessariò, necessariò repugnat: erg. cum in Filio non sit actualis genera-

tio activa, ut Fides docet, necessariò illi repugnat: nunc sic: aut illi repugnat per locum intrinsecum, id est, per negationem potentiae; aut per locum extrinsecum, id est, per aliquod impedimentum distinctum in re ab ipsa potentia? Si primum: habemus intentum. Si secundum: erit imperfectio in Filio, quod Fides abhorret.

34 Arg.2. Quidquid in Patre præcedit actualem generationem, necessariò est communione Filio, cum tale sit absolutum, & de numero essentiale: sed ita est potentia generandi in Patre: ergo &c. Confirm. Filius est naturalis imago Patris: Ergo in se debet naturaliter Patrem exprimere. Atqui non ita exprimeret, si in se non haberet acti-  
vam potentiam generandi: erg. &c. Resp. ex Subtil. Doct. maj. esse insufficientem; quia quod est commune Patri, & Filio, non solum præcedit generationem; sed etiam caret ordine prioritatis ad ipsam generationem, tanquam ad suum terminum, & actum: hujusmodi autem non est principium, seu potentia generandi; ut sèpè dictum est. Ad confirm. resp. Quod si aliquid probaret, probaret utique, quod in Filio datur de facto actus generandi, sicut in Patre, quod est hære-

ticum. Qua propter dico: quod duobus modis appellatur Filius imago Patris: Primo, naturaliter; quia, scilicet, ex vi sua processionis ei communicatur eadem numero essentia Patris. Secundo, intentionaliter; quia, scilicet, per intellectionem essentiale, quæ ei primo communicatur, quatenus ab intellectu Paterno exprimitur, declarat totum Patrem secundum essentiam, secundum potentiam generandi, & secundum actualem generationem. Et hæc de Quæstione.

### QUÆST. V.

#### QUIS SIT T E R M I N U S Divinarum Processio- num?

I **P**RO quæst. intellig. est primo notandum; quod hic non agitur de termino à quo; quia certum est in Divinis nullum esse propriè dictum; nam cum terminus à quo propriè dictus, sit privatio illius, quod producitur; clarum est, in Divinis non esse talem terminum; quia ibi nunquam fuit privatio personæ productæ. Dici tamen potest esse terminum à qui, sumptum pro eo, unde aliquid oritur; substantia enim Patris est id, unde oritur Filius, & substantia Patris, & Fi-

lij,

lij est id , unde oritur Spiritus sanctus ; non tanquam de materia , nec quasi de materia , ut inquit N. S. Doct. in 1. dist. 5. quæst. 2. ubi ait : „ Ideo tenendo cum DD. antiquis , „ qui omnes à tempore August. „ usque ad istum ( intelligite Henricum ) non sunt ausi in „ Divinis nominare materiam , „ nec quasi materiam ; cum tamen omnes concorditer dicant cum August. quod Filius generatur de substantia Patris. Dico primo ; quòd Filius non generatur de Essentia Patris , sicut de materia , vel quasi materia. Secundò , quòd sine glossa verè , & propriè Filius est de substantia Patris.

2 „ Primum declarari posse sic : generatio in creaturis duo dicit , productionem , & mutationem ; & istorum rationes formales aliae sunt , & fine contradictione separabiles ad invicem. Productio autem formaliter est ipsius producti 7. Metaphysic. & accidit sibi , quòd fiat cum mutatione aliquis partis compositi. Mutatio formaliter est actus mutabilis , quod quidem de privatione transit ad formam : Concomitatur autem mutatio productionem in creaturis , propter imperfectionem potentia producti-

„ , quæ non potest dare „ esse totale termino produc- „ tionis , sed aliquid ejus „ presuppositum transmutat ad „ aliam partem ipsius , & sic „ producit compositum. Si „ enim generans creatum esset „ perfectum agens , & non exi- „ geret materiam , de qua , vel „ in quam ageret ; sed posset „ producere effectum per se , & „ ex se , tunc esset productio „ sine mutatione : igitur sine „ contradictione possunt separari , & realiter separantur , „ comparando ad potentiam „ productivam perfectam. Hoc „ appareat etiam in creatione , „ ubi propter perfectionem „ potentia productiva ponen- „ tis primo totum in esse , verè „ est ratio productionis , in „ quantum per eam terminus „ productus accipit esse ; sed „ non est ibi ratio mutationis , „ in quantum mutatio dicit , ali- „ quid substratum aliter nunc „ se habere , quam prius.

3 „ Ad propositum : Cum in Divinis nihil imperfectio- nis sit ponendum , sed totum „ perfectonis ; & mutatio (de ratione sui ) dicat imperfec- tionem ; quia potentialitatem , & hoc immutabilem , & conco- mitanter etiam dicit imper- fectionem potentia activa in „ mutante ; quia talis necessa- rio requirit causam concau-

, san-

„ sautein , ut producat ; cum  
 „ igitur non sit aliqua ibi im-  
 „ perfectio , nec potentia pas-  
 „ siva , nec potentia activa , sed  
 „ summa perfectio ; nullo mo-  
 „ do ponetur ibi generatio sub  
 „ ratione mutationis , nec quasi  
 „ mutationis ; sed tantum gene-  
 „ ratio , ut est productio , in quan-  
 „ tum aliquid per eam capit esse ,  
 „ ponitur in Divinis ; & ideo  
 „ generationi , ut est in Divinis ,  
 „ non assignabitur materia , nec  
 „ quasi materia ; sed tantum  
 „ terminus , & hoc vel totalis ,  
 „ sive primus , id est , adaequa-  
 „ tus , qui primò producitur  
 „ in esse ; vel terminus formalis ,  
 „ secundum quem terminus pri-  
 „ mus formaliter accipit esse .

4 „ Secundo dico : Quod  
 „ negata omni materialitate , &  
 „ quasi materialitate , vere ta-  
 „ men Filius est de substantia  
 „ Patris , sicut dicunt authori-  
 „ tates adductæ in litt. ( intellig.  
 „ Mag. Petri Lombardi ) ubi  
 „ per ly de , non tantum nota-  
 „ tur efficientia , vel origo ; si  
 „ enim tantum efficientia , tunc  
 „ creaturæ essent de substantia  
 „ Dei ; nec notatur per illud de ,  
 „ tantum consubstantialitas ,  
 „ quia tunc Pater esset de subs-  
 „ tantia Filii ; sed notatur simili-  
 „ oratione , & consubstantiali-  
 „ tas , ut , scilicet , in casuali-  
 „ hujus præpositionis , de , de-  
 „ notetur consubstantialitas sic ,

„ quod Filius habet eamdem  
 „ substantiam , & quasi formam  
 „ cum Patre , de quo est origi-  
 „ naliter ; & per illud , quod  
 „ construitur in genitivo cum  
 „ isto casuali , notetur princi-  
 „ piū originans , ita quod to-  
 „ talis intellectus hujus sermo-  
 „ nis ; *Filius est de substantia*  
*Patris* ; est iste ; Filius est ori-  
 „ ginatus à Patre , ut consubs-  
 „ tantialis ei. Et isto modo ex-  
 „ ponit Mag. authorit. in litt.  
 „ aductas , non præcisè per subs-  
 „ tantialitatem , nec per origi-  
 „ nem præcisè , sed per utrum-  
 „ que , sicut communiter appa-  
 „ ret de Patris substantia , hoc  
 „ est de Patre , qui est eadem  
 „ substantia. Per primum ori-  
 „ ginatio , per secundum con-  
 „ substantialitas habetur. Et  
 „ quod ista sit intentio Aug. in  
 „ authoritatibus ejus contra  
 „ Maximinum , appetet ex fine  
 „ authoritatum ; nam in una au-  
 „ thoritate ponit Aug. Si aliam  
 „ non invenis , Patris agnosce  
 „ substantiam , & *Filium cum*  
*Patre Homousion confitere*.  
 „ Hoc igitur intelligit per Filium  
 „ esse de substantia Patris , Fi-  
 „ lium sic esse de substantia Pa-  
 „ tris , ut sit *Homousion* cum  
 „ Patre. Hucusque Doctor,  
 „ quod benè nota.

5 Notandum est 2. Quod si-  
 cut quæstione antecedenti dixi-  
 mus contra Gregorium de Ari-  
 mi-

mino , dari principium quod , & quo , ita etiam contra ipsum dicimus , dari in productionibus Divinis terminum quod , & quo . Terminus quo etiam appellatur formalis , quia est forma constituens , & dans esse essentiale termino totali . Terminus quod est , quod producitur , vel totum id , quod producitur , qui constituitur ex termino quo , & ex alia comparte ; propter quod etiam dicitur terminus totalis . His suppositis , sit

6 Conclusio 1 . Terminus ad quem totalis Divinarum processionum est tota persona producta . Est communis . Prob . 1 . ex PP . Div . Ambros . ait : *Tantus est Filius , quantus videbitur esse Pater , totus de toto , integer de integro , perfectus de perfecto .* Div . Hilar . Unum ex uno , & totum à toto , Deum , & Filiū . Nazianz . Perfectum de perfecto , totum à toto , plenum de pleno . Et infra : *in Patre totum , quod inest , totum genuit Filium .* Idem habet D . Aug . pluribi , & alij SS . Hoc ipsum tenet de Spiritu - sancto .

7 Prob . 2 . Terminus totalis est , in quo ultimè sicut productio , sed processiones Divinæ ultimò sicut sunt in persona producta tota , prout dicit essentiam , & relationem simul : ergo tota persona est terminus ad quem totalis . Confirm . Illud

est terminus totalis processio- nis , quod simpliciter , & abso- lutè dicitur procedere ; sed non sola natura Divina , aut sola relatio dicitur procedere ; sed simpliciter Filius , & Spiritus - sanctus : ergo . &c .

8 Unde infertur : Patrem verè , & perfectè generare to- tum Filium ; quia licet rigorosè loquendo producat solam Filia- tionem , & non essentiam , (il- lam , enim , nec generare , nec generari , est de Fide) tamen es- sentiam verè communicat , quod sufficit , ut simpliciter , & absolutè Filium generet . Si , enim , in humanis Pater dicitur gene- rare Filium , cum tamen ejus animam , quæ est pars homini- pris principia , nec producat , nec communicet : Cūr non dicere possumus , Patrem in Divinis simpliciter generare Filium , cum Filiationem producat , & essentiam communicet ?

9 Conclusio 2 . Terminus formalis Divinarum processio- num est Divina Essentia com- municata personis productis à producentibus . Hæc conclusio est ferè communis , illam docet Doctor in 1 . dist . 5 . quæst . 2 . & alibi plures . Prob . ex ipso Joann . 10 . *Pater , quod dedit mihi , majus est omnibus ;* majus autem omnibus ( inquit Doct . ) non est , nisi aliquid infinitum , hoc non est nisi essentia : ergo

illam dedit. ( intelligite ut terminum formalem ) Hoc etiam vult August. 15. de Trinit. cap. 26. Sicut Filio ( inquit ) præstat essentiam sine ullo inicio temporis , sine ulla mutabilitate naturæ , de Patre generatio : ita Spiritui-Sancto præstat essentiam , sine ullo inicio temporis , sine ulla mutabilitate naturæ , de utroque processio : non autem conceditur , formam aliquam dari producto , sive communicari , vel præstari per generationem , nisi illa forma communicata sit formalis terminus talis productionis.

10 Probatur , etiam , per rationem : Nulla entitas formaliter infinita , simpliciter perfectior termino formali productio- nis , habetur per productionem . Essentia est formaliter infinita , relatio autem non : Ergo si re- latio esset formalis terminus productionis , persona non ha- beret essentiam per productio- nem.

11 Ut clarius intelligatur , est advertendum : Quod producens optimè dispositum , per productionem suam semper in- tendit inducere nobiliorem , seu perfectiorem formam , quam- potest , maximè quando princi- piū formale producendi est perfectum : Ergo perfectissi- mum , seu perfectius , quod ha- betur per productionem illam ,

erit terminus formalis . Patet conseq: quia ex illo , & mate- ria resultat tota perfectio pro- ducti : sed principaliter resul- tat à termino formalī , & quanto terminus formalis est nobilior , & perfectior , tanto est productum perfectius , & nobilis : ergo si producens per pro- ductionem intendit perfectum productum , & perfectio ipsius producti est principaliter à ter- mino formalī ; sequitur , quod si terminus formalis illius pro- ductionis , non esset perfectior omni alio in tali producto exis- tente , seu reperto , numquam hoc perfectius poterit esse in tali producto per productionem talem . Si ergo Essentia Di- vina cum sit unica simplicissi- ma , & formaliter infinita , per- fector , & nobilior omni alio in productione Filij non sit ter- minus formalis , sequitur , quod per talem productionem num- quam erit in Filio : atqui nec per aliam ; quia respectu Filij tantum est una productio , & illa sola Filio communicantur omnia , quæ Filius habet : ergo Filius non habebit Essentiam Divinam , nec erit Deus , quod est hæreticum , & falsum .

12 Præterea , in creaturis natura est terminus formalis ge- nerationis , non autem proprietas individualis , vel hypostati- ca : natura igitur , sive essen- tia

tia est per se terminus generationalis, & non nisi terminus formalis. Tertiò, quia alias ista generatio non esset univoca: quia ratio formalis termini ejus non esset ratio convenientiæ generantis cum genito: consequens est inconveniens: ergo &c.

13 Plura argumenta objiciuntur contra nostras Conclusiones: sed quia non ita difficultia sunt, sicut aliqua difficultates, quas hic Mar. Doct. ad major. quæstionis dilucidationem, proponit, & resolvit; ideo argumenta omitto, & difficultates aliquibus prætermis- sis, & mutatis, propono.

14 Prima igitur difficultas est: Quomodo relatio potest esse distinguens personam, & essentia non distinguens, quin relatio habeat rationem actus, & essentia rationem potentiae; quia actus est distinguere ex 7. Methaph. ? Respondeo; concesso relationem esse actum personale, non quidditativum; quia personaliter distinguit, & non quidditativè: Essentia autem est actus quidditativus, & quidditativè distinguens, non personam à persona, cum sit eadem in tribus, sed distinguens personam quidditativè à creatura. Actus autem quidditativus est simpliciter perfectus, quia infinitus, non sic autem

actus personalis est de se formaliter infinitus.

15 Et si dicatur: quod actus distinguens est actus ejus quod non distinguit; & sic actus personalis qui distinguit erit actus essentiæ, quæ non distinguit. Hoc falso est, nisi illud, quod non distinguit, distinguatur per actum distinguente, sicut in creaturis humana- titas distinguitur in Socrate, & Platone per A. & B. hæcceitates ipsorum; & ideo actus distinguens, etiam individualiter est actus ejus, quod non distinguit; quia actus ille distinguens, distinguit illam naturam, quæ non distinguit: non ita est hic, quia proprietas personalis non distinguit essentiam, nec contrahit, nec determinat.

16 Alia difficultas est: Quomodo potest esse relatio, nisi requirat propriam rationem fundamenti? Fundamentum enim videtur esse prius relatione, & quasi perfectibile per eam, non econverso: ergo cum essentia sit fundamentum istarum relationum, videtur esse quasi materia illarum, & per consequens perfectibilis.

17 Respondeo: Quod Es- sentia Divina est simpliciter pri- mum primitate originis, & pri- mitate perfectionis; & per con- sequens etiam, ut prior rela- tione, est simpliciter in ultima

actualitate ; ita quod ex sua ratione formalis sibi repugnat posse actuari , vel determinari; aut perfici per quocumque sibi adveniens ; & per consequens , si ponitur fundamentum relationum , non habebit rationem quasi materiae , nec quasi potentiae , nec quasi determinabilis , nec quasi per modum recipientis ; sed magis dicitur fundamentum istarum relationum , quasi per modum formae , in qua istae formae naturae sunt subsistere , non quidem per informationem , sicut similitudo est in albedine , sed sicut subsistens dicitur esse in natura , sicut sortes dicitur subsistere in humanitate , quia sortes humanae est homo. Non enim ex ratione fundamenti habebit rationem potentiae , vel quasi potentialitatis Essentia Divina; sed praeceps habebit rationem formae , ut qua relatio fundata in ea simpliciter est Deus.

18 Igitur Essentia Divina communicatur relationibus subsistentibus per modum formae , non informantis , sed qua relatio , vel relativum subsistens est Deus : nec igitur essentia informat relationem , nec econverso , sed est perfecta identitas. Dico igitur breviter ; quod relatio , & essentia ita sunt in persona , quod neutra est forma informans alteram , sed sunt perfecte-

te idem , licet non formaliter : ut tamen non sunt formaliter idem , relatio nullo modo perficit essentiam , nec est terminus formalis receptus in essentia : sed essentia hoc modo est forma relationis ; quia scilicet , est , qua relatio est , & similiter qua est Deus. Essentia etiam est formalis terminus generationis ; sicut in creaturis natura formalis terminus generationis , non autem actus individualis.

19 Contra istud obijicitur : quia terminus formalis generationis communicatur : igitur presupponit illud , cui communicatur : essentia autem non presupponit relationem , sed econverso : ergo essentia non communicatur relationibus. Et potest esse alia difficultas ; quia aliquod ibi communicatur , & illud erit ibi formalis terminus , & presupponit illud , cui communicatur : Essentia autem non potest presupponere relationem , cui communicatur : ergo econverso ; & ita relatio communicatur essentiae ; & tunc relatio erit terminus formalis productionis , & essentia , quasi materia.

20 Respondeo : quod productio est alicuius termini primi , id est , adaequati , includentis aliquid in ratione formalis termini ipsius productio-  
nis ,

nis, & aliquid in ratione subsistentia in tali termino, ut patet in Francisco producto; productio enim Francisci terminatur ad Franciscum, ut ad totale productum, in quo natura humana est terminus formalis productionis, & ratio suppositi, sive singularitas est conditio ipsius producti; ideo contradictionis hæc separare, scilicet, terminum formalem, & rationem subsistentia (in creaturis singularitatis) in quantum, scilicet, productione habent esse; & ratio, quia generatio terminatur ad compositum verè subsistens, ut patet 7. metaph. quod de necessitate includit naturam, & hæccitatem, sive rationem subsistentia; licet absolute sit prioritas unius ad alterum, scilicet, naturæ ad rationem subsistendi, etiam quantum ad separari sine contradictione, considerando ipsa absolute, non in quantum per productionem habent esse: licet enim natura humana, ut natura, sit in se prior ratione singularitatis, & ratione subsistendi, sicque nullam istarum includat, & ex se posset ab illis separari sine contradictione: in productione tamen, qua compositum producitur, est impossibilis separatio naturæ à singularitate; cum productum utrumque de necessi-

tate includat: & ex hoc sequitur, quod natura est terminus formalis productionis; quia nulla entitas simpliciter perfectior formalis termino productionis potest esse per productionem.

21 Tunc ad formam argumenti dico; quod communicatum, in quantum productio ne communicatur, non presupponit illud, cui communicatur, nec econverso; quia ista communicatio non est alicui jam existenti, sicut est in alteratione, ubi forma, secundum quam est alteratio, communicatur alicui subjecto præexistenti; sed ista communicatio Divinæ essentiae est alicui, ut sit; ideo nec natura communicatur ante productionem suppositi; quia tunc communicaretur non productio; nec etiam econverso, suppositum est ante quam naturam communicetur: licet absolute communicatum sit prius ratione propria suppositi, prioritate perfectionis, & etiam prioritate essendi, sive originis. Et hoc, quia in Deo essentia est formaliter infinita; relatio, verò, non: ut autem intelligitur communicata producto, non est prior ratione suppositi prioritate essendi, nec econtra: cum productum hujusmodi æquem simul includat utrumque. Hucusque Doctor, paucis additis. Et hæc de Quæstione, & Disput.

DIS.

## DISPUT. II.

DE PRIMA PERSONA  
Sanctissime Triadis.

## QUÆST. I.

QUID CONVENIAT,  
& attribuatur prima Per-  
sonæ particulariter.

**1** PRIMæ Personæ aliqua nomina attribuuntur à Theologis ; potissimè vero illi nomen Patris, nomen Principij, nomen Causæ, & nomen Ingeniti, scilicet Innascibilis. De his igitur sit præsens quæstio. An illi convenienter propriæ, non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem significatam? Circa quod, quid sit tenendum, breviter per sequentes conclusiones resolvitur.

**2** Conclusio 1. Primæ Personæ Divinæ propriæ convenienter tria nomina, scilicet, Patris, ingeniti, scilicet innascibilis, & principij Fontalis. Hæc conclusio est communis. Prob. prima pars, ex Sacra Script. nam ipse Christus Matth. 28. inquit: Baptizantes eos in nomine Patris. Joann. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo : Pater, &c. Et cap. 10. Ego, & Pater unum summus. Et cap. 15.

Rogabo Patrem, cap. 17. Manifestavi nomen tuum hominibus, scilicet nomen Patris: ut intelligant SS. PP. unde D. Cyrilus, ait: Manifestavi nomen tuum hominibus, quia videlicet verus Pater es, & Filium verum habes. S. Athan. Pater propriè est Pater, & Filius propriè est Filius. August. lib. 2. contra Arrian. Solus propriè est verus Pater, qui sine initio, & sine, Pater est. Sic quoque CC. passim in Symbolis profiteretur.

**3** Prob. 2. ratione: Ille vere, & propriè dicitur Pater, qui vere, & propriè generat Filium; sed prima persona SS. Triadis id perfectissimè præstat; immo longè perfectius, quam omnes Patres humani; tūm, quia illi generant sibi simile tantum in eadem natura specifica: prima, vero, persona in eadem individuali: unde Nacianz. orat. 23. sic de prima persona loquitur: Patrem esse credamus, Patrem multò verius, quam qui apud nos id nomen obtinent. Tūm, quia proprio, & singulari modo Pater est: Tūm, quia in totum, & totius Pater, quod de nobis certò affirmari nequit. Tūm, quia solus; non enim cùm mulieris coniunctione, atque congressu: Tūm, quia solus, nempe, unigenitus. Tūm, quia

quia solum; neque enim ipse prius, quam Pater esset, fuit Filius, nec Filius alterum Filium gignit: ergo nomen Patris, & ratio per illud significata proprie convenit primæ Personæ.

4 Nec obstat: quod alia personæ aliquando etiam vocentur in Sacra Script. nomine Patris; quia tunc non sumitur notionaliter, ut hic loquimur, sed essentialiter, pro principio, scilicet, creaturarum, respectu quarum tres Personæ dicuntur Pater, licet impropriè, extrinsecè, metaphorice, & per respectum rationis; quia creaturae non procedunt in similitudinem propriam naturæ; sic intelligitur illud Deut. 32. *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Et illud Job 38. *Quis est pluvia Pater? vel quis genuit stellas roris?* Et illud Paul. ad Rom. 8. *Acceptistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater,* &c.

5. Probat. 2. pars: Primo ex Conc. Niz. ubi S. Athan. Ep. ad Serapionem, ait: *Imprincipiatum esse, & ingenitum Soli Deo Patri Catholica Ecclesia congregata apud Niceam, fideliter attribuit, & toti mundo sic esse credendum sub anathemate mandavit.* Secundò: ex Ecclesia in officio Sanctissimæ

Triadis: *Te Dominum Patrem ingenitum.* Tertiò: Ex PP. nam S. August. lib. 15. de Trinit. cap. 2. ait: *Pater solus non est de alio, ideo solus appellatur Ingenitus.* Nazianz. orat. 23. *Patris proprietas hæc est, quod Ingenitus sit.* Et alij PP. plures. Quartò. Probat. ratione Theologica: Quia per *Ingenitum* hic nil aliud intelligimus, quam excludens omnem omnino productionem passivam: sed prima Persona, & sola illa excludit omnem omnino productionem passivam, cum nec sit genita, ut Filius, nec spirata, ut *Spiritus sanctus*: ergo, &c.

6 Nec obstat: Quod plurimi PP. reprobaverint hoc nomen, tamquam novum, & non repertum in Sacra Scriptura: unde dicit Athan. orat. 2. contra Arrian: *Vanam esse institutionem hujus vocis;* cum nil aliud in se contineat, nisi meream prestigiationem. Non obstat, inquam; quia arguebat ad hominem contra Arrianos reprobantes nomen Homouison; quia non erat in Scriptura: quare non ergo, dicebant PP. contra illos, *fatemini nomen Ingenitum*, quod nec in Scriptura invenitur? Deinde, dicti PP. reprobarunt hanc vocem in sensu, & fine, & ratione hereticorum, qui illam accipiebant prout significat

*Ater-*

*Aeternum, & Increatum, & non factum; & libenter tribuebant eam primæ Personæ, seu Patri, ut cùm deinde Filius appelletur in Scriptura genitus, inferrent per oppositum ad primam Personam, non esse aeternum, nec creatum, sed factum; ac proinde creaturam, quæ factio[n]e, & creatione propriè producitur: atque ex hinc consubstantialitate Filij negabant:*

Et ne in modo loquendi Hæreticis consentire videremus, noblebant prædicti PP. ut hæc esset in usu: Sed postquam periculum cessavit, & sensus vocis constat, bené possumus eam uti; quia idem sonat, ac improductum, & excludens omnem originem passivam.

7 Dices: adhuc in hoc sensu hæc vox competit Divinæ Essentia: ergo non est propria Patris. Respond. 1. negando antecedens: quia Ingenitum, sicut & genitum, est nomen suppositi, & non formæ; & cum essentia non sit suppositum, illi non convenit. Resp. 2. quod licet essentia non producatur, communicatur tamen; & ita licet non habeat principium productionis, habet principium communicationis, quod etiam excludit dicta vox; unde non est omnino sine principio Divina Essentia, sicut est Pater.

8 Hic ad longum disputa-

tur ab aliquibus; an Ingenitum, seu innascibilitas sit pro forma li quid positivum; an, vero, quid negativum? Sed breviter resp. cum Subt. Doct. in 1. d. 28. q. 2. Esse quid negativum, negationem scilicet, omnis processionis, seu productionis passiva: nam si esset quid positivum, vel esset absolutum, vel relativum? Si primum, conveniret singulis personis; quia absoluta sunt essentialia, adeoque Trinitati tota convenientia. Si secundum, per illam relationem ad aliquid referetur Pater Divinus, atqui per innascibilitatem ad nil refertur; non quidem ad Filium, cum ad illud referatur per paternitatem; nec ad Spiritum sanctum, quia ad illud refertur per spirationem activam; nec denique ad creaturas, cum referatur ad illas per creationem, seu per relationem rationis, quæ non est quid positivum. Igitur, &c.

9 Probat. 3. pars ex Concilio Tolet. 6. Confitemur (inquit) Patrem Ingenitum, Increatum; Fontem, & originem totius Divinitatis. Ex PP. Dionysio de Divinis nominibus, cap. 2. *A Divinis Scripturis accepimus, Patrem quidem esse, ut ita dicam, Fontem divinitatis; Jesum, autem, & Spiritum sanctum fœcunda divinitatis, si ita fas est loqui, germone, seu ger-*

*mīna.* Athanasius de Patre ait: *Quod est radix, & Fons Deitatis.* Eugenius IV. in lit. unionis Ecclesiarum Latinarum, & Græcarum, inquit: *Pater, Fons, & Principium totius Deitatis.* D. August. 4. de Trinit. cap. 2. *Deitatis principium Pater est.*

10. Dices: Divinitas non producitur: ergo Pater non est principium fontale Divinitatis. Respond. dist. consequens: non est principium Divinitatis productæ; conc. Divinitatis communicata; nego; & hoc sensu dicitur principium fontale; & bene notate ly *communicata*, quo occurritur alijs objectionibus; vel etiam dicitur principium fontale, quia est fons, & origo Divinitatis in concreto, scilicet, personarum procedentium, in quibus est Deitas, non tamen sui ipsius; ut cum dicimus cœlum omnia continet, id est, omnia alia à se. Ut autem rem melius intelligatis, advertite, principium sumi tripliciter in Divinis; Primo, essentialiter, respectu, scilicet, creaturarum. Secundo, notionaliter, respectu personarum procedentium. Tertio, principaliter, hoc est, principium sine principio, seu primum omnino principium; vel principium totius Deitatis, modo explicato. In primo sensu, convenit singulis personis, & apro-

priatur Patri. In secundo, convenit Patri respectu Filij, & Patri, & Filio, respectu Spiritus sancti. In tertio autem, competit Soli Patri, ut ex dictis patet.

11. Conclusio 2. Pater non est propriè causa Filij, nec Pater, & Filius, respectu Spiritus sancti. Hæc conclusio est ferè omnium PP. Ecclesiarum Latinarum, sed ferè contra omnes Ecclesias Græcas, saltem in voce. Prob. 1. Ex Cyrilo, lib. 2. de Trinit. ubi ait: Causam, & causatum, neque nominari (in Trinitate) fas est. Prob. 2. ratione: quia causa apud latinos sonat ex se inferioritatem, posterioritatem, & dependentiam in producto; atqui hoc repugnat cuilibet Personæ Divinæ: ergo, &c. Si tamen causa sumatur impro priè, pro eo, scilicet, à quo aliquid procedit, sive cum dependentia, inferioritate, posterioritate, sive sine illis, potest dici, quod Pater est causa Filii, & Pater, & Filius causa Spiritus sancti. In hoc sensu accipiunt nomen causæ PP. Graci, scilicet, Basilius, Chrysostomus, Nicanor, Nisen. Athan. & alij. Qui usus, sicut, & latinorum est satis conveniens, & approbatur à Concil. Florentin. less. ult. dicente: *Filium esse principium Spiritus sancti, vel ut Graci loquuntur causam.* Ratio, quia

vocabulo latino causæ , quod nequit Personæ Divinæ adaptari ad intra , respondet in Græco *ætion* , quod in suo idiomate æquivalet voci *principium*.

12 Dubitat: Utr. Eodem modo dicatur de Patre esse initium Filij , sicut dicitur esse principium ? Resp. negativè: quia initium non significat quodcumque principium , sed quantitativum , & durationis, quod repugnat habere Filius respectu Patris : & Spiritu S. respectu Patris , & Filij ; ita Concil. Tolet. 11. quod si in Scriptura Filius Dei dicitur esse ab inicio. Michæl. 1. *Egressus est ab inicio. A diebus æternis.* Et Ecclesiastici 24. *Ab inicio , & ante sæcula creata sum;* ibi initium non significat Patrem ( inquit Scholastici , & Sacri Expositor. ) sed significat id , quod ante tempora erat , scilicet, Æternitatem ; & idem valet , ac si diceretur , Filium Dei esse ab æterno , quod satis manifestant verba , à diebus æternis , seu æternitatis ; & verba , ante sæcula. Et hæc de quest.

\*\*\*

\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*  
\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*  
\*\*\* \*\*\* \*\*\*  
\*\*\* \*\*\*

### Q U Ä S T. II.

PER QUID PRIMA PERSONA consti tuatur formaliter in esse Personæ?

1 **Q**uestio hæc celeberrima est inter omnes , quæ disputantur in hac materia propter profundam ejus difficultatem , quæ adeo torsit Scholasticorum ingenia , ut in varias divisoriter opiniones. Ex ejus autem resolutione satis enucleatur illa communis difficultas de constitutione Trium Divinarum Personarum ; quia quidquid dicatur de constitutione primæ personæ facile applicatur ad constitutionem aliarum; nam in prima est præcipua difficultas.

2 Circa quam aliqui dicunt : Primam personam , sicut , & alias constitui per se ipsas ; & non per aliquam proprietatem ; concedunt quidem aliquid esse proprium uni personæ , quod non alteri : hoc autem , dicunt , non esse proprietatem aliquam , sed ipsum esse Personæ ; v. gr. Esse Patrem , vel esse Filium ; non vero Paternitatem , vel Filiationem ; undé concedunt proprietates in Divinis , quæ sint Personæ ; non vero proprietates , quæ sint in personis. Alij dicunt : Primam personam , sicut , & alias , primo constitui ,

&

& distingui proprietatibus absolu-tis nobis ignotis, & innomi-natis: Hæc sententia tribuitur à Marginistis Subt. nost. Doct. Joanni de Ripis, seu de Ripa. Quia, verò, Subt. nost. Doct. aliqua argumenta non parum difficilia conficit, & adducit pro hac sententia; ferè omnes Thomistæ, & neutrales ipsam ipso attribuunt, vel ad minùs dicunt, illam Marian. Doct. probabilem judicasse. Sed im-merito; nec illum legerunt, nec intellexerunt: cum potius Subt. Doct. fuit primus, qui hanc opinionem docuit impugnari, & impugnavit authoritatibus Scripturæ, Ecclesiæ, & PP. quamvis fatetur, hanc senten-tiam non esse contra fidem ex-pressè; resolvit tamen, opinio-nem constituentem Divinas per-sonas primò per relations, es-se magis communem, magisque receptam, illamque amplecti-tar in omnibus locis ubi fit ser-mo de constitutivis Divinarum personarum.

Alij dicunt: Primam Personam constitui non relatio-ne Paternitatis actualis, sed re-latione potentis generare. Alij: Patrem constitui proprietate in-geniti, seu innascibilis. Alij asserunt: Patrem alio constitui in ratione suppositi, vel hypo-stasis; alio, verò, in ratione

Personæ: Suppositum non con-stitui (inquit) relatione Pa-ternitatis, sed origine ipsa ge-nerationis: Personam verò, rela-tione Paternitatis. S. Thom. multum laborat in explicand. istam difficultatem: relationem Paternitatis (idem est de alijs) duplicitè posse considerari; Pri-mo, ut proprietatem persona-lem: Secundò, ut relationem; & priori modò, dicit, consti-tuere personam; posteriori au-tem, referre tantum. Hæc verba diversimodè intelligunt ejus discipuli. Cayet. dicit; relatio-nem Paternitatis, constituere Patrem, ut conceptam, non autem, ut exercitam. Fer-raiensis, & Capreolus: distin-guunt in relatione duos concep-tus, unum subsistentis, & for-mæ hypostaticæ; alterum qua si specificum, & proptium Pater-nitatis, scilicet conceptum rela-tionis, & respicientis aliud; se-condum primum, inquit, quod relatio constituit personam; & per secundum con-stituit Patrem, ut Patrem, & ut gênerantem, & relatum. Deni-quæ: Salmatic. & alijs: distin-guunt in relatione conceptum in, & ad; per in, inquit, constitui personam, & antece-dit generationem; per ad, verò subsequitur generationem, & non constituit personam, sed

refert illam. Quid autem sit nobis tenendum, per sequentes Sectiones videbimus. Sit ergo.

## SECT. I.

IN QUA REFICIUNTUR  
omnes istae Sententiae.

4 **C**onclusio 1. Prima Persona ( idem est de alijs ) non constituitur , nec distinguitur se tota ab alijs. Hæc conclusio est nost. Doct. in 1. dist. 26. quæst. unic. §. Contra istud. Procedit contra primum modum dicendi relatum. Probat. verbis Scoti : *Quæcumque non sunt primo diversa, aliquo sui distinguuntur; quia quæ se totis distinguuntur sunt primo diversa: si autem non sunt primo diversa, sed aliquid idem entia, tunc non eo distinguuntur, quo sunt idem, sed aliquo sui, quo non sunt idem: sed Personæ Divinae non sunt primo diversæ; quia sunt ejusdem essentiæ: ergo adhuc est quarere, quo distinguuntur.*

5 Item : Plures proprietates sunt in eadem persona , sicut in Patre innascibilitas , & generatio activa , & distinguuntur secundum Aug. 5. de Trinit. cap. 6. ubi vult: quod si Pater non esset ingenitus , posset tamen esse Pater; & econverso: ergo , et si per impossibile una

non distingueret Patrem ab aliquo , posset alia distingueret , & econverso: ergo semper est aliquid , quo distinguitur Pater à Filio , ita quod non primo se toto. Item : in Patre est generatio activa , & spiratio activa : & spiratione activa non distinguitur à Filio , quia ista est in Filio : erg. Pater non seipso toto æquè primò distinguitur , sed aliquo , quod est in eo. Item : in præfatione Missæ de Trinitat. ut in personis proprietas , in esentia unitas , & in majestate adoretur æqualitas : non autem persona est in seipsa hoc modo , sicut proprietas intelligitur esse in persona : ergo aliquo modo persona dici potest distinguiri proprietate formaliter , quomodo non distinguuntur se ipsa primo.

6 Confirmat; ex usu SS.PP. CC. & Theologorum : nam Conc. Later. Can. firmiter ita habet : *Hæc Sancta Trinitas secundum communem essentiam una est, secundum personales proprietates discreta.* Conc. Florent. *Personas Divinas per suas proprietates differre.* S. Athan. *Hypostasis proprietatem habet minimè communem Hypostasisibus, que essentiæ subsunt.* Tandem S.Aug. Serm. 38. de Temp. ait : *Habent singula in Trinitate personæ aliquid proprium quo inseparabili æqualitate aliquam in*

*in se ostendat proprietatem.*  
Ergo juxta CC. & PP. Personæ  
Divinæ non se totis constituun-  
tur , & distinguuntur , sed per  
speciales proprietates.

7 Conclusio 2. Affirmantes  
nullam esse à parte rei actu  
constitutionem personarum Di-  
vinarum , sed solum ab inadæ-  
quata intellectus operatione , à  
præfata rejecta sententia non  
discedunt. Hæc conclusio ponit  
tur contra Thomistas damnan-  
tes præfatam sententiam , ut im-  
probabilem , & temerariam , &c.  
Molina , inquit : Non dubito  
quoniam hæc sententia sit error in  
Fide , aut errori proxima ; &  
sic plus minusvè reliqui Thomi-  
stæ. Sed ut bené advertunt  
nostræ Vulpes , Merin . & Felix.  
Sanè Thomistæ cadunt in fo-  
veam , quām fecerunt : nám  
AA. præfatæ sententia bené fa-  
tentur , quod per intellectum  
potest fingi distinctio constituen-  
tis , & constituti in Personis  
Divin. sicut fingunt alia en-  
tia rationis ; atqui hoc ipsum  
tenent Thomist. negantes dis-  
tinguere. formalem inter essen-  
tiæ , & proprietates : ergo sua  
sententia convenit cum negata  
ab illis.

8 Ulterius , Præpositivus , &  
Gregor. Arimin. qui sunt AA.  
primæ sententiæ ex eo abstule-  
runt proprietates personales dis-  
tinguivas , & constitutivas , quia

judicarunt illis afferri simpli-  
citatis Divin. & poni aliqua com-  
positio in Personis Divin. At-  
qui ex hoc ipso auferunt Thom.  
distinct. formalem ex natura  
rei , qua in re constituitur Per-  
sona Divina ex essentia , &  
proprietate personali : ergo  
illorum sententia in re non dis-  
tinguitur à sententia Præpositi-  
vi. Deinde : contra Thomist.  
sunt CC. & PP. qui erant con-  
tra Præpositivum. Patet : nam  
CC. & PP. non loquuntur de  
constitutione personarum , prout  
à nobis fictè concipiuntur ; sed  
prout sunt in se ; quis hoc ne-  
gabit ? Non enim essent ita so-  
liciti in asserendo contra Hare-  
ticos constitutionem persona-  
rum ex essentia , & proprie-  
tate , si talis constitutio esset  
facta.

9 Præterea : sicut dicunt  
PP. & Scriptura ; Personas con-  
stitui proprietatibus ; ita etiam  
dicunt proprietatibus distingui:  
atqui non distinguuntur per in-  
tellectum , sed re ipsa : alias  
Myster. Triadis esset factum , ut  
de se patet : erg. &c. Denique:  
aut Deus cognoscens Personas  
Divin. cognoscit illas constitui,  
& distingui proprietatibus , vel  
se ipsis ? Si proprietatibus , &  
non essentia cognoscit distin-  
guere , habemus intentum : cum  
Deus cognoscatur res , ut sunt in  
se. Si se ipsis totis cognoscit  
dif-

distingui, & constitui: ergo PP. CC. & Script. decipiuntur, quando dicunt, quod quælibet persona constituitur, ex essentia, qua non distinguitur, & proprietate, qua distinguitur, & quod non distinguntur se totis, sed aliquo cujusvis proprium.

10 Conclusio 3. Ratio ingeni, vel ingenerabilitas, seu innascibilitas non est constitutiva primæ Personæ Divinæ in esse Personæ. Hæc conclusio est ferè communis contra paucos. Habetur apud Doct. Nost. in 1. dist. 28. §. *Contra istam viam*, & quæst. 4. quodlib. Probatur ex ipso: Proprietas constitutiva est omnino formaliter, & primò incomunicabilis: nulla negatio formaliter, & per seipsum est primò incomunicabilis: *ingenitum* autem, ut distinguitur formaliter ab essentia, & relatione positiva ad productum, non dicit nisi negationem formaliter, quia secundum August. 5. de Trinit. capit. 6. Cum ingenitum dicitur, non quid sit, sed quid non sit ostenditur: & multæ authorit. ad hoc patent: ergo &c. Prima propositio patet: quia cum persona sit formaliter incomunicabilis existentia, oportet quod illud, quo aliquid est persona primò sit formaliter incomunicabilis: erg. &c. Secunda propositio patet: quia negatio pro-

pria exigit positivum proprium ad quod co nsequitur; nulla enim negatio est propria omnino alicui, hoc est, soli illi necessariò conveniens, nisi quia ei repugnat affirmatio opposita: affirmatio autem quæcumque nulli enti repugnat, nisi per aliquod positivum, erg. &c. Hoc positivum nequit esse essentia: ergo aliqua proprietas positiva prior negatione.

11 Præterea: si prima Persona sit incomunicabilis formaliter negatione, & secunda est incomunicabilis ratione positiva, scilicet, Filiatione; & tertia similiter spiratione passiva: ergo non uniformiter se habent istæ personæ in ratione personalitatis: neque sunt æquè positivæ personæ: neque æquè perfectæ, in quantum personæ; quia non est æquè perfecta personalitas negativa, & proprietas aliqua positiva. Ista rationes licet forte non convincerent adversarium, quin possint solvi; tamen quia non videtur probabile, personam primam constitui sola negatione formaliter, vel negatione formaliter esse personam: ideo potest concedi conclusio istarum rationum.

12 Arg. contra ex Damasco: Omnia sunt unum præter ingenerationem, generationem, & processionem: igitur in-

ingeneratio est proprietas constitutiva Personæ primæ. Ex August. 5. de Trinit. cap. 6. *Non est hoc idem dicere ingenitum, quod est dicere Patrem, quia si Filium non genuisset, nihil prohiberet ipsum esse ingenitum.* Ergo ratio ingeniti constituit Patrem in ratione personæ. Respondet Subtil. Doct. locijs citat. Cum ergo arguitur per Damascenum, patet per eum responso ibidem: Subdit enim in solis proprietatibus Paternitatis, & Filiationis, & professionis differentiam agnoscimus: ergo quando prius accepit *omnia præter ingenerationem*: intelligendum est, quod sub in generatione comprehendit Paternitatem. Et breviter sicut patet in diversis capitulis ejus nunc nominat unam proprietatem primæ Personæ, nunc aliam; & per consequens per unam quamque intelligit quamcumque proprietatem propriam. Unde per ly *prater*, solum excludit essentiam. Ad August. resp. Ipsum solum velle in generationem distingui à Paternitate; non tamen quod ipsa in generatio prius sit quam Paternitas, nec quod ipsa Patrem constituit in esse Personæ.

13 Argunt ratione: Primum incommunicabile est prima ratio constitutiva primæ personæ; sed ingenitum est pri-

mum incommunicabile: ergo &c. Prob. min. quod est ab aliquo, & ab ipso aliud, prius respicit illud à quo est, quam illud quod est ab ipso: ergo econtra, quod non est ab alio, & ab ipso est aliud, prius convenit, seu habet negationem ordinis ad prius, quam ordinem ad posterius. Patet consequentia; nam in eodemmet signo in quo debebat illi competere ordo ad prius, debet illi convenire negatio talis ordinis. Subtilis ratio! Sed sicut illam adinvenit Subt. Doct. ita adæquatissimè solvit. Resp. igitur quodl. citato: Concedo; quod ordo ad prius quodammodo præcedit in aliquo ordinem ipsius ad posterius: maximè quando ordinatum est in se absolutum. Concedo etiam; quod negatio ordinis ad prius in absoluto, præcedit ordinem positivum ejusdem ad posterius; sed non sic in illo, quod constituitur formaliter per ordinem ad posterius; quia nullus ordo in illo potest esse prior, nec etiam negatio ordinis, quam si ordo, quo constituitur. Et hæc de Sectione.

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

**SECTIO II.**  
**IN QUA PROPONITUR,**  
**& firmatur nostra verior**  
**sententia.**

**14** **C**onclusio 1. Verius, Fideique principijs consonantiū est, primam Personam constitui formaliter positivè in esse personæ à ratione Paternitatis, quām constitui aliqua realitate absoluta (idem intellig. de alijs personis respecti-  
vè) scilicet, quod secunda persona constituatur in esse talis per Filiationem; & Tertia per spirationem passivam, & consequenter per easdem distinguunt realiter inter se, cum idem sit principium primò constitutivum, & primò distinctivum; nam quilibet res ab alia distinguitur, eo quod sit talis, & non talis: & per consequens id, per quod habet, quod sit talis, distinguit ipsam ab omni alio, quod non est tale. Hęc conclusio est communis, illamque habet Subt. Doct. in 1. dist. 26. per totam; & dist. 28. & quodl: 4. & alibi sępe.

**15** **P**robat. primo: Quia quotiescumque Sacra Scriptura, CC. & PP. immò, & fere omnes Theologi loquuntur de Personis Divinis assumunt nomina relativa Patris, Filij, & Spiri-

tus-Sancti: ergo signum est prō-  
prietarybus relativis constitui,  
& non absolutis. Ita habetur  
Math. ultimò, ubi Salvator ait:  
*Baptizantes eos in nomine Pa-  
tris, & Filii, & Spiritus-sanc-  
ti.* Similiter Joann. in canonica sua 1. capit. 5. *Tres sunt  
qui testimonium dant in Cœlo,  
Pater, Verbum, & Spiritus-  
sanctus.* Unde Damas. Papa in  
suo Symbolo: Proprium no-  
men est Patri, Pater; pro-  
prium est nomen Filio, Filius;  
proprium nomen Spiritui-sanc-  
to, Spiritus-sanctus.

**16** **P**robat. secundò: *Quia Ecclesia, vel quicumque expri-  
mit veritatem tenendam de Tri-  
nitate, exprimit personas no-  
minibus relativis, sicut pater  
in Symbolo Apostolorum, in  
Symb. Athanasij, & in Symb.  
Nizen. & in alijs quibuscumque  
declarationibus authenticeis Fi-  
dei per Ecclesiam universalem:*  
Ergo oppositum repugnat Fidei,  
ut ipsa videtur declarata ab Ec-  
clesia. Item August. 11. de Ci-  
vitate Dei, cap. 10. *Deus est  
quidquid habet, excepto, quod  
una persona dicitur ad aliam,  
& non est ipse: nam habet Pa-  
ter Filium; nec tamen est ipse  
Filius, & Filius habet Patrem,  
nec tamen est ipse Pater.* Item  
Damas. cap. 1. *Et quoniam  
Pater, & Filius, & Spiritus-  
sanctus, secundum omn' a unum  
sunt,*

Sunt , prater ingenerationem , & generationem , & processionem . Et ibidem , cap. 10. In his enim solis hypostaticis proprietatibus ab invicem differunt he sanctæ tres hypostases . Item Ansel. dicit (& est axioma Theologorum) quod in Divinis : Omnia sunt unum , ubi non obviat relationis oppositio . Præterea Concil. Florent. sess. 18. Sola relatio apud omnes , tam Græcos , quam Latinos PP. Processione Div. personas multiplicat . Ista , & alia similes authoritates , quas affert , & bene vedit Subt. Doct. præbuerant occasionem , quam plurimis Thomistis , & Jesuitis , ut acriter censurarent adversam sententiam de constitutivo absoluто : sed minimè istæ authoritates sufficiunt ad prædictas censuras inurendas , quæ proprieà negligendæ sunt .

17 Rationes quibus hac conclusio probetur , non inventiuntur ; solim enim possunt aliquæ formari in dictis authoritatibus , sic : In Mysterijs profundissimis nostræ Fidei non licet theologizare , nisi secundum quod est revelatum , vel à SS. PP. & Ecclesia declaratum ; sed in nullo textu , auctoritate , aut declaratione dicitur , quod Personæ Divinæ constituuntur , vel distinguuntur proprietatibus absolutis ; sed potius dicitur distingui , &

*Tom. I.*

constitui relationibus : erg. &c. Confirm. Non sunt multiplicanda entitates absque necessitate , sed constat dari in Divinis proprietates personales relative , & istæ sufficiunt ad constitutas personas : Ergo non sunt admittenda alia proprietas personales absolutæ , alias absque urgente necessitate multiplicarentur entitates .

18 Ita acutissimè , & operose , solvit Subt. Doct. & explicat omnes præfatas authoritates , & rationes , ut nosl. Lichetus dicat : Credo , quod hæc via ( scilicet de absoluto ) sit magis substantialis , & clarior , & facilior ; & quod Doct. magis declinet ad hanc viam per argumenta , quæ quodammodo videntur insolubilia , quanvis ea nitatur solvere ; & credendum est , quod nisi opinio communis esset in contrarium , Doctorem asseruisse hanc opinionem , licet nunc utramque viam sustinere videatur . Non audeo tantum dicere , sed ut quantum sapio , & quantum capio in hac re breviter aperiam . sit :

19 Conclusio secunda : Quoadusque Alma Mater Ecclesia aliud determinet , vel definiat , bene potest defendi , disputationis gratia , personas Divinas primo constitui , & distingui in esse personæ formaliter positivis proprietatibus ab-

*Sss*

*fo*

solutis. Hæc conclusio non melius probatur, quam ostendendo non repugnare Fidei, sed magis Sanctæ Scripturæ concordare. Primum ostenditur, respondendo, authoritates præfatas solum voluisse, quod non nisi relatione colligi possit distinctio personarum; & quod nisi relationem ad se invicem dicenter, non distinguerentur; & quod quidquid ad aliud non refertur, spectat ad essentiam: quod totum verum est, quanvis constituantur Divinæ Personæ per se primò per aliquid absolutum, nam illud absolutum existimatur talis naturæ, ut ad ipsum necessariò sequantur relationes; & cum non constet dari talia tria absolute constitutiva personarum, nisi quatenus constat, quod habent ad se invicem relationes, sequitur, quod non nisi relatione distinguuntur, scilicet arguitivè, & à posteriori. Deinde illud absolutum, si datur, esset, quod referretur per relationem, & esset relatio fundamentaliter, & proximè, & sic ad relationem spectaret, & non ad essentiam. Per ista duo dicta (inquit Subt. Doct.) unum de relatione distinguente à posteriori: aliud de duplice absoluto, possunt multæ authoritates exponi, quæ videntur in contrarium.

20 Secundo fulcitur conclu-

sio sic: Licet tenendum sit pro vero, quidquid trahit authoritas authenticæ; non tamen est negandum esse verum quidquid ipsa non tradit; multa enim inquit ille Christi Secretarius Joannes: *Opera, & signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc, & certè nec alicubi: quia addit: Existimus mundum non posse capere libros, si essent scripta.* Atqui nulla est authoritas, quæ expressè neget constitutionem personarum per absolutum: erg. &c. Prob. min. quia quæcumque tenenda circa articulos de Trinitate declaravit Ecclesia, continentur in Symbolo Apostolorum, vel Athanasij, vel Nizeni, ut extra de Summa Trinitate capite firmiter; & capite, *damnamus*, quæ duo capitula edita fuerunt in Concilio generali sub Innocentio III. vel ex Summa Trinitate, & est hodie in sexto libro: non inveniuntur alia scripta authenticæ continentia declarationem Ecclesiæ circa argumentum de Trinitate: atqui in nullo istorum declaratur personas Divinas constitui proprietatis relativis; nec ex aliquo istorum necessariò, & evidenter infertur: erg. &c.

21 Quod autem hæc opinio Sacrae Scripturæ concordet, ostenditur per illud Proverbiorum 30. ubi post multas quaestio-

tiones motas de Deo , quærit Salomon : *Quod nomen ejus , & quod nomen Filij ejus , si nosci?* Ex hoc arguitur sic : Omnis quæstio aliquid certum supponit , & aliquid dubium quærit ex 7. Metaphys. hic igitur est certum , Filiū esse , & quæritur quod est nomen ejus ; & pari ratione per naturam relationis supponitur illud cuius est Filius , scilicet , Pater , & quæritur , quod est ejus nomen : igitur hoc existente certo , scilicet , hunc esse Filium , & hunc Patrem , dubium est , quod nomen hujus , & quod illius. Subsumo : sed si istæ personæ primò constituantur in esse personali per Paternitatem , & Filiationem , proprium nomen hujus est Pater , & proprium illius est Filius , & ita esset certitudo de Filio , & non dubitatio , quod nomen esset ejus : g. Salomon videtur intendere , quod non primò constituantur Filiatione , & Paternitate. Alter arguitur sic : Dato , quod proprium nomen personæ , quæ est Filius , sit Filius , consequitur nomen , si primò constituantur relatione , vel Filiatione : igitur idem quærit Salomon , & supponit : supponit enim proprium nomen personæ , & quærit quod est nomen ejus : hoc non est dicendum : erg. &c.

22 Urgetur : Nomen Filij

in creaturis declarat emanationem naturalem unitus personæ humanæ ab alia : Confusé tamen declarat personalitatem propriam distinctam à personalitate generantis : erg. potest pariter hoc nomen Filij in Divinis exprimere clarę naturalem emanationem ejus à Patre per verbationem , seu intellectualem actionem , declarando confusé absolutam proprietatem illius secundæ personæ , tanquam rationem fundandi Filiationem naturaliter posteriorem illa. Quo circa rationabiliter sapiens Salomon , ut certum supponit secundam personam appellandam esse ab omnibus Filium Dei ; & solum dubitavit de alio proprio illius nomine manifestante exactè , & clare absolutam personalem proprietatem.

23 Ulterius : quod advenit personæ constitutæ , nec constituit , nec distinguit prima distinctione ; atqui relatio Paternitatis (idem est de alijs) est hujusmodi respectu prime personæ : erg. &c. Prob. min. Relatio Paternitatis est relatio originis activæ : atqui relatio originis activæ sequitur actionem , sicut alia passionem ex 5. Metaphys. Ergo advenit primæ persona post actionem , seu generationem. Subsumo : atqui priori ad actionem est conf-

rituta persona ; quia actio non potest esse, nisi suppositi existentis: Ergo prima persona est persona , vel suppositum per aliquid prius ipsa relatione ; & per consequens , &c.

24 Confirm. Suppositum aliquomodo præintelligitur actioni : quia prius intelligitur unumquodque per se esse, quam per se agat : nunc sic : in illo priori si est suppositum ad se, habetur propositum : si non est suppositum ad sè ; sed ad aliud, ut ad Filium : ergo simùl intellegitur Filius , & ita Filius præintelligetur generationi ; & ita Filius non est terminus generationis. Patet prima consequentia ; quia quacumque prioritate unum correlativum præintelligitur alicui , eadem prioritatem præintelligitur reliquum eidem, propter simultatem relativorum.

25 Denique : Relatione aliquid refertur formaliter , sicut albedine aliquid dealbatur: atqui ipsamet relatio non refertur , nec ipsa essentia : ergo aliud præter istas , quod nequit esse nisi ratio absoluta suppositi. Prob. min. quoad primam partem : Tùm ex D. Aug. 7. de Trinit. cap. 2. Omne relationum est aliquid excepta relatione. Et in princ. 3. capituli : Si Pat. r non est aliquid ad se , non est quod refertur. Ex hoc videtur, quod relatio non refertur ; sed

illud quod refertur est aliquid ad se. Tùm etiam , quod refertur relatione , non est aliquid posterius ea , nec simùl natura: ergo est prius naturaliter , & ita est ad se. Confirm. Omne compositum , vel quasi compositum necessariò præexigit partes , aut quasi partes , & partium unionem : Ergo esse alicujus relati, quod dicitur referri primo quasi totum quoddam, præexigit relationem , ut formam , & illud, quod refertur relatione quasi subjectum , & unionem istorum ; & consequenter , &c.

26 Secunda pars minor. à nullo negatur ; quia alias essentia distingueretur realiter à correlato. Ex hoc confirmatur totum assumptum : relatio realis præexigit extrema realia , vel distinctionem realem extremorū: Ergo pro priori ad relationem Paternitatis , & Filiationis , jam persona Patris , & Filij distinguuntur realiter : non distinguuntur nisi per personalitatem; igitur pro priori ad relations habent illam , & consequenter est quid absolutum.

27 Si dicatur , quod illa relatio non est realis , quæ nec præexigit , nec facit distinctionem realem extremorum. ( Hæc omnium est responsio ) Contra: Ergo non valet istud argumentum : Extrema non sunt distincta realiter : ergo non est relatio rea-

*realis.* Prob: Aut enim accipiatur in antecedente, quod extrema non sunt distincta realiter distinctione precedente relationem, & habetur propositum in Divinis. Aut accipitur in antecedente, quod extrema non sunt distincta distinctione facta hac relatione? Si sic accipis, ideo non est facta distinctio realis extremitatum per illam, quia illa non est relatio realis: Ergo inferre ex antecedenti sic sumpto, relationem non esse realem, est inferre, quia non est realis, ideo non est realis; quod nihil est. Videatur subtilitas, quam dedit Deus Mariano nost. Doct. qua ita de profundissimo Triadis Mysterio disserit, ac si velut alter Paulus ad tertium Cœlum raptus facie ad faciem vidisset arcana, quæ si Pauló non licet loqui, nost. Doct. licet; per quindecim plus argumenta his similia propugnat dictam sententiam. Prædicta solum mihi placuit apponere, ut qui voluerit plus sciscitetur ad indagationem hujus difficultatis, cuius veritas solum in Patria certa videbitur; & utinam videamus! Naturam Dei ita descripsit, quasi aspexisset dicit quid. Jesuit.

28 Inquires: Dato quod Divina Personæ constituantur in esse talium proprietatibus absolutis, certum est, quod Christus D. ita cognovisset: cur

igitur voluit exprimere illas nominibus relativis, cum congruentius videatur, Baptismum dari invocando Personas Divinas proprijs nominibus ipsarum? Deinde, quando aliquis articulus traditur à Christo, congruentius est, illum accipere secundum illum sensum, quamvis approximatuerit ipsis verbis Christi: talis non est de constitutione absoluta, sed de relativa: ergo, &c.

29 Ad primum potest responderi; quod propter duo sic congrue Salvator expressit Personas; primum, quia nos docuit sicut eramus capaces: si autem sunt proprietates absolutæ, videntur, eas nos non posse concipere, vel non concipere ita faciliter, sicut relationes; quæ ex relationibus originis in creaturis melius possunt concipi; & illis incommunicabilibus absolutis, si sint, nulla sunt similia in creatura. Hanc etiam impossibilitatem, vel difficultatem cognoscendi absolutas proprietates, posset quis concipere ex præmissa quæstione Salomonis. Exemplum hujus patet in communi modo loquendi, quo expressius, & frequentius exprimimus aliquas personas nominibus relativis, quam absolutis; quia illa nomina sunt notiora; tamen constat, personas, quas intendimus illis nominibus exprimere, esse

esse in se absolutas; v. gr. hoc fecit Papa, vel Episcopus, aut Rex; non ita s<sup>e</sup>pē dicimus Petrus, vel Joannes, quia officia sunt notiora proprietatibus absolutis personalibus.

30 Secundo potest dici: Quod licet Christus Dominus benē potuisset nominare personas nominibus absolutis; attamen sic nominando, non exprimeret tantum de necessitate Fidei illis, quantum istis; quia istis non tantum exprimitur distinctio personarum, sed etiam origo, & processio, quae est in eis; & aliquomodo unitas essentiae; quia in tali origine perfecta est communicatio ejusdem essentiae; per tria autem nomina absoluta, non sic exprimerentur h<sup>a</sup>c omnia.

31 Ad secundum dico: Quod ille intellectus, quem Christus expressit, scilicet, quod sint persona relativa, est absque dubitatione tenendus; sed de eo, quod tacuit, scilicet, an sint absolute, non est magis contra intellectum articuli una pars, quam alia, nisi ostendatur repugnare intellectui, quem expressit; immo restringere aliquem articulum Fidei ad intellectum speciale, qui tamen traditus est in generali, quasi non possit intellectus generalis esse verus, nisi specialis sit verus; hoc videtur articulum, reducere ad incertitudinem;

quia videtur incertum, quod non potest sine incerto teneri. Saltem major reverentia sit articulo in universal<sup>i</sup> tradito; si dicatur, intellectum ejus universal<sup>i</sup> posse esse verum, quocumque speciali posito, vel negato, quod non est traditum, ut tenendum; quam quod non possit esse verus, nisi aliquod determinatum speciale sit verum. Notetur benē h<sup>a</sup>c p<sup>i</sup>issima maxima, ut non facilē damnentur aliorum placita. Tribus exemplis manifeste illam ostendit Doctor Subt. unum propinam.

32 Antiquitus solum fuit Judæis revelatum, quod Deus erat unus, & de Trinitate nil fuit illis revelatum explicitè. Nunc sic: magis consonum videtur illis verbis articuli, quod esset etiam unus personaliter, quam quod esset Trinus: atqui non solum minor reverentia, & falsitas esset, asserere, prædictum articulum non posse esse verum, nisi esset unus personaliter. Igitur neutram partem debuerunt asserere esse necessariò tenendam, sed qualibet posita, vel ablata, necessariò debuerunt tenere, quod in generali fuit eis traditum. Ita in proposito circa articulos nobis in universal<sup>i</sup> traditos, non debemus asserere sine declaracione Ecclesiæ hunc specialem sensum, vel illum necessariò esse

esse tenendum, quando quocumque illorū stante articuli possunt stare, ut traditi sunt. Non enim sine causa Deus, qui seit in speciali istam veritatem, tradidit, aut rebelavit illam in universalitatem, & nec arctavit ad hunc modum specialem, nec ad illum tamquam ex fide tenendum. Denique; quia in proposito propter reverentiam istarum personarum non videtur dicendum, quod sint tantum relationes in essentia, nisi hoc certissimè tradatur, & hoc propter modicam entitatem relationis respectu entis absoluti. Hucusque Doct. paucisque mutatis; & hucusque de hac sententia.

33. Tenendo tamen propter authoritates (ut ait Doct.) Sententiam primæ Conclusionis. Sit tertia, & ultima conclusio: Prima persona constituitur formaliter positivè in esse personæ per relationem Paternitatis. Prob. primo: Prima persona non constituitur in esse persona li Deitate; quia non est incomunicabilis, nec spiratione activa, quia communis est sibi, & Filio, nec innascibilitate, nec aliqua realitate absoluta, ut supponitur: igitur per viam divisionis, solum constituitur relatione Paternitatis. Prob. 2. Prima proprietas incomunicabilis positiva est proprietas constitutiva primæ personæ: at-

qui talis est Paternitas? Ergo, &c. Prob. min. quia secundum sententiam communem in hac conclusione suppositam, nihil potest esse ibi incomunicabile, nisi relatio Paternitatis; quia relatio spirationis activæ est communicabilis: ergo, &c.

34. Prob. 3. Si prima Persona non constitueretur per relationem Paternitatis eo esset, quia proprietas constitutiva illius deberet esse prior Filio: at qui hæc prioritas non requiritur, ut per illam constituatur: erg. &c. Prob. min. Stat benè quod relatio Paternitatis sit prior Filiatione, & habeat simultatem cum illa: erg. &c. Prob. antecedens: Quando sunt aliqui ordines alterius rationis, quorum unus non includit alium, nec præexigit, nec coexigit, potest iste esse sine illo, immò cum similitate opposita illi ordini: patet exemplo; ordo durationis, & naturæ sunt tales, quod qui est naturæ non includit illum, qui est durationis; nec necessariò præexigit, sive coexigit; ideo prioritas naturæ potest stare cum similitate durationis. Nunc autem, correlativa requiriunt solum simultatem naturæ, & hæc potest stare cum prioritate originis, quæ solum requiritur in prima Persona respectu secundæ: erg. &c.

35. Nec est opus recurrere cum Thomistis ad conceptum relationis *in*, & *ad*: nec cum alijs ad conceptum proprietatis, & conceptum relationis; quia ut ait Doct. relatio non constituit personam, nisi secundum quod est in re, & ex natura rei: ergo quantumcumque possit relatio considerari per intellectum, vel sub conceptu *in*, vel sub conceptu *ad*, vel sub ratione aptitudinis, vel actualitatis, vel subsistentia, vel personalitatis, vel generationis, vel proprietatis, vel relationis; cum non constituat personam, nisi ut est in re, ex natura rei, & hoc modo omnes isti conceptus sint unica simplissima realitas: sequitur, quod pérpetram requiritur ad illos. Dicendum ergo est, quod relatio Paternitatis sub expresso conceptu relationis constituit primam personam in esse talis.

36. Dabitabis: Per quid est essentia in prima persona? Dico, quod ex se. Si adhuc velis dicere, quod non; sed per proprietatem determinantem: eadem quæstio esset, per quid determinaretur ad talem proprietatem: & tunc, vel oportet procedere in infinitum, vel oportet stare, quod essentia, quæ de se esset primo, id est, adæquatè in tribus, & esset de se immediatè in tribus, si non

haberet ordinem ratione principiorum producentium, quod ipsa est de se immediate in primo istorum trium habentium ordinem.

37. Dices: Si ex se determinatur ad primam Personam: ergo non potest esse in alia. Resp. Determinatio est duplex opposita duplici indeterminationi; una indeterminationis, est ad opposita contradictione, sicut materia ad formam, & privationem; alia est ad diversa positiva, quæ tamen stat cum determinatione ad alteram partem utriusque contradictionis. Per hoc patet ad argumentum, quia consequentia tenet loquendo de determinatione secunda, quæ opponitur illimitationi ad plura, & hoc modo non determinatur essentia ad unam, sed ad tres subsistentias; quia illa determinatio est ad primum adæquatum, & sic adæquantur tres subsistentia illi natura: non tamen tenet consequentia loquendo de determinatione primo modo; quia illa est ad primum immediatum non adæquatum, & stat cum indeterminatione ad duas alias personas. Et hæc de Quæst. &c Disputatione.



## DISPUT. III.

**DE S P E C T A N T I B U S**  
ad secundam Triadis Per-  
sonam.

## QUÆST. I.

**Q U A E N O M I N A , E T**  
quomodo convenient secundæ  
Personæ SS. Tria-  
dis?

1. **S**IT conclusio : Tria no-  
mina veré , & propriè  
competunt secundę Triadis Per-  
sonæ , scilicet, Filius, Verbum,  
& Imago. Prob. prima pars:  
Secunda persona , & sola illa,  
veré , & propriè generatur : er-  
go verè , & propriè est Filius.  
Unde Ambros. lib. 2. de Tri-  
nit. ait : *Filius dicitur, quia ex Deo Patre nascitur. Præterea ad Hebreos 1. Filius meus es tu.* Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritu-sancti.* Ex Symb. Athan. Unus ergo Pater , non tres Patres , unus Filius non tres Filii , &c.

2. Prob. 2. pars ; quæ est  
contra Durandum afferentem,  
Verbum esse quid essentiale, at-  
que commune tribus Personis.  
Prob. inquam primò ex Joann.  
5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum,*  
Tom.I.

**¶** *Spiritus-sancti.* Et cap. 1. In principio erat Verbum , &c. Secundò prob. ex PP. August. lib. 6. de Trinit. cap. 2. Verbum solus Filius accipitur , non simul Pater , & Filius. Et infra: Verbum de Verbo dici non posse , quia non simul ambo verbum , sed solus Filius. Ex Cyri-  
lo lib. 7. *Thesauri* , cap. 1. ubi ait : *Quasi proprium Filij eligisse videatur, in principio, inquit, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.*

3. Prob. etiam ratione ex Subt. Doct. in 1. dist. 27. q. 2. §. Ad secundam questionem, dico, quod idem per se significat abstractum , & concretum, licet alio modo significandi ; si-  
cūt Filius , & Filiatio ; quia si-  
cūt Filiatio significat relationem de genere relationis , ita , &  
Filius , per modum tamen de-  
nominantis suppositum relati-  
vum : & si accipiatur substan-  
tivè , idem significat cum tali  
subsistente. Ita igitur idem  
significat Verbum , & abstrac-  
tum ejus : abstractum autem  
ejus si esset nominatum , esset  
verbatio , quæ notat relationem formaliter ; idem enim signifi-  
cat , quod expressio passiva ali-  
cujus de intellectu ; sed sicut  
Filius connotat naturam viven-  
tem in qua est talis relatio, ita  
Verbum connotat actualem no-  
titiam cuius est talis expressio:

Igitur cum in Divinis intellegitualiter exprimi , sit proprietas secunda Personæ ; sequitur, quod Verbum sit ibi mere personale , & significet proprietatem personalem. Patet etiam, quod ratio gignendi Verbum non est Pater , ut actu intelligentis ; sed Pater , ut memoria perfecta , scilicet , ut intellectus habens objectum actu intelligibile sibi præfens , sicut declaratum est , quæst. de productionibus. Recolite quod ibi diximus , & nunquam a memoria delete.

4 Dices ex August. 15. de Trinit. cap. 7. Sicut Pater intelligit sibi , & vult sibi ; & meminit sibi ; ita Filius , & Spiritus Sanctus. Atqui actus proprius intelligentia ponitur esse Verbum : ergo sicut in Patre est formaliter intelligentia , ut intelligentia , ita in eo est Verbum , ut Verbum. Item non sunt duo propria unius Personæ ; quia unius constituti in esse est unum formale constitutivum ; atqui Filiatio est proprietas constitutiva personæ genitæ , secundum August. ergo non Verbum : non enim videntur ista dicere proprietatem eandem , quia non omnis Filius est Verbum , nec econtra.

5 Respondet. ad primum ex Doct. citat. dicente : Conc. in Patre intelligentiam forma-

liter , sed negat. ista , quod omnis actus intelligentia formaliter est Verbum ; quia hoc non est verum , nisi de intelligentia illa , quæ potest habere aliquem actum genitum , vel notitiam genitam: talem actum non potest intelligentia habere , ut Patis est , quia Pater est à se , & nil habet per generationem : tamen potest concedi , quod intellectio actualis Patis est quasi genita virtute memoria , ut in Patre , sed non verè genita , quia non distincta , unde nec verè est dictio , nec vere Verbum.

6 Ad aliud dico ; quod non sunt duo propria , sed idem ; quia eadem relationem per se significant Filius , & Verbum , licet alia connotent ; quia Filius naturam viventem incommuni , & Verbum notitiam actualem actualiter expressant. Ista connotata non semper sunt eadem ; sed relatio passiva significata semper est eadem. Unde August. 7. de Trinit. *Eo Verbum , quo Filius ; & eo Filius , quo Verbum , & utrumque relativè dicitur.*

7 Prob. 3. pars conclusio-  
nis ex Script. vocante Filium ,  
Imaginem D. invisibilem. Ad  
Colosenses 1. *Figuram substan-  
tiæ Patris ; ubi per figuram in-  
telligitur communiter Imago.*  
Prob. 2. ex PP. August. 6. de

Trinit. cap. 2. Sic enim Verbum ; quomodo Imago ; non enim Pater , & Filius simul ambo Imago ; sed Filius solus Imago Patris. Ex Cyrilo , lib. 3. Thesauri , cap. 1. Filius Verbum , & Imago D. est. Ex Athanas. orat. 4. contra Arrianos: Licet ille solus sit imago vera , & genuinus Patris sui fatus. Quibus alij PP. consonant. Patet etiam conclusio ratione: Imago est similitudo quædam ad alterius imitationem produc ta naturaliter , & ex vi produc tionis ; atqui hæc definitio Filio Dei , & illi soli competit; nam Spiritus sanctus non est si milis Patris naturaliter , nec ex vi processionis : erg. &c.

8 Dices: Filius non est si milis Patri ratione Filiationis, ut patet , nec ratione essentiæ, cum sit eadem in utroque : erg. &c. Respond. Filium esse similem Patri , ratione essentiæ ex vi processionis naturalis ; nec i de sequitur , idem esse similem sibi ; quia non dicimus , es sentiam Filij esse similem essen tiæ Patris ; sed Filium Patri, qui inter se distinguuntur ; unde quod Filius sit similitudo Pa tris , id habet , & ratione relationis , & ratione essentiæ : relationis quidem , quia debet esse quid distinctum ; Essentiæ verò , quia hæc est fundamen tum similitudinis .

9 Dices: Imago convenit toti Trinitati , ut faciamus ho minem ad imaginem , & simili tudinem nostram : erg. &c. Res pond. disting. antecedens : Imago , proprie dicta convenit toti Trinitati , nego : impropre dicta , sumpta pro exemplari, concedo. Est autem differentia inter imaginem , & exemplar , quod illa sit similitudo ad alterius imitationem producta; hoc verò sit illud , ad cuius imitationem aliquid producitur.

10 Ex dictis colligitur; quod licet esse Filium , Verbum , & Imaginem sit eadem proprietas in secunda persona Triadis; non tamen hæc nomina sunt syn onyma : nam Filius per se di cit relationem producti ab alio per generationem. Verbum di cit relationem realem ad dicen tem. Imago dicit relationem ad produci , & relationem similitudinis naturalis ad id , à quo procedit ; istam verò dicit pro formalis , & relationem produc ti de connotato. Alia sunt no mina , quæ Sacra Scriptura tri buit illi ; vocatur enim idæa , principium , Sapientia , lux , candor lucis æternæ , figura substantiæ , character , specu lum , Veritas : de quibus nula est difficultas : & Div. Ambro. lib. 2. de Trinit. ait ; ij sunt preciosi illi lapides sa dius , jaspis , smaragdus , chri-

Solitus, & alij, quibus Aa-  
ronis, qui Christi figuram te-  
xit, vestimentum intexitur.  
Hic verè amictus est Sacerdo-  
tis, hæc vestis nuptialis, hoc  
preciosum rationale.

11 Dubitabis: an secunda  
persona Sanctissimæ Triadis di-  
catur Sapientia verè, & propriè,  
vel solum appropiatè? Resp.  
quòd non propriè, sed tantum  
appropriate; sicut Omnipoten-  
tia Patri; & est ratio, quia est  
attributum singulis personis  
commune: Cùr attribuitur Fi-  
lio potius, est, quia sapientia  
spectat ad intellectum, qui est  
principium Filii. Dixi *Sapien-  
tia absolutè*; nam completam  
illud *Sapientia genita*, certum  
est proprium esse Filio. Petes;  
quo sensu Filius D. factus sit  
nobis Sapientia, ut loquitur  
Apost. i. Chorinth. i.? Resp.  
quòd factus est nobis Sapientia  
non formaliter, sed causaliter,  
in quantum post incarnationem  
Verbi, & opere nos instraxit,  
& docuit, quod ad Sapien-  
tiā pertinet. Et hæc  
de quaſtione.

\*\*

\*\*

\*\*

\*\*

\*\*

\*\*

\*\*

\*\*

\*\*

\*\*

\*\*

\*\*

\*\*

## QUÆST. II.

Utr. SECUNDA PERSONA  
SS. Triadis producatur ex cog-  
nitione Essentiae Divina Per-  
sonarum, & Creatu-  
rarum?

**H**ÆC quæſtio sub alijs  
alijs: nempe quibus objectis  
ſacundetur intellectus Paternus  
ad generationem Filij? Et etiam,  
ex quorum cognitione genere-  
tur Verbum Divinum? sub qui-  
bus titulis valde prolixè, & dif-  
fusissime à feré omnibus exagi-  
tatur. Mihi tamen videtur, apud  
Subt. Doct. non habere locum;  
nam procedit juxta genuinam  
ſuam mentem de ſubjecto non  
ſupponente: quia ut diſputa-  
tione de productionibus dixi-  
mus, intellectio essentialis, ſeū  
cognitio Divina nullo modo  
concurrit ad productionem Fi-  
lij; nam ſicut Verbum crea-  
tum producitur per actum di-  
cendi, nulla prærequisita con-  
ditione; ſed ſolum intellectu  
informato ſpecie intelligibili,  
vel objecto: ita Verbum Divi-  
num ex nullius rei cognitione  
producitur; ſed immediate gi-  
nitur ab intellectu, & objecto,  
ſeū Divina eſſentia ſacundante,  
non ut intellecta, ſeū cognita,  
ſed ut intelligibili, aut cog-  
noſcibili.

Bené

2. Benè verum est, quod ad actum dicendi, seu generandi, præsupponitur intellectio essentialis, qua cognoscitur Essentia Divina, immo, & omnia attributa; quia omnia sunt priora prioritate naturæ ad productiones personarum divinarum; sed non fundatur actus productivus (verbis Magistri loquor) super actum essentialis, qui consistit in actu secundo, videlicet, qui est operatio, quasi super rationem formalem eliciendi illum actum secundum; sed quodammodo præxit illum: quia operans, & producens per idem principium, prius est operans, quam producens: ad eundem actum primum, qui est memoria Patris, ordinem quemdam intelliguntur habere intelligere, quod est operatio Patris, & dicere, quod est producere Patris respectu notitia genitæ; non tamen talem ordinem, quod intelligere Patris sit causa, vel principium elicivum dicere Verbi; sed quod immediatius intelligere sit à memoria Patris, quam dicere, vel quam Verbum sit productum ab eadem memoria. Hucusque Doct. quod benè notate. Hoc ipsum alibi sapè repetit. Ex quo sequitur, quod in rei veritate, Verbum ex nullius cognitione procedit, nec intellectus Divi-

nus ex alicuius objecti cognitione facundatur ad habendum actum dicendi, seu ad generandum Verbum.

3. Unde solum hic possumus nos inquirere: Quæ objecta intelligat intellectus Divinus pro priori ad generationem Verbi, an, scilicet, in illo priori intelligat Divinam Essentialiam, attributa, proprietates personales, Creaturas possibles, & futuras? Pro cuius responsione. Sit

4. Conclusio 1. Intellectus Divinus pro priori ad productionem Verbi non attingit personalitatem ipsius Verbi, nec Spiritus-sancti; nec consequenter ullam Creaturam, sive possibilem, sive futuram. Hæc conclusio, quoad Creaturas est omnium Scotistarum cum Subtili Doctore, contra Thomistas, & alios. Quoad personalitates vero divinas, tot sunt Scotistæ pro adversa parte, quot pro nostra, omnes citantes pro se Subt. Doct. Probat. tamen breviter. (relinquendo ob brevitatem temporis radicalem indagationem Scoticæ mentis) Prius est rem esse, quam cognosci, & amari; sed pro illo tunc supponuntur nondum esse Filius, & Spiritus-sanctus: ergo pro illo priori non cognoscuntur, nec amantur personalitates Filii, & Spiritus-sancti.

Major est Divi August. lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 32. *Nisi enim prius sit, quam cognoscatur, cognosci non potest.*

5 Prob. 2. ex Subt. Doct. in 2. dist. 1. quæst. 1. §. sed contra; nam sequeretur, Verbum gigni de Verbo; & consequenter quod Verbum esset antequam produceretur Verbum; quod implicat. Patet; nam objectum cognitionis intuitivæ debet præcedere ipsam cognitionem, quia est rei præsentis, & existentis (abstractione nequit admitti in Divino intellectu, nec respectu personarum; quia alias haberent esse diminutum, quod repugnat.) Ergo si cognitione Verbi, aut Spiritus-sancti præsupponitur ad productionem Verbi, ipsum Verbum procedit à se ipso, vel se ipsum præcederet. Verba Scotti sunt, arguendo contra D. Thomam, qui afferit, Verbum gigni de omnibus, quæ continentur in scientia Divina. Si Pater ante productionem Verbi novit creaturas, etiam novit Filium formaliter: Igitur (Magister loquitur) si de omnibus, ut notis Patri, gignitur Verbum; de Verbo, ut noto Patri gignitur Verbum: & ita Verbum gignitur de Verbo. Quid clarius!

6 Præterea: In 1. dist. 10. quæst. unic. sibi objicit argu-

mentum sequens: Nil producitur actu voluntatis, nisi præcognitum: ergo si Spiritus-sanctus sic producatur, erit præcognitus antequam producatur; & tunc à Patre, & Filio cognosceretur cognitione non intuitiva; quia cognitione intuitiva non est rei antequam producatur; quia est rei præsentis, & existentis: atqui inconveniens est Spiritum-sanctum à Patre, & Filio cognosci non intuitivè; quia cognitione intuitiva est imperfecta. Ecce nostra probatio pro Filio.

7 Huic argumento respondebit ipse Scot. sic: Dicendum est, quod necesse est ad actum amandi, sive ad actum amoris, amatum esse præcognitum; sed non oportet, ipsam dilectionem esse præcognitam: v. gr. si offertur mihi aliquod bonum honestum, non oportet, quod antequam possem habere illum actum amandi circa aliud, quod præcognoscat illum actum. Ita in proposito: oportet essentiam divinam, cuius amor spiratur esse præcognitam Patri, & Filio, ad hoc ut spirent: sed non oportet in isto instanti originis concedere Spiritum-sanct. qui est amor spiratus, esse præcognitum Patri, & Filio; licet in instanti eternitatis sit tota Trinitas nota cuilibet personæ in Trinitate; quia distinguendo in-

inter instantia originis , non distinguitur inter durationem , & durationem ; sed tantum à quo quis sit. Hucusque Doct.

8 Respond. adversarij : & est argumentum valde proclamatum ab illis , contra nostram Conclusionem , quod idem Subt. Doct. immediate ad dictam responcionem , inquit : Aliter posset dici , quod in illo priori signa originis antequam intelligatur Spiritus-sanctus spirari , Pater , & Filius cognoscunt Spiritum-sanctum , ut intuitivè , licet non ut existentem in se ; quia cognoscunt Essentiam Divinam , quæ est ratio cognoscendi intuitivè quocumque objectum intelligibile ; sicut Trinitas cognovit creaturam etiam intuitivè antequam producatur. Concedo libenter , & libentissimè , quod sic loquitur Doct. sed quid indè ? Non capio , nisi quod ad plus adversa sententia habeat fundamentum in hac secunda responcione , & nostra in prima. Quæ autem sit magis genuina ? Videtur , quod prima : quia absolute dicit Doct. ad argumentum dicendum est : in secunda verò , aliter posset dici. Et meo videri loquitur in hac secunda juxta mentem Divi Thomæ docentis , intellectum divinum cognoscere creaturem ante productionem Verbi.

9 Audiatur Lichetus: Quod dicit Doct. quod Pater prius origine , quām producatur Spiritus-sanctus , videt eum intuitivè in Essentia Divina ; sicut , & creaturas ante existentiam propriam ; hoc non videtur simile , quia Essentia Divina ex hoc potest esse ratio formalis videndi omnem creaturam , antequam existant , quia eminenter continet omnem creaturam , secundum suam totam entitatem : Spiritus-sanct. autem , nec aliquid quod est in divinis ad intra , eminenter continetur in Deo , ut supra patet à Doct. ergo non videtur , quod Essentia Divina sit ratio formalis videndi Spiritum-sanctum prius origine , quām producitur. Ideò prima responcio videtur melior. Ecce pro nobis Lichetus. Si tamen secunda responcio est vera , vel ad mentem Doctoris ; sic est intelligenda : quod Pater videndo Essentiam Divinam , videtur ratio formalis videndi Spiritum-sanctum ; nam Essentia Divina est ratio formalis videndi omnia , tām ad intra , quām ad extra in illo signo , in quo sunt intelligibilia , quod non habet Filius , nec Spiritus-sanctus pro priori a sua productione ; sicut nec creatura quoad usque tota Trinitas secundum omnia intrinseca intelligatur com-

completa, ut est firmissima, & constantissima mens Marian.

Doct.

10 Conclusio 2. Intellectus

Divinus pro priori ad productionem Verbi cognoscit Essentiam Divinam, & omnia essentialia. Hac conclusio est communis inter Scotistas, & Thomistas. Prob. Essentia Divina, & omnia attributa sunt priora prioritate naturæ ad omnia notionalia, ut sèpè Subt. Doct. & præcipue quodl. 14. Ergo omnia ista præsupponuntur cognita, immò, & amata ante productionem Verbi, & Spiritus-santi, immò, & ante constitutionem primæ personæ, quia intellectus divinus cognoscit omne cognoscibile, eo ipso, quod sit cognoscibile, & voluntas divina diligit omne diligibile, eo ipso, quod sit diligibile.

11 Arg. contra primam Conclusionem: Intellectus divinus pro priori ad productionem personarum, cognoscit Essentiam Divinam cognitione comprehensiva: ergo in illo priori cognoscit omnes personas. Prob. conseq. quia non potest comprehendere Essentia Divina, quin cognoscatur, ut communicabilis, atq[ue] nequit cognosci, ut communicabilis, quin cognoscatur quibus est communicabilis. Hoc potissimum fundamen-

tum adversariorum. Sed si aliquid probaret, probaret etiam contra ipsos; quia si comprehenditur Essentia Divina, cognoscetur etiam potentia ad producendas creaturas, & per consequens cognoscentur creature pro priori ad productionem personarum, quod minimè concedunt. Respondetur tamen pro se, & pro nobis: Quod intellectus divinus pro illo priori comprehendit Essentiam Divinam secundum illud omne, quod est pro tunc comprehensibile, qualis non sunt personæ, nec creature.

12 Instabis: Pater communicat Filio cognitionem personarum, & creaturearum: ergo habet illam pro priori ad productionem Verbi. Respond. quod Pater communicat cognitionem, seu intellectionem, qua intellectus divinus intelligit, & cognoscit personas, & creatureas entitative, & specificative tantum; sed pro illo priori nondum est intellectio, seu cognitione terminata ad personas, nec ad creatureas.

13 Ut autem hoc benè percipiatur explico seriem motionis Essentie Divinæ, sicut accepti à Subt. Doct. varijs in locis, præcipue quodl. 14. Etenim nostro humano modo contemplando, debemus concipere in-

dividuum Deitatis constitutum ex Divina Essentia, & omnibus attributis, scilicet perfectionibus essentialibus pro priori ad personalitates. In illo ergo priori Essentia Divina movet intellectum divinum primò ad cognitionem sui, deinde ad cognitionem attributorum, & etiam ipsius cognitionis; deinde verò movet voluntatem divinam ad amorem sui, & deinde attributorum, & ipsius amoris. In hoc igitur jam intellectus divinus est beatus per eadem cognitionem, nec unquam habet aliam; quia hæc est illi adæquata. In hoc etiam est voluntas divina beata, nec unquam habet alium amorem, quo bearetur; quia hic est ipsi adæquatus.

14 Ulterius, Essentia Divina præsens intellectui divino, movet illum ad actum productivum, & habet dictionem, quæ est generatio Verbi, & ipsa Paternitas, qua constituitur prima persona, & pro termino habet dictionem passivam, scilicet passivam generationem, quæ est Filiatio, qua constituitur secunda persona posterioritate originis ad constitutionem primæ. Nunc ergo illa prima intellectio, quæ ante terminabatur solum ad Essentiam Divinam, & ad perfectiones essentiales, jam terminatur etiam ad personalitatem Patris, & Verbi, cui commun-

nícata sunt omnia, quæ habebat Pater in priori originis, sed communicatur illi ipsum individuum Deitatis cum omnibus perfectionibus.

15 Denique Essentia Divina post hæc movet voluntatem divinam ad amorem prodicatum, scilicet ad spirationem, quæ activè sumpta remanet in Patre, & Filio, quia in ipsis est nunc jam voluntas D: Sumpta autem passivè, quæ realiter distinguit ab active sumpta, constituit tertiam personam, & ipsi communicantur omnia essentialia, quæ erant in Patre, & Filio; & cum Pater, & Filius sint priores origine Spiritu-sancti. potest dici, quod in isto priori intellectus divinus, & voluntas divina moventur ab Essentia Divina, ut illos intelligat, & diligat, & in posteriori originis moventur, ut eadem illa prima intellectio, & dilectione in telligat, & diligat Spiritum-sanctum, & hic est terminus coordinationis ad intra. Deinde, incipit Divina Essentia movere divinum intellectum ad extra.

16 Dubitabis: An generatio Verbi Divini sit æterna? Idem inquiritur de processione Spiritus-sancti. Sensus est; an generatio actualis Verbi Divini fuerit semper actualiter, & nunc sit actualiter, & semper

erit actualiter? Resp. Affirmative. Est de Fide, & Patet: *Ego bodiè genui te. Illam habet Doct. in 1. dist. 9. quæst. unic.* Et probat primo authorit. Ambrosij dicentis: *Si Pater prius erat Deus, & postea genuit, generationis accessione mutatus est: avertat Deus hanc amentiam. Semper igitur habuit Filium.* Similiter ex author. Hilarij: *Inter gignere, & gigni nullum est medium, scilicet durationis: si igitur proprium est Patri semper genuisse, proprium est Filio, quod semper genitus est.*

27 Confirmat. Accipiendo, quod reperitur perfectionis in creaturis, & relinquendo, quæ sunt imperfectionis: in generationibus igitur successivorum hoc est perfectionis, quod dum fiunt, sunt; imperfectionis vero, quod non manent, sed habent esse tantum in fluxu partis post partem. In generatione permanentium hoc est perfectionis, quod manent; imperfectionis vero, quod non sunt, dum fiunt; quia necessario habent esse post non esse. In indivisibilibus successivorum hoc est perfectionis, quod dum fiunt, sunt, & tota simul sunt; sed imperfectionis, quod raptim transiunt. Aggregando igitur perfectiones, habebitur genitum, quod simul generabitur; & erit, & permanenter erit; hoc est, genitu-

generari, & perfectè esse in nunc perfectè stante, quod est nunc aternitatis. Hoc est propositum.

18 Dices: Si generatio Filij est aeterna: ergo Filius semper generatur: ergo nunquam genitus est; & ita numquam est Filius. Ista duæ consequentiæ probantur per August. Qui semper nascitur, numquam natus est. Ultra: quod numquam natum est, numquam est Filius: ergo si Filius semper nascitur igitur numquam est Filius. Resp. Subtil. Doct. quod D. Gregorius dicit aliqua, quibus hoc potest declarari: *Non possumus, inquit, dicere, semper nascitur, ne imperfectum aliquid videatur.* Ne, inquit (advertisit Doct.) aliquid videatur imperfectum; non dixit, imperfectio est, sed videtur significari imperfectio; hoc est, *semper nascitur*, non significat generationem esse ita perfectam, sicut significat eandem esse perfectam, *semper est natus*; ista enim magis exprimit veritatem, quam illa, licet utraque sit vera.

19 Ad cuius intellectum sciendum est: quod verba cuiuscumque temporis dicuntur de Deo vere, sive significant actus personales, sive essentiales. Hoc patet per August. super illud Joann. 16. *Non enim loquetur à semetipso; sed quæ-*

*cumque audiet loquetur.* Audiet, inquit August. de spiritu, quod utique audivit, & audit; quia Spiritum-sanctum audire est à Patre, Filioque procedere; & per consequens, quod audiet, audivit, & audit: sicut quod fecit, scivit, & sciet. Hucusque Aug. Igitur vult ipse dicere, quod verba omnium temporum verè dicuntur de Deo.

20 Sed quid significant? Resp. magis propriè possunt dici consignificare *nunc* æternitatis, in quantum coexistit partibus temporis. Unde cum dicitur, *genuit Deus*, consignificatur *nunc* æternitatis, ut sit sensus: Deus habet actum generationis in *nunc* æternitatis, in quantum illud *nunc* coexistebat præterito: *Deus generat*, hoc est, habet actum in *nunc* æternitatis, in quantum *nunc* æternitatis coexistit præsenti. Ex quo patet, quod cum illud *nunc* verè coexistat cuilibet differentiæ temporis, verè dicimus de Deo differentias omnium temporum.

21 Ergo. Filius generat seipsum. Patet; quia habens principium formale productivum in instanti, quo non præintelligitur habere terminum productum, illo potest producere: Ergo si Filius in primo instanti æternitatis accipit per generationem idem principium pro-

ductivum, quod Pater; igitur in secundo instanti coexistenti instanti æternitatis, Filius eodem principio, quo Pater, producit seipsum. Patet à simili; eò Filius producit Spiritum-sanctum, quia per generationem communicatur illi principium productivum Spiritus-sanct. in signo, quo non præintelligitur productus Spiritus-sanctus. Igitur pariformiter, si in primo instanti communicatur Filio principium, quo Pater ipsum producit in 2. tertio, & 4. instanti, habet Filius principium productivum suantequam producatur in secundo, tertio, & quarto iustanti: ergo in aliquo istorum potest seipsum producere. Responsoriem quærite disp. 1. q. 4. dub. incid. hujus tract. Et hæc de quæstione, & disputatione.

## DISPUT. IV.

*D E S P E C T A N T I B U S*  
ad tertiam Personam Sanctissimæ Trinitatis.

**T**ria nomina præcipue solent attribui tertiarum SS. Triadis personæ, nempe, Spiritus-Sancti, Amoris, & Doni. Ex his primum est proprium ipsi, si per illa verba intelligatur substantia sancta spirata, prout intelligitur communiter, dum

Vv 2 illud

illud nomen dicitur de tertia Persona; nam aliás commune est tribus, quia quālibet est spiritus, & quālibet sancta. Secundum nomen Amoris non nisi appropriatum est ipsi; quia proprie non magis ipsa amor est, quam prima, & secunda; ratio appropriationis est, quod producatur per voluntatem, & si dicaretur amor spiratus, eodem modo conveniret ipsi, quo sapientia genita Filio. Nomen Doni, quo significatur datio irredivilis; id est, liberalis, & non facta spe retributionis, convenit ipsi appropriatè; quia procedit à voluntate, quæ est principium omissis donationis: Nihil habet (inquit Subt. Doct.) rationem Doni, nisi in quantum cadit sub actu amoris; ab amore enim procedit omne Dominum. Capiendo autem Donum pro eo, quod ex modo productionis suæ habet talem rationem; hoc modò potest dici proprium; quia soli Spiritui sancto convenit per voluntatem procedere. Ad difficultiora igitur accedamus.



## QUÆST. I.

Utr. *TERTIA PERSONA*  
*Sanctissima Triadis procedat*  
*à prima, & secunda,*  
*& quomodo?*

I **C**onclusio prima: Tertia Persona procedit à prima, & secunda. Est de Fide contra Græcos: Et Patet ex Symb. Athan. *Spiritus-Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Et ex Symb. Missæ: *Qui ex Patre, Filioque pro edit.* Quod quidem Symbolum licet vocetur Nizenum, & vere ab ea Synodo factum sit quoad reliqua; non tamen quoad istum articulum; nam ab alio Concilio generali Constantinopolitano postea additum est illud: *Qui ex Patre procedit.* Et postea in alio Concilio Romano additum fuit illud: *Filioque.*

2 Probat. etiam ratione Subt. Magist. in 1. dist. 11. quaest. i. Habens principium perfectum productivum, prius quam intelligatur habere productum, potest illo principio producere: sed Filius habet voluntatem, quæ est principium productivum adæquatum amoris perfectum, & habet eam, ut præintelligitur producto: ergo potest ea producere: igitur &

& ea producit. Prob. min. Generatio, & spiratio habent aliquem ordinem inter se , ita quod aliquo modo generatio est prius spiratione: in illo priori communicatur genito omnis perfectio divina , qua sibi non repugnat , & ita voluntas : ergo habet tunc voluntatem , ut priorem producto ; quia adhuc non intelligitur productio aliqua facta per modum , vel acutum voluntatis. Igitur &c.

3 Arg. Graci: Nil tenendum est , ut Articulus Fidei , nisi quod continetur in Evangelio : quod complete continet Fidem ; aut saltem in Novo Testamento ; sed non videtur expressum in Novo Testamento , quod Spiritus-Sanctus procedat à Filio : ergo &c. Resp. Subtil. Doct. citat. Dico , quod Christum descendisse ad inferna , non docetur in Evangelio ; & tamen tenendum est sicut Articulus Fidei ; quia ponitur in Symbolo Apostolorum. Ita multa alia de Sacramentis Ecclesiæ non sunt expressa in Evangelio , & tamen Ecclesia tenet illa esse tradita certitudinaliter ab Apostolis , & periculosum esset errare circa illa , quæ non tantum ab Apostolis descendant per scripta , sed etiam , quæ per consuetudinem universalis Ecclesiæ tenenda sunt. Nec Christus in Evangelio docuit omnia perti-

nentia ad dispensationem Sacramentorum ; dixit enim Discipulis : Adhuc habeo multa vobis dicere , sed non potissimum portare modo : cum autem venierit ille Spiritus veritatis , docebit eos omnem veritatem. Multa igitur docuit eos Spiritus-sanctus , quæ non sunt scripta in Evangelio , & illa multa quadam per scripturam , quadam per consuetudinem tradiderunt. Similiter diversa Symbola diversis temporibus sunt edita contra diversas hereses de novo Orientes : quia quando tergebat nova heres , necessarium erat declarare veritatem , contra quam erat illa heres. Quæ veritas , tisi prius erat de Fide , non tam erat prius tantum declarata , sicut tunc contra errorum illorum , qui eam negabant. Hucusque Doct.

4 Planum est ; quod Pater , & Filius sunt unum principium Spiritus-Sancti. Ita Subtil. Doct. in 1. dist. 12. quæst. 1. Hoc etiam declaratum est in Concilio Lugdunense sub Greg. X. sicut patet extra de Statu. Trinit. & Fide Cathol. fidei , ac devota , & est hodie in sexto libro Decretalium. Ratio autem hujus veritatis , est ista ; quia ut dictum est , Pater prius origine habet actum secunditatis intellectus , quam voluntatis , in illo priori communicatur Fi-

lio fœcunditas eadem , quæ est in Patre :: & ita fœcunditas voluntatis : igitur in alio signo originis, quando producitur persona per actum fœcunditatis secundæ , scilicet, voluntatis, producitur à Patre , & Filio omnino , ut ab uno principio, properter unam fœcunditatem principij productivi in eis.

5 Juxta quest. istam est una difficultas quasi grammaticalis. Utrum Pater , & Filius possent dici unus spirator , vel duo spiratores ? Ubi multipliciter dicitur : Sed quia vis est de significato nominis, non multum immoror. Videtur enim, quod nullum tale nomen verbale significet principium agendi , nisi ut illud natum est denominare suppositum activum ; sicut enim lectio significat quiditativer actum per modum habitus , & quietis ; ita lector signat principium hujus actus per modum habitus , & quietis , ut est denominativum suppositum activi ; spirator igitur significat vim spirandi , ut concernit suppositum ; & quia una est vis in Patre , & Filio , & terminus numeralis appositus alicui determinabiliter ponit suum significatum circa illud ; ideo non videtur concedendum de vi sermonis , quod sint duo spiratores ; quia tunc vis spirativa videretur numerari in eis.

6 Si obijciatur : Sunt duo spirantes , ergo duo spiratores. Consequentia prob. quia sicut singulare infert singulare , sic plurale infert plurale. Resp. Quod consequentia non valet; quia participium significat actum , ut in fieri ; consignificat enim tempus , sicut Verbum: Et ita sicut conceditor : *Pater* , & *Filius creant* ; ita conceditur , quod sint duo creantes; non autem conceditur , quod sint duo creatores , sed unus creator ; quia nomen verbale non signat actum per modum actus , & in fieri ; sed per modum habitus , & quietis.

7 Conclusio 3. Attento ordine , qui reperitur inter intellectum , & voluntatem divinam , tertia persona necessariò exigit esse à prima , & secunda; non tamen ita per se hoc requiritur ad illius productionem , ut si per impossibile à solo Patre procederet , non esset idem Spiritus , ac nunc est. Hæc conclusio quoad primam partem est communis , & certa: quia de facto procedit necessariò Spiritus-sanctus à Patre , & Filio ; quia necessariò prius origine procedit Filius per intellectum , quām voluntas habeat productum : ergo prius necessariò communicat Filius vim spirativam , quām sit Spiritus-Sanctus ; & consequen-

ter attentò ordine potentiarum, necessariò exigit Spiritus-Sanctus esse à Patre, & Filio.

8. Quoad secundam partem est nost. Doct. cum suis, contra Thomam, & suos. Prob. Ex ipso Doctore in 1. dist. 12. quæst. 1. §. *Contra*, vers. 2. sic: Principium àquè perfectum in uno supposito, sicut in duobus, àquè est principium agendi in uno, sicut in duobus; quia ad actionem non videtur requiri, nisi principium perfectum *quo*, & *quid*, scilicet, suppositum; sed voluntas divina àquè perfecta est in uno supposito, sicut in duobus, & unum suppositum àquè perfectum est perfectione requisita ad agendum, sicut duo: ergo voluntas divina àquè potest esse principium producendi in uno, sicut in duobus. Prima pars minoris Prob: Quia principium *quo*, non accipit perfectionem sibi competentem à supposito, sed potius dat supposito; quia eo suppositum est perfectum, ut possit agere: ergo non est tale principium perfectius in pluribus, quam in uno quando est idem principium in pluribus, & in uno. Igitur si per impossibile non produceret prins intellectus, quam voluntas, & hoc solum in Patre produceret, idem Spiritus-Sanctus tunc procederet à solo Patre, ac nunc

procedit à Patre, & Filio: Consequenterque per se non requirit procedere à duobus; sed hoc solum provenit, quia prīus intellectus producit, quam voluntas.

9. Et si dicas: Quod illud principium non est in uno, ut principium productivum; sed tantum sic esse in duobus, & tamen derelinquitur in Patre, genito Filio. Hoc videtur absurdum; quia omnem realitatem tam absolutam, quam relativam, quam Pater habere potest, à se habet in primo signo originis; nullam habet ergo à Filio genito, quam non intelligatur habere prius origine, quam Filius generetur; quare, & illam fæcunditatem. Item si in Patre est perfecta voluntas prius origine, quam in Filio; non tamen est principium spirandi perfectum per te; quare, quid intelligitur addi, ut sit principium spirandi perfectum? non aliud suppositum, quia illud nil addit principio *quo*; sed potius illo habet, quod possit agere; nil aliud additur: igitur &c.

10. Confirmatur: Si per impossibile Creaturæ producentur ab unica persona divina, cædem omnino essent tunc, ac nunc: ergo si per impossibile Spiritus-Sanctus procederet à solo Patre, esset idem omnino Spi-

Spiritus tunc , ac nunc. Ante-  
cetens patet ; quia Creaturæ  
tunc cundem omnino dicerent  
respectum ad potentiam crean-  
di , ac nunc : verum autem est,  
quod nunc potentia creandi est  
in tribus personis ; sed Creatu-  
ræ ex *intrinseca* sua ratione non  
dicunt ordinem ad illam , ut  
est in tribus ; sed ut est poten-  
tia creandi præcisè , quæ ea-  
dem omnino est in una perso-  
na , ac in tribus. Consequentia  
etiam patet : quia sicut se ha-  
bent Creaturæ ad potentiam  
creandi , ita pariformiter , &  
persona spirabilis ad virtutem  
spirandi. Si hoc bene perpen-  
datur , facile enervantur argu-  
menta contrariorum.

11 Dubitabis : Cùr proce-  
fio Spiritus-sancti non sit gene-  
ratio ? Supponitur ab omnibus  
Theologis , quod non est gene-  
ratio ; sed in assignanda ra-  
tione sunt quot capita , tot sen-  
tentiae. Sed bréviter resp. quid  
non est generatio ; quia quan-  
vis sit origo viventis à vivo  
in similitudinem naturæ à  
principio vivente conjuncto ;  
non tamen est origo naturalis ,  
seu à principio naturali ; sed  
voluntaria , & libera , (quanvis  
summe necessaria) seu à prin-  
cipio voluntario , & libero liber-  
tate essentiali. Quidquid dicant  
Thomitiæ . Iti habetur à Subt.  
Doct. in 1. dist. 13. quæst. uni-  
ca , & alibi.

12 Pater etiam hæc resolu-  
tio ex D. August. lib. 5. Triadis , cap. 14. Illud elucefit , quod  
solet multos movere , cur non  
Filius sit etiam Spiritus-sanctus ,  
cum & ipse à Patre exeat sicut  
in Evangelio legitur ? Et solvit  
dicens : Exit enim non quomo-  
do natus ; sed quomodo datus.  
Et lib. 9. ait : Verbum esse po-  
tius Filium , quia procedit , ut  
partus mentis ; Spiritus-sanctus  
vero , per modum amoris , &  
Doni. Legatur noster Philoso-  
phicus Cursus , tom. 3. Disp.  
de generatione , quæst. de gene-  
ratione viventium. Et hæc de  
Quæstione.

## QUÆST. II.

*AN SI SPIRITUS-SANCTUS  
non procederet à Filio ,  
realiter distingueretur  
ab illo?*

1 **U**T hæc quæst. quæ gra-  
vis , & valde agita-  
ta est in Scholis , radicitus eno-  
detur , est supponendum cum  
Subt. Noft. Doct. in 1. dist. 11.  
quæst. 2. Et cum communi sen-  
tentia , difficultatem istam ne-  
que esse ineptam vito Theolo-  
go , neque inutilēm : Non inep-  
tam , nam quando discutitur  
quæstio aliqua , aliquo supposi-  
to impossibili , hoc sit , ut cog-  
noscamus rationem formalem  
ali-

alicujus rei ; quia illa posita, secluso quocumque alio, ponitur res ; & illa ablata, non ponitur, sed potius res auferitur : & ita quærimus multa in Philosophia, & Theologia, vg. utrum si Deus non esset ubique, possit ubique agere ? Unde August. 5. de Trinitate, cap. 6. quærit : Si Pater non esset innascibilis, nihil prohiberet, eum genuisse Filium. Neque est inutilis ; Tum, quia D. Anselm. ponit ipsam suppositionem. Tum etiam, quia ut ait Subt. Doct. hoc dicere, videtur esse fuga quæst. movere enim ut inquiratur, quid sit principium distinctivum reale Filii à Spiritu-sancto. Utrum Filiatio ; an sola spiratio activa ; quia si Filiatio : igitur per quodcumque incompositibile, circumscripta spiratione activa, adhuc remanebit ratio distinguendi, & consequenter ratio D. Thomæ contra Græcos non erit efficax, nempé, quod si Spiritus-sanc-tus non procederet à Filio / ut defendant Græci / non distingue-retur ab illo ; & ita illa non est utendum in arguendo contra ipos :

2. Sed ut clarius procedamus, notandum est etiam cum Subt. Mag. in r. d. 11. q. 2. Duplicem esse hypothesim impossibilium : Altera est, quæ in primo suo intellectu includit contradictionem, vg. si homo

non esset rationalis, esset discursivus ; in hac hypothesi formaliter, & per locum intrinsecum insertut contradic-tio ; nam si admittatur, potest legitimè inferri, quod esset discursivus ; quia, ut supponitur, est homo, de cuius intrinseca ratione est esse discursivus ; & quod non esset, quia, ut supponitur, non est rationalis, & hoc est principium discursus. Altera hypothesis est, quæ non includit contradictionem ex primo suo intellectu, & per locum intrinsecum, sed per locum extrinsecum ; vg. si homo esset non risibilis, adhuc distingueretur ab equo, in qua hypothesi, quavis admittatur impossibile, quod homo non sit risibilis, non insertur contradic-tio, quia remanet, & supponitur rationale, per quod homo distingui-tur ab equo.

3. Notandum. 2. Maximum esse discrimen inter ista impossibilias ; nam impossibile per locum intrinsecum nullo modo est admittendum in disputa-tione ; bene verò impossibile per locum extrinsecum ; ratio est, quia suppositio, quæ repugnat per locum intrinsecum, destruit subiectum, & inutilem reddit quæstionem ; secus autem, quæ tantum repugnat per locum extrinsecum. Exemplis fiat res manifesta. In hac hypothesi, si

Filius non procederet à Patre, distingueretur ab illo? Est manifesta contradictionis, quia implicat Filium esse talem, & à Patre non procedere. Item, si Filius foret improductus, an distingueretur à Patre? etiam est suppositio repugnans per locum intrinsecum; nam si est Filius, debet esse productus: ergo si improductus, non est Filius; & ita suppositio destruit subjectum, & questionem reddit de subjecto non supponente. Suppositio verò impossibilis tantum per locum extrinsecum admittenda est, eò quod supponat subjectum essentialiter constitutum, vg. si Deus non foret ubique, an posset operari ubique? quia est suppositio impossibilis solum per locum extrinsecum; esto enim sit impossibile, Deum non esse ubique, nihilominus ex vi suppositionis non destruitur Deus, cum formaliter non constituatur, per esse ubique. Præterquamquod, his in terminis proponitur hæc questionis, à D. August. lib. 5. de Trinit. cap. 6. An, scilicet, si Pater non esset innascibilis, generaret Filium? Et resp. assertive; quia suppositio solum per locum extrinsecum repugnat; nam cum Pater non constituantur formaliter, per innascibilitatem, circumscripta illa per impossibile, adhuc remanet sub-

jectum questionis, & in ea queritur, quodnam sit constitutionem formale Patris.

4 Ex his ad propositum dicimus; suppositionem præfam in titulo questionis, non involvere contradictionem, nisi per locum extrinsecum. Ratio est, quia spiratio activa non pertinet ad constitutionem formalem Filij in esse personæ; tūm, quia est passio, vel quasi passio communis Patri, & Filio: tūm etiam, quia prius naturaliter intelligitur Filius, ut hæc persona terminans generationem Patris, quam spiratio activa in Patre, & Filio concipiatur, terminata ad Spiritum sanctum; quia actus spirandi exit ab utroque, jam in esse personali completere constituto. Unde circumscripta spiratione activa, adhuc remanet Filius constitutus in esse personæ, tanquam subjectum questionis. Idem dicimus de Spiritu sancto, admissa præfacta hypothesi; nam ad integrum, & personalem Spiritu sancti constitutionem solum pertinet spiratio passiva, quæ est illi relatio prima propria, & incommunicabilis: quod autem sit à Patre, & Filio simul, non intrat formale confirmativum ejus; sed tantum materialiter connotatur, eò quod vis spirandi in 3. signo originis sue spirations reperitur prius,

com-

communicata Filio , quod quidem extrinsecum , & accidentale est formalí constitutioni Spiritus-sancti , ut infra videbitur.

5 Notand. est 3. Quod ut præsens quæstio , sit utilis ad inveniendum formale , primarium , & præcisum distintivum Spiritus-sancti à Filio , debet intelligi de personis , quæ defacto sunt ; non de alijs , quæ per merum figmentum ibi meditari possunt. Nec supponendi in præsenti quæst. Filius , & Spiritus-sanctus cum eisdem omnino proprietatibus personalibus , cum quibus de facto reperiuntur ; nam si ita esset , jam supponeretur id ipsum , quod per talem hypothesim indagare cupimus ; quapropter in hypothesi quæstionis , supponendus est Filius cum sola generatione passiva , & relatione geniti ad genitorem ; & Spiritus-sanctus , cum sola spiratione passiva , & relatione spirati ad Patrem spiratorem , præcisis omnibus his , quæ de facto , tam cum generatione passiva Filij , quam cum processione passiva Spiritus-sancti conjuncta reperiuntur ; & in hoc sensu , quod inquirimus est : An adhuc Spiritus-sanctus realiter personaliter distingueretur à Filio ? Quibus notatis sit.

6 Conclusio : si per impossibile Spiritus-sanctus non

procederet à Filio , adhuc distingueretur realiter , personaliter , ab ipso , sicut nunc. Hæc conclusio est Scoti , ubi supra. Prob. 1. authorit PP. unanimiter distinguentium processionem Filij , à processione Spiritus-sancti in eo , quod Filius per veram generationem procedit , ut natus ; & Spiritus-sanct. non per generationem , sed per processionem procedit , ut datus. Ita Aug. 5. de Trinit. cap. 14. ut ex superioribus constat : sed etiam si Spiritus-sanctus procederet à solo Patre , procederet per actum voluntatis , & ut datus ; Filius autem per actum intellectus , & ut natus : ergo in prædicta hypothesi daretur , inter utriusque processionem , & terminos ejus , scilicet , Filium , Spiritum-sanctum , eadem distinctio , quæ nunc datur. Confirm. ex D. Anselm. lib. de Spiritu-sancto , cap. 2. dicente : *Filius autem , ideo non est Spiritus-sanctus , nec Spiritus-sanctus est Filius , quia Filius nascendo habet esse de Patre ; Spiritus-sanctus vero non nascendo , sed procedendo.* Et cap. 4. ait : *H. bint itaque à Patre esse Filius , & Spiritus-sanctus , sed d'verso modo ; quia alter nascendo , alter procedendo.* Et concludit sic : *Nam , & si per aliud non effent plures Filius , & Spiritus-sanctus , per hoc so-*

*tum essent diversi, scilicet, quia alter nascendo, alter procedendo existit.* Hec Ansel. qui sententiam Scotti clarius tradere nequit.

7 Resp. contrarij: & præcipue Ferch. Anselmum præjactis testimonij solùm fuisse locutum disputativè, & ex concessis à Græcis, cum quibus erat disputatio; non tamen ex propria sententia: ex propria enim mente ( ait Ferch. ) tantum fuisse loquutum à cap. 5. illius Epistolæ. Sed contra est, nam cap. 3. sic loquitur Alsel. *Quoniam autem hæc quæ dicta sunt in 1. & 2. capite pariter, credimus, indubitanter confitemur, & nos, qui dicimus Spiritum-sanctum de Filio procedere, & Græci, qui nobiscum de hac re non sentiunt, debemus absque ulla ambiguitate, quæ ex his necessario consequuntur, uno consensu suscipere:* Ergo 1. & 2. cap. loquitur Anselm. non disputativè, sed dogmaticè; non ex concessis à Græcis, sed ex creditis, & confessis ab ipso. Confirmat. Nam cap. 4. sic satur: *Nunc querendum est predictas irrefragabiles rationes:* Ergo si rationibus, capitibus præcedentibus allata, sunt irrefragabiles, certum est, in eis non solum procedere disputativè, & ex concessis ab adversarijs, sed dogmaticè, & ex pro-

pria mente. Ponderi hujus consequentiæ cedunt Suar. & Vazq. fatenturque apud Anselm. contrarium cordate defensari non posse.

8 Iterum resp. Ferch. Anselm. in ea Epist. absdubio stare contra nos; quia cap. 2. post medium, ait: *Hæc sola causa pluralitatis est in Deo, ut sit Deus de Deo, quod totum potest dici relatio.* Et cap. 3. paulò post principium: *Supradicta relationis oppositio, quæ ex eo nascitur, quia Deus de Deo, prohibet, Patrem, Filium, & Spiritum-sanctum de se in vicem dici.* Ergo juxta D. Anselm. ubi non est relatio inter res, quarum altera sit procedens, altera producens, quæ propriè est oppositio relationis, nequit dari pluralitas simpliciter: sed in hypothesi quæst. nec Spiritus-santus procederet, nec Filius produceret: Ergo juxta Anselm. non essent plures. Sed contra est. Paulò antea ajebat Ferch. Anselm. in capitib. primo, secundo, tertio, & quarto loquutum fuisse disputativè, & ex concessis à Græcis; non verò ex mente propria; in quo ergo sensu loquitur nunc? Dicit Ferch; quod quando, pro eo loquitur, dogmatizat; quando verò pro nobis disputat tantum; Verum est igitur Anselm. in capitibus relatis dogmaticè, ex

propriaque mente loquutum fuisse; falsum vero illud afferuisse proloquium, scilicet: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio; in sensu à Fercb. prætenso*; quia ut p[ro]ssim, & bene obserbant Scotist. non dicit Anselm. quod omnia in divinis sunt unum, ubi non obviat oppositio relativa, sed relationis oppositio, quæ inter relationes disparatas, minimeque opositas relativè etiam versatur.

9. Patet hoc ex ipsis locis Anselm. allatis à Fasol; alijsque adversarijs; nam cap. 2. ait; *Hæc itaque sola causa pluralitatis est in Deo, ut Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus, dici non possunt ad invicem; sed alij sunt ab invicem, quia prædicti sunt duobus modis, (quos dixerat esse nascendo, & procedendo) est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio; nam quoniam Filius existit de Deo nascendo, Spiritus-sanctus procedendo, ipsa diversitate nativitatis, & processionis referuntur ad invicem, ut d[icit] versi, & alij ab invicem. Ex quibus verbis sic argumentor: Tum, hoc quod est Filium nasci, & Spiritum-sanctum procedere, potest dici relatio, & relatio ad invicem, hoc est relationis oppositio: sed nativitas, & processio solum sunt relationes disparatae, & non*

relative oppositæ: Ergo juxta D. Anselm. sufficit oppositio relationis disparate ad pluralitatem in divinis: sed in casu quæst. adhuc remanerent nativitas Filij, & processio Spiritus-sancti, licet non à Filio: ergo, & ipsi essent plures, & distincti. Ex quo colliges cum Mastr. Fasol, & alios adducere textum illum secundi capituli truncatum; nam Anselm. ait: *Patrem, Filium, & Spiritum-sanctum, alios esse, & diversos, quia predicti sunt duobus modis est Deus de Deo: Adversarij autem, ut Anselm. ad se trahant, sub silentio relinquunt illa verba; prædicti sunt duobus modis; & solum dicunt: Deus de Deo, ne cogantur fateri, Filiū à Spiritu-sancto, realiter, personaliter primo distingui per relationes disparatas; nam illi duo modi sunt, quod Filius sit à Patre nascendo, & Spiritus-sanctus ab eodem Patre procedendo. Hoc expressissime docuit Anselm. cap. 4. dicens: Id. ò non habet hic unitatem essentialē, quia pluralitas obviat, que nascitur, ex nativitate, & processione.*

10. Prob. 2. conclusio: ex D. Thom. quem pro nobis adversarijflare non credunt; hic enim quodl. 4. art. 3. ait: *Dicendum, quod hoc modo se habent proprietates personales in divinis ad distinguendas perso-*

*nas, sicut se habent in rebus naturalibus formæ substantiales ad distinguendas species rerum. In qua litera docet D. Thom. rem per suam formam distingui, non solum ab opposita re, sed etiam ad disparata; & ponit exemplum in Saphiro, quam dicit distingui per suam formam, non solum ab alijs lapidibus, sed etiam à plantis, & concludit sic: Dicendum est ergo, quod Filius sua Filiatione distinguatur à Patre secundum oppositionem relativam filiationis ad Paternitatem, & à Spiritu-sancto distinguitur filiatione, per hoc, quod Spiritus-sanctus non habet filiationem; quam habet Filius.* Ecce mentem Scoti adeò expressam, ut D. Thom. qui alias dicitur, Doct. Angelicus, merito hic possit dici Subtilis.

11 Prob. 3. ratione Scoti non minus efficaci, quam vulgari, apud Scot. Filius de facto distinguitur realiter, personaliter, à Spiritu-sancto, per filiationem: ergo etiam in casu quæst. Antecedens prob. ab Scot. Per id res primò constituitur, per quod primò constituitur in esse; quia primò constitutiva, sunt primò distinctiva; sed Filius constituitur in esse personæ per Filiationem, & non per spirationem activam: ergo per filiationem distinguitur, à qualunque alia persona non ha-

bente filiationem. Modò sic: Sed in casu quæst. Spiritus-sanc-tus non includeret filiationem: ergo per illam Filius distingue-retur realiter, à Spiritu-sancto. Major videtur innegabilis, quia nequit excogitari, per quod ali-qui distinguatur primò, nisi per propriam, & primariam suam entitatem; eò enim, quod est ens, est unum; & eò, quod est unum, est indistinctum in se, & distinctum à quolibet alio.

12 Secunda pars minor. Prob. ex Div. Thomas I. I. quæst. 30. dicente: *Licet spiratio activa sit relatio, non tamen dictur proprietas, quia non convenit uni soli, nec est relatio personalis, id est, constitutens personam:* Ergo juxta D. Thom. Filius in esse perso-næ, non constituitur per spirationem activam. Tenet conse-quentia; nam alias etiam posset dici Patrem constitui, non per Paternitatem, sed per spirationem activam; utriusque enim eadem est ratio, cum spiratio activa communis sit Patri, & Filio. Min. subsumpta etiam prob. Ex natura intrinseca Spi-rit.-sanct. repugnat ei, quod sic Filius, non solum de facto, sed etiam in casu quæstionis. Patet hoc, quia adhuc in tali hypo-thesi, produceretur per volun-tatem, maneretque per locum intrinsecum idem Spiritus-San-<sup>ctus</sup>

& ut , qui modo est ; sed id , quod producitur per voluntatem , nequit per intellectum ; alias idem produceretur dupli- ci productione totali : ergo re- pugnat Spiritui-Sancto ex natu- ra sua esse Filius : ergo &c.

13. Resp. Caiet. & cum eo aliqui Thom. Quod illud prin- cipium Metaph. *Idem est constitutivum , & distinctivum* ; in quo tanquam in cardine nitu- tur ratio Scoti , tantummodo in absolutis tenet , non verò in re- lativis ; quia constitutivum re- relativum , ut tale , solum dis- tinguit a correlativo ; & ratio est , inquit , quia constitutivum relativum habet suum esse in ordine ad aliud , & ita solum distinguit constitutum ab illo , in ordine ad quem illud consti- tuit : cum ergo filatio consti- tuat personam Filij in ordine ad Patrem , solum distinguit Filium à Patre ; non verò à Spi- ritu-sancto ; ab hoc enim dis- tinguitur per spirationem acti- vam , à qua constituitur in esse spiratoris respectu Spiritus-san-cti : Sed contra 1. Prædica- mentum relationis per esse *ad* distinguitur realiter ab alijs prædicamentis , quibus non op- ponitur relativè , in eodemque prædicamento ; relatio Paterni- tatis , v. g. non solum distin- guitur à filiatione , tanquam à correlativo ; sed etiam à rela-

tione identitatis , tanquam à relatione disparata : ergo etiam in divinis , filatio , non solum distinguit à suo correlativo , sed etiam aquacumque relatione disparata , qualis est spiratio passiva . Ut enim bene vidit Rad. fundamentum Scot. uni- versaliter probat de omni con- stitutivo , tám absoluto , quám relativio ; quia sicut absolutum , eò quod constituit ens , licet ad se in aliqua certa , & deter- minata specie , distinguit con- stitutum ab omni alio ; sic simi- liter , constitutivum relativum , eò quod constituit ens , licet in ordine ad aliud , in aliqua spe- cie determinata relationis , dis- tinguit constitutum ab omni alio non tali . Explanatur doc- trina : Quod est de se tale , sive absolutum , sive respectivum , cuicunque comparetur , sem- per est tale , & distinguitur à quocumque non tali : sed Fi- lius , v. g. non solum est talis , scilicet , ens relativum , sive comparetur , suo correlativo , scilicet , Patri , sive comparetur alteri relativi disparato , immō simpliciter , absoluto : ergo per suum formale constitutivum distin- guitur ab omni ente , quod non est ipsum : ergo &c.

14. Resp. Gonet. Filium consti- tui , & distingui , per fi- liationem in ordine ad Patrem ; in ordine verò ad Spirit.-sanct.

non

non constitui per filiationem, nisi quatenus hæc est radix spirationis activæ; est dicere, quod filatio constituit, & distinguit, non sub expresso conceptu relationis, sed sub conceptu radicis spirationis activæ; & cum in casu quæstionis filatio non esset radix talis spirationis, quia Filius non spiraret, ideo nec distingueret realiter Filiū à Spiritu-sancto. Sed contra ex principijs ipsius Gonet. Radix spirationis activæ non est de constitutione Filij, in ordine ad Spiritum-sanctum: ergo nec est radix distinguendi. Antecedens prob. ex Gonet. disp. 2. art. 4. §. 2. sic dicente: *Si Verbum constitutum retur in ratione Filij formaliter per fecunditatem productivam Spiritus - Sancti, omnino inutilis esset illa suppositione: An si Spiritus-Sanctus non procederet à Filio.* Prob. item ex ipso Gonet. disp. 11. art. 2. Ubi probat, personas divinas constitui relationibus, hoc syllogismo: *Quod est unius personæ distinctivum, debet esse illius constitutivum: sed relationes personas divinas distinguunt: ergo illas constituit.* Major patet ex communi doctrina Philos. dicentium, unumquodque distinguiri ad alijs, per id, per quod, in suo esse constituitur: Ex quibus sic arguo: Unumquodque, secundum Gonet,

distinguitur ab alijs per id, per quod in suo esse constituitur: Sed per te, Filius in esse Filij non constituitur per fecunditatem productivam Spiritus-sancti, siue per radicem spirationis: ergo nec per illam distinguitur à Spiritu-sancto. Tenet consequentia; quia per te principium constitutivum unius personæ, debet esse & distinctivum; confirm. Hæc est bona consequentia Gonet contra suum Caiet. Spiratio activa est communis Patri, & Filio: Ergo spiratio activa non est distinctiva Filij à Spiritu-sancto: ergo & etiam hæc est bona consequentia contra Gon. Radix spirationis activæ est communis Patri, & Filio: ergo non est distinctiva Filij à Spiritu-Sancto. Dicit Gonet, quod radix modificata filiatione non est communis. Dicit contra Caiet. Ergo spiratio activa modificata filiatione non est communis. Non tenet ergo doctrina Gon. contra Caiet. Multoque minus contra nos.

15 Resp. alij: Principium illud metaphysicum solum verificari de constitutivis realiter, non vero de constitutivis secundum rationem; & cum divinæ personæ constituantur per rationem: ergo &c. Sed contra: Nam falsum est, personas divinas constitui per rationem; si enim ita constituerentur, cef- san-

sante opere intellectus , Trinitas periret. Contra 2. Nam admisso gratis , quod constituantur per rationem , adhuc fundatum Scoti stat in sua vi; quod pater , quia quod dat esse ens , dat esse unum : ergo & esse indistinctum à se , & distinctum à quocumque alia ; sed principium constituens , etiam indistinctum à constituto , dat illi tale esse unum , non minus , ac si esset distinctum , v. g. personalitas divina , à Deo indistincta , non minus dat illi esse personam divinam , ac personalitas creata , distincta ab homine , dat illi esse personam humana : ergo indistinctio inter constituens , & constitutum non evertit veritatem Scoti. Contra 3. Deus dicitur communiter , constitutus in esse increate , & divino per esse à se , quod non distinguitur à Deo ; & tamen per illud idem esse distinguitur ab omni alio , quod non est Deus. Similiter in doctrina Thomist. rationalitas non distinguitur formaliter ab homine , & tamen constitutum per illam , v. g. Homo distinguitur per illam ab omni alio , quod non est homo : Ergo etsi relationes divinæ non distinguerentur ab assentia , & personas constituerent per rationem , adhuc teneret argumentum Scoti.

16 Prob. 4. Si per impossibile Spiritus-Sanctus non procederet à Patre , sed à solo Filio , ipse Spiritus Sanctus distingueretur realiter à Patre , eo quod Paternitas constituit Patrem : ergo similiter econverso , si Spiritus-Sanctus procederet à solo Patre , adhuc realiter distingueretur à Filio ; eo quod filiatio constituit Filium. Thomistæ conced. antecedens , & neg. consequentiam : rationem reddunt dicendo , quod in tali eventu , quo Spiritus-Sanctus procederet à solo Filio , referretur , & opponeretur immediatè ipsi Filio , ut spiratori ejus; non verò sic in casu , quod à solo Patre procederet ; quia tunc tantum ei opponeretur mediatè. Ponunt exemplum in Nepote , & Avo , qui mediatè referunt ad Nepotem ; quia quod est causa causæ , est causa causatis ; & ita esset Pater principium mediatum Spiritus-Sancti , casu in hoc. Hæc evasio plusibilis apud Thomistas , nullius est momenti , & contra eam est Primò ; quia Nepos non distinguitur ab Avo per solam mediatam originem , sed præsentem per individualem , & personalim ejus differentiam ; taliter , quod si non esset ab illo mediatè , adhuc realiter , & personaliter distingueretur ab eo: Ergo similiter Spiritus-Sanctus

non distinguitur à Pater per originem ejus mediatam , sed per suam proprietatem personalem ; ita ut quamvis à Patre non procederet mediatae , adhuc ab eo realiter , personaliter distingueretur. Contra 2. Ratio propter quam spiratio passiva opponitur mediatae filiationi de facto est , quia opponitur immediatae spirationi activae , cum qua identificatur realiter filiatione : sed casu quo Spiritus-sanct. procederet à solo Filio , paternitas non esset idem realiter cum spiratione activa : ergo Spiritus-sanctus non opponeretur mediatae Paternitati: Modo sic ; sed in tali eventu Spiritus-sanctus distingueretur realiter à Patre , ut ipsi fatentur adversarij : ergo similiter ex hypothesi , quod Spiritus-sanctus non procederet à Filio.

17 Prob. 5. Unum , & idem non potest accipere esse , duabus productionibus totalibus , & adæquatis : sed generatio passiva , & spiratio passiva , si essent à solo Patre , fierent per duas productiones totales , & adæquatas : ergo non esset unum , & idem , sed essent inter se realiter distinctæ. Cætera patent , & probat. min. Produc<sup>tio</sup> per intellectum , & produc<sup>tio</sup> per voluntatem in divisionis sunt productiones totales ,

& adæquatae ; sed etiam in eo casu filiatione esset per intellectum , & spiratio passiva per voluntatem : ergo utraque fieret per productionem adæquatae , adeoque non possent esse unum , & idem. Confirm. Filiatione , & spiratio passiva ex sua intrinseca ratione distinguuntur realiter : ergo quamvis à solo Patre procederent , non minus forent realiter distinctæ. Antecedens Patet ; nam si ita non distinguerentur , possent ex ratione sua formaliter coincidere in eandem personam : sed hoc est falsum : ergo &c. Prob. min. nam si in eandem personam coinciderent , illa persona haberet esse per duas productiones adæquatas , scilicet , per productionem intellectus , & voluntatis ; sed hoc implicat : erg. &c. Videator Mastr. qui omnes præjectas rationes latissimè tangit , omniesque evasionses adversariorum mirabiliter diluit , & prosternit. Contra nostram conclusionem , quā plurima argumenta congerunt Thomistæ ; unum , vel alterum proponam , quia si bene dicta intelligantur , omnia facile solventur.

18 Arg. 1. Quaddam auctoritate Nisen. desumpta ex lib. cuius titulus est : *Quod non oportet tres Deos dicere* , & à Becharione Patriarcha Constantino-pol.

pol. in Conc. Florent. Graci partes agente, tradita sub his verbis: *Eò solum d' distinguitur, Spiritus-sanctus à Filio*, quia per ipsum est; quasi diceret, quod cum ambo à Patre sint, non sufficienter distinguerentur, nisi alter per alterum esset: Sed in casu questionis, alter non esset per alterum, scilicet Spiritus-sanctus per Filium: ergo non distinguerentur. Confirm. ex eodem Conc. Florent. sess. 18. dicente: *Sola relatio apud omnes, tam Græcos, quam Latinos DD. diuinæ personas multiplicat, ita ut non ulla alia ratione, quam vi relationis Pater à Filio, & una persona ab alia differant.* Erg. præcisa processione Spiritus-sancti à Filio, cum nulla esset relatio, nulla esset distinctio. Resp. ad primum. Nisen. à Thom. mendosè citari; non enim posuit illam particulam *solum*; est enim additio Patris Montoya, & post eum omnium Thom. Besarion tantum enim citavit Nisen. his verbis: *Eò distinguitur Spiritus-sanctus, &c.* non autem *Eò solum*, ut afferunt Thom. quibus minus est credendum, quam Besarioni. Vel resp. Nisen. loquutum fuisse de facto; ideoque Spiritus-sanctus realiter distinguitur à Filio, quia per ipsum est; hoc enim nos insinuari non possumus; sed dicimus, duos esse modos distin-

guendi in divinis, scilicet, relativè, & disparatè; & cum ex hypothesi, quod modus relatius deesset, restaret adhuc modus disparatus; hinc est, quod adhuc Spiritus-sanctus distingueretur à Filio. Ad confirm. resp. pro Scotistis Suar. lib. 1. de Trinit. cap. 2. num. 11. dicens: *Dixit hæc Joannes quidam Theologus latinus, non Concilium.* Sed quisnam hic Joannes? Fuit Doct. privatus, professione Dominicanus, nomine Joannes à Montenigro, officio Provincial. Lomgobardiae: hic enim cum alijs Thom. fuit missus ad Concil. & cum lacte D. Thom. nutritus esset, protulit præfatum testimonium. Unde tanquam testimonium cuiusdam privati Thomist. illud omnino negamus. Præterquamquod, supra dicto Concil. interfuerant alij Theologi de mandato Pape, & in suis sententijs errarunt; ut Andreas Archiep. Colosens. qui sess. 3. afferuit Silvestr. Pap. Nizen. Concil. interfuisse, quod sanè fuit error: Similiter ergo erravit Joannes à Montenigro.

19 Arg. 2. Concilium Tollet. 1. dicit: *Spiritum sanctum nec esse Patrem, nec Filium; eò quod à Patre, Filio ne procedat.* Resp. primo; Concilium male citari, quia non habetur particula; eò quod, sed præcisè dicitur: à Patre, Filio-

*que procedens.* Resp. secundo: Referre causam unam distinctionis, quæ de facto datur; non tamen omnem, cum ultra distinguatur per Filiationem.

20 Obijciant 3. Concil. Florentinum sess. ultimâ, ubi ait: *Credentes, nempè Græci, Spiritum-sanctum, ex Filio nequaquam procedere, necesse est, ut intelligent, Spiritum-sacrum ex solo Patre procedere; ac consequenter eum esse Filium.* Hoc argument. valde proclamant adversarij; & illo robortati, non semel duxerunt nostram sententiam ad Tribunalia; sed semper incolumis exhibuit. Resp. communiter à Nost. Doctrinis, quod in codicibus originalibus hujus Concilij, non invenitur illa particula *eum esse Filium; sed eum non esse Filium.* Sed obijcunt adversarij, corrigendos esse codices, ita ut dicatur, *eum esse Filium;* quia habet vim iillationis; & ex eo, quod esset à solo Patre, minimè infertur, *eum non esse Filium;* bene verò, *Filium esse.* Resp. quod graviter reprehendendi sunt adversarij, volentes corrigere Concilium, & dicentes esse mendosum, ut sententiam Nost. Doct. Ansel. & D. Aug. censura inaurant. Illa igitur particula *consequenter,* non sonat iillationem rigorosè; sed tantum consecutionem doctrinæ,

ita ut sensus sit: *Necesse est, ut Græci credentes Spiritum-sacrum non procedere à Filio, credant, procedere à Patre tantum;* & insuper, *eum non esse Filium,* si consequenter loquuntur ad suam doctrinam, quæ admittit Trinitatem personarum, juxta quatuor Concilia generalia, contra Sabellianos, & Socimanos. Vel denique loquerentur de facto, quia verum est, quòd illa persona, quæ à solo Patre procedit, est Filius.

21 Obijcunt ultimo: Juxta varias authoritates SS. &c CC. Sola relatio multiplicat Trinitatem; & illud axioma: *Omnia in divinis sunt unum, ubi non obviat &c.* Sed Filiatio non opponitur spirationi passivæ: erg. Filius non opponitur Spiritui sancto per filiationem. Potest responderi primo; quod hoc verissimum est de facto, quantum ad axioma, & authoritates, ut jam dictum est. Resp. 2. ex Scot. citat. Conced. quod relatio multiplicat Trinitatem; & tamen non tantum distinguit à relatione opposita relativè; sed etiam à qualibet relatione disparata, cui formaliter non est idem; quia sicut in genere qualitatis, albedo non tantum distinguitor, ab aliqua qualitate contraria, sed etiam ab omni alia disparata; quia albedo non est dulcedo formaliter, nec odor,

nec relatio. Et si aliqua dispara-  
ta , ultra hoc , esset incom-  
posibilis alteri disparata in eo-  
dem supposito , nou tantum dis-  
tinguetur natura à natura ; sed  
etiam requiriatur distinctio  
suppositorum : Altera igitur , re-  
latio disparata , ab alia relatio-  
ne disparata distinguitur , abs-  
que incompossibilitate in eodem  
supposito ; aliquæ verò non tan-  
tum habent distinctionem , sed  
etiam incompossibilitatem , quales  
sunt relationes disparatae ac-  
cipiendi naturam .

22 Instant : Si relationes  
disparatae possunt sufficienter  
distinguere personas ; erg. cum  
tales duo sint in Patre , ut ge-  
neratio activa , & spiratio ac-  
tiva , Pater esset duas personaæ.  
Resp. Doct. quod non oportet  
tantam esse distinctionem , vel  
incompossibilitatem productio-  
num activarum , quanta est pro-  
ductionum passivarum ; quia  
impossibile est , idem duabus  
productionibus oppositis pro-  
duci , & accipere esse ; non au-  
tem est incompossibile , idem  
duabus productionibus activis  
communicare esse distinctis per-  
sonis. Hucusque Doctor.

23 Replic. Ferch. Si spir-  
atio passiva est incompossibilis  
Filio in hypothesi , vel est , quia  
spiratio , vel quia passiva ; Non  
primum , quia spiratio activa  
connectitur in Patre cum gene-

ratione activa. Nec secundum ,  
quia quæ secundum aliquam ra-  
tionem convenient , secundum  
illam non repugnant ; sed ger-  
neratio passiva , & spiratio pas-  
siva convenient in ratione pas-  
sivi : ergo ex tali ratione non  
sunt incompossibles. Respond.  
Scot. in 4. dist. 12. quæst. 1.  
Simile argum. solvere , quo pro-  
babatur , posse esse relationem  
sine subjecto , sicut accidentis ab  
solutum ; procedebat enim sic:  
Aut hoc ei repugnat , quatenus  
accidens , & hoc non , quia pa-  
tet in accidenti absoluto ; vel  
quatenus relatio , & nec hoc ,  
quia relationes divinae sunt sub-  
sistentes. Cui objectioni resp.  
Scot. procedere ex insufficien-  
ti divisione ; quia ei repugnat  
quatenus relatio creata. Ita in  
proposito , nec spirationi passi-  
va repugnat , ut est spiratio , nec  
ut est passiva , sed ut est spirati-  
o passiva ; quia sic est entitas  
hypostatica , & incommunicabi-  
lis. Hucusque Doct. Et hæc  
de quaestione , & dispu-  
tatione.



DISPUT. V.  
**DE PERSONIS DIVINIS**  
*in communi, & inter se  
comparatis.*

## QUÆST. I.

*AN RELATIONES, QUILIBUS  
Personæ Divinæ constituuntur,  
importent aliquam per-  
fectionem?*

**Q**uestio non procedit de relationibus, prout identificatis cum essentia divina; certum est enim, ut sic importare omnem omnino perfectionem Sanctissimæ Triadis; sed procedit de relationibus præcisè secundum proprium conceptum formalem consideratis.

**2. Conclusio 1.** Relationes divinæ formaliter, & secundum se, prout, scilicet, ab essentia divina formaliter distinguuntur, important aliquam perfectionem entitativam, scilicet, transcendentalem. Hæc conclusio sic proposita, prima facie est contra plurimos Scotistas. Sed probatur breviter: Relationes divinæ, prout ab essentia distinctæ, includunt formaliter, & *inquit*, rationem entis, ut qualibet alia realitas perfecta, quæ potest concipi conceptu

perfecto, & adæquato, distincto à conceptu perfecto, & adæquato, quo alia realitas ejusdem rei concipitur: atqui quælibet realitas, quæ est formaliter ens, habet bonitatem transcendentalem, & alias passiones entis: ergo &c. Minor cum consequentia tenet; maj. videatur in nostro Philosoph. Cursu, in Tractatu Metaph. Disput. de ultimis differentijs.

**3. Conclusio 2.** Relationes divinæ ut sic consideratae, non important formaliter aliquam perfectionem gradualem. Gradualem voco eam, quæ est modulus intrinsecus entis quanti, secundum quem dicitur esse in hoc, vel illo gradu perfectionis, æquali, vel inæquali alteri enti. Hæc conclusio est nost. Doct. in 1. dist. 8. quæst. 3. & in quol. fuissest quæst. 5. Sequuntur omnes Scotistæ, & aliqui Thomist. præsertim antiquiores, ut sapientiores, quia *in antiquis est sapientia*. Probatur primò: Si relationes illæ includerent dictam perfectionem, vel illa esset finita, vel infinita: at neutrum dici potest: ergo &c. Min. quoad 1. partem patet; quia nihil est in Deo finitum, nec quidquam habens terminum perfectionis. Nec esset infinita; tum, quia nequeunt esse plura realiter distincta, & formaliter infinita;

sed

sed plures sunt relationes originis realiter distinctæ : ergo &c. Tum etiam , quia quælibet perfectio infinita identificat secum quamlibet aliam perfectionem infinitam ( immò , & non infinitam in nostra sententia ) atqui una relatio originis non secum identificat aliam , quia ab ea realiter absolute distinguitur : ergo &c.

4 Prob. 2. Si relationes divinae essent formaliter perfecte , Pater , & Filius essent perfectiores Spiritu-Sanct. quippè ultra suam relationem propriam personalem , habent spirationem activam , qua caret Spiritus-Sanct. atqui hoc nequit dici ; & est contra August. expresse Serm. 38. de Temp. dicentem : *In Deo non esse quid maius tres Personas simul , quām quamlibet seorsim ; quia in omnibus est eadem essentia.* Et 7. de Trinit. cap. 7. *In summa Trinitate tantum est una , quantum tres simul sunt , nec plus aliquid sunt due , quam una :* ergo &c.

5 Prob. 3. Si relatio originis esset perfectio , esset perfectio simpliciter simplex , cum nulla alia sit in Deo ; sed relatio originis non est perfectio simpliciter simplex : erg. &c. Prob. min. Omnis perfectio simpliciter simplex est communicabilis cuilibet supposito di-

vino ; quia juxta Div. Anselmum : In quolibet supposito melior est ipsa , quām non ipsa : atqui nec Paternitas , v. g. est communicabilis Filio ; nec ipsa est melior in Filio , quām non ipsa , seu quām filiatione ergo &c.

6 Prob. denique : ( omissis alijs probationibus apud Doct. videndis ) Quælibet perfectio div. potest prædicari in abstracto de quacumque alia , ratione suæ infinitatis , quām secum fert in abstractione ( immò , & de notionalibus ) & econtra ; atqui relationes originis non sic possunt prædicari de se ipsis : ergo &c. Prob. min. Quia ista prædicatio nulla est . *Paternitas est Filiatio* ; alias verum esset dicere , quod Filius est Pater , contra illud Symboli Athanasij : *Alia est persona Patris , alia Filii , alia &c.* Et esto , quod spiratio activa iden- rificetur cum generatione in Pa- tre , & passiva in Filio ; tamen istæ propositiones sunt falsæ : *Generatio activa , est spiratio activa ; Generatio passiva est spiratio activa.* Atqui hoc non est , nisi , quia abstrahendo re- lationes originis à Deitate , & à quocumque alio essentiali , non secum ferunt infinitatem , quām non habent ratione sui : ergo &c.

7. Contra hanc conclusio- nem:

nem : arguit ipse Subtil. Doct. sic : Quod non est comprehensibile , nisi ab intellectu infinito , est formaliter infinitum; sed generatio activa , & passiva non est comprehensibilis , nisi ab intellectu infinito : ergo , &c. Minor patet , per illud I<sup>o</sup>ai. 53. Generationem ejus quis enarrabit? Ac si diceret , inquit Hieron. *Impossibile est, ut ab intellectu finito comprehendatur.* D. Ambr. ait : *Mibi impossibile est generationis scire secretum.* Mens deficit , vox silet , non mea tantum , sed Angelorum: & supra Cherubin , & Seraphin , & supra omnem sensum est. Resp. ipse Scot. Generationem esse incomprehensibilem à creatura , non incomprehensibilitate propria , sed ratione essentiae , quæ per ipsam communicatur.

8 Secundum resp. posse dici: quod comprehensibile intellectui finito , est necessariò finitum ; & quod non est finitum , quamvis non sit infinitum ; est incomprehensibile illi : & sic conceditur , quod generatio , ut generatio , est incomprehensibilis intellectui creato ; & ita secundum propriam entitatem , & comprehensibilitatem non est finita ; sed ex hoc non sequitur , quod sit infinita. Unde secundum hoc major argumenti est neganda , accipiendo incom-

prehensibile negativè , pro non possibili comprehendendi ; quia ad hoc , quod esset vera , oporteret illud intelligere , quasi contrariè , scilicet , pro habente quantitatem virtualem extendentem se ultra omne comprehensibile , vel omne comprehensibile excedentem , quod non est in proposito.

9 Argu. 2. Omnis actio adæquata principio , & termino infinito , est formaliter infinita: sed generatio in divinis est actio adæquata principio formalis infinito , & termino infinito; quia principium est essentia , vel memoria infinita , & primus terminus est Filius , qui est infinitus; terminus etiam formalis est essentia , quæ est infinita ; & patet , quod ista actio , seu generatio est utrique adæquata; quia non potest esse nisi unica hujus principij ad hunc terminum. Resp. Doct. maj. esse veram , sumpta adæquatione secundum perfectionem , seu secundum equalitatem in ead. in quantitate virtutis: sed sic min. est falsa , & solùm est vera , secundum proportionem; nec adhuc est vera de adæquatione isto modo secundum intensionem; sed secundum extensionem; quia , scilicet , unum principium generandi , non potest extendi ad aliam generationem , quam ad istam : nec est ergo hic adæqua-

tio quantitativa , & ita nullo modo includit infinitatem.

10. Potest etiam argui ex ipso Subt. Doct. in 3. ubi ait: *Quod natura creata non potest assumi à diabus personis divinis*, quia est finita: ergo spiratio activa , quæ est in Patre , & Filio , erit infinita. Potest responderi primo , sicut ad primum argumentum , quod non sequitur esse infinitam ; sed solum non esse finitam. Secundo , quod antecedens solum est verum de assumptione immediata , non vero mediante subsistentialia absoluta , & hoc modo est spiratio activa in Patre , & Filio; scilicet , media voluntate divina infinita , quæ non refundit infinitatem in spiratione activa.

11. Arg: Thomist. aliquibus Testimonijs CC. & SS. PP. quibus ostendunt , Patrem , & Filium distingui perfectionibus personalibus: ergo , &c: Resp. Primo ; PP. loqui de perfectione transcendentali ; & ita firmant nostram primam conclusum non vero de perfectione quantitativa. Resp. Secundo : Nihil aliud velle , nisi quod relationes dicant perfectionem realiter , & identice , propter identificationem realem cum Essentia Divina.

12. Arg. 2. Si personalitates non sunt perfectæ; ergo non

sunt amabiles , nec adorabiles , quod est contra Ecclesiam , que canit in prefatione Missæ Trinitatis: *Ut in personis proprietas , in essentia unitas , & in maiestate adoratur æqualitas*. Ex Symbolo Athan. Ut unum Deum in Trinitate; & Trinitatem in unitate veneremur. Div. Epi-phan. Honoratur Pater secundum quod Pater est ; honoratur Filius , prout Filius est ; honoratur Spiritus sanctus , ut Spiratus sanctus est: g. &c: Resp. Esse amabiles , primo , quia habent beatitudinem transcendentalem. Secundo , sunt amabiles , & adorabiles , propter identitatem , quam habent cum Essentia Divina , quæ est objectum motuum adorationis ; & personalitates terminativum. Et certe quomodo secundum Thomist. poterit adorari æqualitas formaliter , cum , ut talis , sit relationis. Et unitas , quæ juxta ipsos , est negatio divisionis?

13. Arg. ultimo : In Deo melius est , Patrem , Filium , & Spiritum sanctum esse , quam non esse : Ergo relationes dicunt perfectionem. Patet , nam si Deo desiceret Paternitas : v. gr. non esset integer Deus , sed quod pertinet ad integratatem Dei , est perfectio : ergo relationes dicunt perfectionem. Resp. breviter ; Verum esse antecedens , quatenus ex eo colligitur in Deo

infinita virtus fecunditatis; non vero quatenus personalitates divinae includunt perfectionem: unde si deficerent personae, non esset integer Deus; quia non haberet fecunditatem infinitam; non vero, quia relationes sunt perfectiones. Uno Verbo: habere illas, est perfectio: sed ipsae non sunt perfectae. Et haec de quaestione.

## QUÆST. II.

Utr. *INTER PERSONAS*  
*Divinas dentur Relationes*  
*identitatis, similitudinis,*  
*& aequalitatis?*

1 **S**upponendum est, in omni Schola, Personas Divinas esse easdem in essentia, & similes in attributis, & aequales in quantitate virtutis, seu in infinitate: & consequenter dicere relationes identitatis, similitudinis, & aequalitatis; nam juxta Philosophum, idem, simile, & aequale, fundantur super unum: hoc est, relatio identitatis super unitatem in essentia :: relatio similitudinis super unitatem in aequalitate, (cujus modi se habent attributa in divinis) relatio vero aequalitatis super unitatem in quantitate materiali, & praedicamentali in creatis; virtutis vero, seu perfectionis infinitæ in di-

vinis. Difficultas igitur est; Utrum istæ relationes in divinis sint reales? Pro cuius resolutione, sit ergo

2 **C**onclusio: Dictæ relationes sunt reales. Ita Doct. in 1. dist. 31. quæst. unic. & quæst. 6. quodlib. quem sequuntur omnes Scotistæ, excepto Quiroga in sua argum. Theolog. sed absque solido fundamento. Est etiam contra Thomist. & alios. Prob. tamen primo; Relatio realis est, quæ competit extremis, secluso opere intellectus: sed istæ relationes competunt personis divinis sic: erg. &c. Prob. min. quia juxta Philosoph. 5. Metaph. cap. 15. Eadem sunt, quorum substantia est una; similia, quorum qualitas una: aequalia, quorum quantitas una: Atqui à parte rei, & secluso opere intellectus, in Patre, & Filio est una substantia, nempé, natura divina; una pariter qualitas, seu admodum qualitatis, scilicet, quælibet perfectio attributalis; una denique quantitas, modo jam dicto: ergo pariter in eis sunt à parte rei, & secluso opere intellectus, relationes identitatis, similitudinis, & aequalitatis.

3 Prob. secundo; ex Scot. Tria tantum requiruntur ad relationem realem. Primo; quod fundamentum sit reale, & ter-

minus realis. 2. quod extre-  
rum sit distinctio realis. 3. quod  
ex natura extre-  
morum , ratio-  
ne fundamenti , & termini , se-  
quatur ipsa talis relatio , abs-  
que opere alterius potentia ,  
comparantis unum extre-  
morum alteri : atqui prædictæ relatio-  
nes omnia ista habent : ergo  
&c. Prob. min. nam primo Es-  
sentialia , & perfectiones divinae ,  
quaे sunt fundamenta identi-  
tatis , æqualitatis , & similitu-  
dinis , re vera sunt reales. Se-  
cundo , personæ ipsæ , inter quas  
intercedunt relationes , seu quaे  
sunt extrema , quaे illi referun-  
tur , sunt realiter distinctæ. Ter-  
tio , absque opere intellectus ,  
aut alterius potentia , divinae  
personæ sunt eadem , æquales ,  
& similes ; nam ex PP. Script.  
Sacra , & Concil. Totæ tres per-  
sonæ coæternæ sibi sunt , &  
coæquales. Qualis Pater , talis  
Filius , talis Spiritus sanctus .  
Non rapinam arbitratus est , esse ,  
se æqualem Deo. Quæ testimo-  
nia militant contra hæreticos  
negantes in personis divinis ,  
identitatem , similitudinem , &  
æqualitatem.

4 Arg. 1. Si darentur tales  
relationes reales , vel fun-  
darentur in essentia , vel in re-  
lationibus originis ; atqui non  
in essentia ; quia una est ; & ejus-  
dem ad se ipsum non est relatio  
realis : non in relationibus ori-

ginis ; tum , quia una relatio  
non fundatur in alia ; tum etiam ,  
quia per dictas relationes non  
sunt personæ eadem , similes ,  
nec æquales : ergo . &c. Respond.  
fundari in unitate essentiæ , mo-  
do dicto ; præexiguntur tamen  
relationes originis , ut præsup-  
ponantur constitutæ personæ ,  
quaे referuntur ; & cum istæ sint  
realiter distinctæ , non refertur  
idem ad se ipsum.

5 Arg. 2. Si istæ sunt rela-  
tiones reales : igitur æquæ reali-  
ter sunt distinctæ , sicut relatio-  
nes originis ; & per consequens  
ita possunt constituere personas  
divinas , sicut & illæ originis ; &  
si possunt : igitur constituunt ;  
quia non est ibi potentia sine  
actu. Præterea , cum quodlibet  
attributum habeat suam mag-  
nitudinem propriam , supra  
quam fundetur æqualitas : Igi-  
tur tot erunt æqualitates per-  
sonarum , quot sunt attributa.  
Ad 1. resp. Subt. Doct. quod  
videtur difficile illis , qui po-  
nunt personas esse relativas. Ta-  
men tenendo communem viam ,  
oportet dicere , quod prius pul-  
lulant in essentia relationes ori-  
ginis , quam communes ; & istæ  
primo pullulantes , distin-  
guunt , & constituent personas ;  
non autem illæ communes ; quia  
sunt quasi adventitiae personis ;  
sicut ponitur , quod spiratio  
activa nullam personam consti-

tuit; quia intelligitur quasi advenire Patri, & Filio jam constitutis in esse personali. (si hoc bené intelligatur, & observeatur, efficaciter Quiroga corruit.) Prima enim ibi pullulantia, quæ possunt personaliter distinguere, distinguunt personaliter, & personaliter constituunt.

6. Ad 2. potest concedi, inquit Doct. quod, quot sunt perfectiones in Deo simpliciter, tot sunt etiam magnitudines, & tot æqualitates; sicut tamen illæ omnes sunt simpliciter una res, ita & æqualitates, secundum eas sunt simpliciter una res. Huncusque Doct. Instabis: Ergo admitti debet, esse plusquam tres relationes realiter distinctas, in divinis; nam æqualitas, quæ est in Patre, distinguetur realiter ab æqualitate, quæ est in Filio; idem est de identitate, & similitudine. Resp. quod licet æqualitas Patris distinguatur realiter ab æqualitate Filij; (idem est de alijs, quia se obviat inter illas oppositio correlativa, nec possunt esse in eodem supposito) quia tamen æqualitas, similitudo, & identitas, quæ sunt in Patre, identificantur Paternitati; & similiter sūx correlativæ Filiationi. Idem est de Spiritu-sancto, quæ sunt quasi proprietates adventitiae illis; ideo tres tantum sunt entitates relativæ realiter dis-

tinctæ, licet omnes sint reales.

### QUÆST. III.

Utr. QUÆLIBET PERSONA  
Divina sit in alia?

1. Stius questionis, in-  
Iquit Subtil. Doct. in  
1. dist. 19. quast. 2. veritas est  
plana, & certa ex Authoritate  
Salvatoris in Joanne, & alibi  
in multis locis, & etiam SS. ex-  
ponentium. Sed, ut adquætè  
possit intelligi. Sit

2. Conclusio: Qualibet per-  
sona divina est in alia, per cir-  
cummissionem, seu per cir-  
cummissionem, idest per mu-  
tuam, & intimam inexistentiam  
unius in alia. Hæc conclusio est  
communis; & veritas ejus pa-  
ret, ut dixit Subt. Doct. ex  
Joann. 1. Unigenitus Filius, qui  
est in sinu Patris. Et 14. Ego  
in Patre, & Pater in me est.  
Et 17. Tu Pater in me, & ego  
in te. Qui quidem textus intel-  
liguntur de circummissione  
Patris, & Filii; & eadem est ra-  
tio de Spiritu-sancto: ergo, &c.  
Deinde alma mater Ecclesia ex  
Div. Ambros. in Hymno Feriæ  
2. ad Laudes, ita canit: *In Pa-*  
*tre totus Filius, & totus in*  
*Verbo Pater.* D. Fulgent. lib. 1.  
de Fide ad Petrum cap. 1. ait:  
*Ipse vero Deus in Personis Tri-*  
*nitas est, & in natura unus est:*  
*per*

*per hanc naturalem unitatem totus Pater in Filio, & Spiritus sancto, totus quoque Spiritus sanctus in Patre, & Filio, nulus horum extra quilibet ipsorum est: ergo, &c.*

3 Prob. ratione ex Subt. Doct. cit. Nam circumfessio, vel circumcessio est mutua inexistentia subsistentis in subsistente praesentialiter intimè, & adæquate, independentium, & eandem naturam habentium: atqui Personæ Divinæ ita intimè, & adæquatè, idest, secundum se totas, & secundum omnem sui rationem inexistent, tanquam subsistens in subsistence: ergo, &c.

4 Ex hoc colligunt SS. PP. & Scholastici, Essentiam Divinam, seu unitatem illius in tribus, esse rationem, seu funda- mentum prædictæ circumfessionis; addit tamen Subt. Doct. quod non est sola essentia, nec relatio sola, sed ambo sunt totalis ratio dictæ inexistentiæ. Ad intelligendum quomodo hoc sit potest accipi exemplum in creaturis de similitudine. Nihil enim est sibi simile, sed alteri; similitudo tamen fundatur super unitatem in qualitate: nec igitur sola diversitas relativorum, nec sola unitas fundamenti sufficit ad similitudinem, sed ambo requirunt per se, sicut una causa totalis. Ita hic, nec distinc-

tio personæ inexistenter; & in qua est alia, nec unitas essentiæ, per quam sunt in se invicem, est tota ratio inexistenter, sed ambo simul. Sicut tamen in similitudine est principalior ratio unitas fundamenti, quam distinctio ibi extremonum; & similiter immediator; ita hic potest ponи immediator, & principalior ratio inexistenter istius unitas essentiæ, quam distinctio personarum.

5 Confirm. Quia inexistenter, seu circumfessio unius personæ in alia, dicit relationem realem, non secus, ac dicunt illam similitudo, equalitas, & identitas, & distinguitur ab illis formaliter, & à relationibus originis, cum quibus respectivè identificantur absolute: ergo sicut relationes identitatis, similitudinis, & equalitatis, praeter unitatem fundamenti requirunt necessariò distinctionem personarum, quæ sunt extrema, quæ referuntur; quia essentia non generat, nec generatur, non distinguitur, nec refertur; ita pari ratione idem requiri relatio circumfessionis, seu inexistenter unius personæ in alia.

6 Arg. contra: Si quilibet esset in quolibet, esset maxima confusio: ergo si Personæ Divinæ essent in se invicem, confusæ essent, contra illud Athan-

*Neque confundentes personas, &c. Et confirm. ratio; quia indivisibile non distinguitur ab indivisibili, nisi sit extra illud; quia duo indivisibilia simili posita, non faciunt majus.*

7 Item in eodem, in quo est Filius, est filiatio: in Patre est Filius per positam circummissionem: ergo in Patre est filiatio. Ulterius: illud, in quo est filiatio, est Filius: ergo Pater esset Filius. Præterea; si Pater est in Filio, & Filius in Patre: ergo Pater est in se. Consequentia prob. per Philosoph. 4. phisicor: Si aër in igne, & ignis in Cœlo est: ergo aër est in Cœlo: igitur à simili hic. Et confirm. per istas maximas, quidquid sequitur ad prædicatum, sequitur ad subjectum: quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens: & quidquid antecedit ad antecedens, antecedit ad consequens; & quod est prius priore, est prius posteriore; & quidquid est causa causæ, est causa causati.

8 Item: si Pater est in Filio: ergo Deus est in Deo. Igitur Deus distinguitur à Deo. Item, quod exit ab alio, non est in eo; sed Filius exit à Patre, ut dicitur Joann. 16 Exivi à Patre. Denique, illud, in quo est aliquid, videtur quasi ambire illud, & penetrare, & continere: idem aīem respectu ejus-

dem continere, & contineri; ambire, & ambiti, non est intelligibile: ergo, &c. Omnia ista habentur in littera Subt. Doct.

9 Resd. ipse ad 1. quod eset confusio, si quodlibet esset in alio, sicut pars ejus; & ideo non sequitur confusio. Cum confirmatur per illud de indivisibilibus: respondeo, quod aut illud est falsum, quod indivisibilia quantitatis non sunt distincta, nisi differerant situ, de quo alias: Aut si est verum, nil est ad propositum; quia ratio illa, quæ eset ibi, non esset in personis, quibus non conuenit situs. Ad 2. resp. quod Filiatio est in Patre, non tanquam forma illum informans, aut constituens; sed per intimam innexistentiam; ex quo minimè sequitur, quod in argumento infertur.

10 Ad aliud resp. Neg. consequentiam; & argumentatio Philosophi, non quadrat hic; aër enim, qui infertur esse in Cœlo, distinguitur à Cœlo; Pater autem, non distinguitur à seipso; idcirco non potest paratione inferri, ipsum esse in seipso; sicut non valet inferri sic: Petrus est similis Pauló, & hic Petro: ergo Petrus est similis sibi; quia ut valeret, deberet prima propositio, ita distribui, & ordinari: Petrus est similis omni illi, cui est similis Paulus:

Ius : hæc autem non est vera, nisi de omni alio ab ipso Petro: quo respondeatur ad omnes maximas , quæ tenent inter illa, quæ habent ordinem essentialem , & distinctionem inter se.

11 Ad aliud conc. quòd Deus est in Deo ; & hoc concedit Hilar. 7. de Trinit. Sed cùm infertur : ergo Deus distinguitur à Deo ; negat. consequentia , propter fallatiam consequentis ; hæc enim præpositio *in*, non notat virtutem confundendi suum casuale , nec hoc habet ; & ideo potest casuale ejus stare pro supposito aliquo indeterminate determinato. *Distingui* autem ; distribuit terminum hujus relationis confuse, & distributivè , propter negationem inclusam ; & ideo casuale hujus præpositionis non infert terminum hujus relationis ; sicut non sequitur : *Deus generat Deum* : erg. *Deus distinguitur à Deo* , propter similem rationem. Ad aliud dico, quod exitus Filij à Patre est processio producti à producentे ; nunc autem talis exitus nil prohibet , quin exiens maneat in eo , à quo exit. Ad ultimum dico , quod iste modus essendi *in* , non dicit continentiam , sicut corpus continetur à loco; sed præsentiam subsistentis in subsistente ; & ità est unius rationis in utroque ; quia sicut

hoc subsistens est præsens illi, sic illud isti. Hucusque Doct. in cuius confirmationem audiat Hilar. 3. de Trinit. cum dicatur Serm. Dñi. *Ego in Patre, & Pater in me est* : natura intelligentiæ humanæ , rationem hujus intelligentiæ non capit, nec exemplum aliquod in rebus divinis comparatio humana præstabit.

## QUÆST. IV.

*QUID, ET QUOT SINT  
notiones Personarum Di-  
vinarum?*

1 **S**UPPONENDUM est , contra Præpositiv. & Ariminensem ; dari in Divinis Personis Notiones alias. Hoc patet ex Aug. 5. de Trinit. cap. 6. *Alia notio , qua intelligitur genitor ; alia , qua ingenitus.* Idem habent alij PP. Patet etiam ex dictis contra Præpositivum , & Ariminensem , nempe Personas Divinas non se ipsis constitui , & distingui , absque proprietatibus. Et denique , quia ponendo notiones , facilius , & rectius argumentis hereticorum satisfacimus , quarentium , quomodo sint tres , & unum.

2 Conclusio 1. Notio divina est ratio positiva , vel negativa innoscendi nñam personam,

nam, ut ab alia, vel ab alijs distincta, pertinens ad originem. Unde quatuor habet conditones. Prima est, ut sit proprietas alicujus, vel aliquarum personarum, & non communis tribus; propter quod, neque essentia, nec aliquid essentiale est notio, ut hic sumitur, quamvis quodlibet prædicatum diuin. notificet Deum, ut distinctum à creaturis. Secunda est, ut sint ultimi, & quasi specifici conceptus; defectus cuius nomen persona, producere, & produci, non sunt notiones; quia cum sint communes, seu transcendentales conceptus, non possunt notificare personas secundum proprias, & ultimas rationes. Tertia est, ut notio significetur in abstracto; quare hæc nomina, Pater, Filius, & Spiritus-sanctus, non sunt notiones; quia notiones non sunt ipsæ personæ, sed formæ, quibus persoñæ notificantur. Quartæ, ut notio significetur, ut forma in facto esse; defectus cuius generare, & generari, notiones non sunt; quia significantur, ut in fieri. Alij addunt quintam, scilicet, quod dicat perfectionem, & dignitatem; quæ secundum Subtileram doctrinam non est admittenda, cum nihil notionale dicat perfectionem; immo, nec dignitatem dicit innascibilitas pro forma, li, ut potè negatio.

3 Conclusio 2. Quinque tantum sunt notiones personarum divinarum, nec plures, nec pauciores; videlicet innascibilitas, quæ nobis notificat Patrem, sub ratione principij, siue principio: Paternitas, Filiatio, spiratio activa, & passiva. Hæc conclusio est communis, cujus ratio petitur; tūm ex SS. PP. qui quinque, & non pluribus notis personas nobis designarunt. Tūm etiam, ex ipsa descriptione notionis, quæ strictè sumpta, solis enumeratis convenit, ut scrutanti patebit, si atente consideretur.

4 Arguitur contra; quia ratione innascibilitas statuitur notio propria Patris, eadem inspirabilitas tribuenda erit Filio; necnon, & ingenerativitas, seu negatio virtutis generativæ alterius Filii. Similiter Spiritui sancto tribuenda erit ingenerabilitas, necnon, & inspirativitas, seu negatio virtutis spirandi, & generandi, tam activè, quam passivè: ergo, vel innascibilitas non erit notio, vel erunt plures quam quinque. Valde laborant, tamen Thomistæ, quam Scotiste in solutione hujus argumenti; sed nunquam redditur ratio efficax, cur praedicta non sint etiam notiones. Quapropter, quoadusque ab Ecclesia aliud determinet, judio non esse inconveniens, plus

plus notiones admittere, quam quinque.

5 Audiatur Subt. Doct. in r. dist. 28. quæst. 2. in solutio-  
ne hujus quæst. g. *Ad argumen-  
ta*, vers. *Contra*: Et si videatur  
absurdum ponere sex notiones,  
quia communiter non ponun-  
tur tot: posset dici, quod lo-  
cūs ab auctoritate non tenet  
negativē. Tempore autem Am-  
brosij non videntur fuisse usitatē  
tres notiones in Patre, quia no-  
luit uti nomine *ingenitum*. Tem-  
pore etiam Anselm. non viden-  
tur fuisse usitatē duæ notiones  
positivæ in Patre, quia non uti-  
tur ipse *vī spirativa*, sed pro  
illa accipit dignitatem commu-  
nem Patri, & Filio: Et si tunc  
à principio fuerunt tantūm no-  
tiae tres proprietates notionales,  
scilicet Paternitas, Filia-  
tio, spiratio, & hoc ex verbo  
Salvatoris in Evangelio, &  
Joann. in Canonica sua, cap. i.  
Tamen postea per investiga-  
tionem, innoverunt alia notiones,  
& proprietates, quæ prius erant  
in se, licet non prius nota; &  
ita sicut posteriores concesserunt  
plures notiones, quam priores;  
non tamen priores eas nega-  
verunt, licet non eas dixerint;  
ita non videtur inconveniens  
de posterioribus ad illos Docto-  
res ponere tales notiones. Hu-  
cusque Doctor.

6 Concludendo igitur, di-  
Tom. I.

co: Quod si modo insurgeret  
hæresis dicens, Spiratum sanctum  
esse genitum, vel posse ge-  
nerare, vel spirare; vel Filium  
esse spiratum, vel posse gene-  
rate aliud Filium, abs dubio  
determinaret Ecclesia, quod in  
illis erant supra dictæ negatio-  
nes; unde attendendo ad ratio-  
nes, nulla est, quæ cogat nos  
ponere solum quinque; & qui  
plures ponat, nullum facit ab-  
surdum. Tamen, quia usque  
modo SS. & Theologi, solum  
enumerarunt quinque, idèo  
Subt. Doct. & nos contenti su-  
mus quinque solum enumerare  
de facto. Et hæc de Quæstione.

### QUÆST. ULTIM.

Utr. *UNA PERSONA*  
*Divina mittatur ab alia;* &  
*quomodo sit loquendum*  
*de hoc Mysterio?*

1 **P**RO intelligentia primæ  
partis tituli, suppono,  
quod missio potest fieri multi-  
pliciter; primo, per imperium,  
sic Dominus mittit servum. Se-  
condò, per consilium, ut quan-  
do consiliarij mittunt Regem  
ad bellum. Tertiò, obsecrando,  
ut quando aliquis mittit alium  
per preces. Quartò, fit per mo-  
tum localem, sic sagitta mitti-  
tur, vel Legatus, ad aliquem  
locum. Quintò, sumitur pro  
Aaaa ma

manifestatione personæ missæ in aliquo effectu externo, seu temporali visibili, aut invisibili; in hoc igitur ultimo sensu procedit nostra difficultas, in quo sic definitur Missio: *Est manifestatio personæ productæ in aliquo effectu externo, d. novo productō visibili, aut invisibili.* Unde colligitur, &c. dari Missionem activam, quæ convenit persona mittenti; & passiva, quæ convenit personæ missæ. Etiam colligitur, quod missio respicit mittentem, missum, & terminum ad quem mittitur. Hoc supposito sit:

2. Conclusio: De fide est, quod aliquæ personæ divinæ fuerunt missæ. Prob. *Missit Deus Filium suum in mundum.* Joan. 3. & 16. *Exivi à Patre, & veni in mundum.* Unde Aug. tract. 102. in Joan. *Exit à Patre, quia de Patre est, & in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit.* Igitur Filius fuit missus. Deinde ipse Filius loquens de Spiritu-sancto ait 16. Joan. *Si autem abjero mittam eum ad vos.* Et 14. *Paraclytus autem Spiritus-sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Igitur constat, quod Filius est missus à Patre; & quod Spiritus-sanctus est missus ab utroque, scilicet Patre, & Filio. An, autem, Pater possit mitti, & an, Spiritus-sanctus

possit mittere? Est altercatio non levis.

3. Pro cuius resolutione inquit Scotus, quod est sententia Mag. sentent. & Aug. „ Quod „ mitti non convenit tribus „ personis, sed tantum duabus „ procedentibus; quia juxta „ August. nulla persona mitti „ tur, nisi quæ babeat aliam „ de qua sit. Unde mitti, dicit „ respectum ad creaturam, con „ nectando tamen respectum „ productionis æternæ. Mittere „ verò, inquit Magist. quod „ est commune tribus; quod „ probatur per auctoritatem „ Aug. 2. de Trinit. cap. 6. „ ubi loquens de Filio ait: „ Proinde mitti à Patre, sine „ Spiritu-sancto non potuit. Et „ probat, quia Pater intelligi „ tur mississe eum, secundum „ quod fecit eum ex fœmina, „ quod nou fecit Pater sine Spi „ ritu-sancto: erg. Spiritus „ sanctus missit Filium; & „ constat, quod ipsem Filius seipsum missit, sicut ha „ betur ab Augustino eodem „ cap. Ergo mittere convenit „ cuicunque personæ. Et probat „ Magist. quia aliæ aliquid ef „ ficeret una persona Triadis „ ad extra, quod non alia; cum „ mittere sit effectum aliquem „ creare. Hucusque Subt. Doc tor.

4. Confirm. ex Concil. To let:

let: Filius missus non solùm à Patre, sed à Spiritu-sancto credendus est, in eo, quod per Prophetam dicitur: *Et nunc Deus misit me, & Spiritus ejus.* Unde Ambros. lib. 2. de Spiritu-sancto: *Quis est, qui dicit; me misit Dominus, & Spiritus ejus, nisi, qui venit à Patre, ut salvos facere peccatores, idest Christus:* Ergo & Pater Filiū missit, & Spiritus-sanc-  
tus. Quod verò, seipsum mittat, non est inconveniens; quia missio in recto solūm dicit manifestationem temporalem; unde mittere seipsum, est mani-  
festare seipsum, quod non est inconveniens.

5 Aliter sentiunt communiter Scotistæ dicentes; quod Pater mittit Filium; & Pater, & Filius mittunt Spiritum-sanctum; attamen, nec Pater mit-  
titur, nec Spiritus-sanctus mit-  
tit; quia inquiunt, quod per-  
sona mittens producit missam;  
& cum solus Pater producat  
Filiū; & Pater, & Filius Spi-  
ritum-sanctum producant; Spi-  
ritus-sanctus verò nullam per-  
sonam producat, nec Pater ab  
aliqua producatur; Hinc est,  
quod nec Pater mititur, nec  
Spiritus-sanctus mitit. Et in-  
supér, cum Filius non seipsum  
producat, neque etiam seip-  
sum mittit. Hac via probabi-  
lis est: Unde eligitur melio-  
rem.

6 Subt. Doct. in 1. dist.  
14. inquit: Licet autem hæc via videatur probabilis; tamen, quia auctoritates Aug. videntur sonare, quod Spiritus-sanctus mittit Filium, & Filius mittit se; & non tantum sonat de Christo homine missio; (ita respond. Scotistæ ex ipso Doct.) sed de Verbo eo missio, quia incarnando, & non iam incarnato, sicut ipse dicit, intel-  
ligitur missio ipsa incarnatio:  
Ideo potest teneri opinio Ma-  
gistrorum, hoc modo secundum Au-  
gust. 4. de Trinit. sic: *Mitti  
est de Filio cognosci, quod à  
Patre fit.* Ita Spiritum-sanctum  
mitti, est cognosci, quod ab illo procedit: *Mitti ergo est  
manifestari personam proce-  
dere, nec convenit omnibus  
personis, quia non omnes pro-  
cedunt; & mittere, est mani-  
festare, personam procedere;*  
*hoc manifestare, est merè com-  
mune;* quia tota Trinitas ma-  
nifestat personam proceden-  
tem procedere; sed manifes-  
tar personam procedere, con-  
notat personam procedentem.

7 Et si ista sunt significa-  
ta istorum vocabulorum, quia  
significata accipienda sunt ex  
usu authorum; sequitur, quod  
mittere est merè essentiale, nec  
connotat respectum realem  
aternum in mittente; sed mit-  
ti connotat respectum in per-

bona missa , quatenus manifestatur ejus processio æterna. Et posset quidem aliud verbum imponi , quod significaret manifestare personam procedere , & ejus passivum , quod significaret manifestari personam procedere , & illud activum esset commune tribus , passivum tantum competere duabus personis , quæ producuntur. Hucusque Doct.

8 Unde præoccupando difficultatem , concludit : Quod mitti dicit respectum rationis ad mittentem formaliter , sed connotat respectum æternum , non quidem ad mittentem , qua mittens , sed ad aliquem indistinctè ; :: hoc est ad producens , non in quantum mittens , quia etiam aliqua persona mittens potest esse non producens , licet producens semper sit mittens. Hucusque Doctor ; unde hæc via magis mihi placet.

9 Contra utramque arguitur sic : Quidquid est essentialie in divinis , convenit tribus : missio tam activa , quam passiva , est quid essentialie ; quia dicit respectum ad creaturas : ergo &c. Et conseq. convenit Patri. Item Salvator ait de Pâtre , & de seipso : *Ad eum veniemus , & mansionem apud eum faciemus*: Ergo Pater etiam veniet temporaliter. Item quilibet persona dat , & datur.

ergo pari ratione mittit , & mititur. Resp. ad 1. quod non omne dictum de Deo ex tempore est commune tribus , quando importat non tantum respectum ad creaturam , sed cum hoc connotat respectum intrinsecum , sicut est de mitti. Ad 2. concedo , quod venit invisibiliter , & inhabitat ; sed tamen non dicitur mitti , quia non habet de quo sit , seu procedat , quod notatur per mitti. Ad 3. neg. conseq. quia dare , & dari non includit talē respectum intrinsecum , qualem includit mitti.

10 Pro 2. parte tituli : Inquit D. August. 10. de Civitat. cap. 23. *Liberis verbis loquuntur Philosophi* ; nec in rebus ad intelligendum difficilis offendit religionem religiosarum aurium pertimescunt : Nobis autem ad certam regulam loqui fas est , ne verborum licentia etiam de rebus , quæ his significantur impiam gignat opinionem. Unde circa omnia Mysteria nostræ fidei , & præsertim circa hoc arcanissimum semper est utendum verbis , & propositionibus à PP. Concilijs , & Ecclesia usitatis ; tamen , ( ut bene advertit noster Ponciius) non est periculum aliquod timendum , quando addatur explicatio alicui verbo , minus in PP. usitato , quæ clarius ve-

ritatem ostendat doctrinæ locutus.

**Conclusio:** Tantum vallet in divinis prædicatio identica, quando, vel non est distinctionis formalis inter extrema, vel si est, unum saltem extremum est formaliter infinitum, ratione cuius infinitudinis postular identificari sibi omne componibile, adeoque & alterum extreum. Hinc resolvitur, primo; non rectè dici: Paternitas, aut Filiatio est spiratio activa; quia inter illa est distinctionis formalis, nec aliquid est formaliter infinitum. Ex quo sequitur à fortiori, non valere hanc propositionem: *Paternitas est Filiatio*; cum sit inter illas distinctionis realis, & nulla sit formaliter infinita.

**Resolvitur 2.** valere has propositiones in sensu reali: *Deitas est aeternitas; Sapientia est Paternitas; Justitia est Filiatio; Bonitas est Spiratio passiva, & activa;* Item *Pater est Deus; Deus est Pater; Essentia divina est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* Et sic de multis alijs, inter quorum extrema licet sit distinctionis formalis, unum tamen est formaliter infinitum. Dixi, & sic de multis alijs; quia non vallet universaliter omnis propostio, ubi unum extreum est formaliter infinitum. Sic licet

valeat, essentia divina vult, intelligit; non tamen valet; intellectus vult; voluntas intelligit: quia denotatur, intellectum esse principium immediatum volitionis; & voluntatem intellectio, quod non est verum: quando autem dicitur *Essentia vult, intelligit; tantum insinuatur, quod sit principium remotum, quod est verum.*

**Item** non valet: *Essentia divina generat, aut spirat;* sicut nec generatur, aut spiratur; quia primum denotat, quod sit principium *quod generationis, aut spirationis, quod est falsum:* propter quam rationem, nec rectè dicuntur; *Paternitas generat; Filiatio spirat.* Secundum vero denotat, quod Deitas producatur, quod est falsum. Contra hanc doctrinam, Abbas Joachim composuit libellum, quem obrulit Concil. Florentino, in quo dicebat, quod essentia in Patre generat; in Filio generatur; in Patre, & Filio spirat; in Spiritu sancto spiratur; Contra quem fuit decisâ controversia (his verbis), à Concilio Lateranensi.

**Nos autem** sacro approbante Concil. credimus, & confitemur cum Petro, scilicet, quod una summa res est essentia, vel natura divina, quæ nec

nec generat , nec generatur .  
Hæc propositio : Deus generat ; est vera , quia sumitur pro Pater ; & hæc Deus generatur , quia sumitur pro Filio ; & licet Pater , & generans sint idem formaliter , & valeat : Deitas est Pater , non valet ; Deitas est generans ; quia ex modo significandi differunt ; nam Pater significat per modum per se stantis , cum sit substantivum ; generans verò , quia participium , & adjectivum , significat formam per modum adjacentis , &

nequit generatio Deitati adjacere. Alia quām plurima , circa modum loquendi in hoc Mysterio , possunt videri apud Recentiores. Et hæc sufficient pro Sanctissimæ Trinitatis Tractatu , in quo si aliquid dictis , vel factis Sancta Romana Ecclesiæ adversum , seu dissonum irrepserit , illud ex animo revoco , ejusque correctioni , tanquam humili filius , me , & omnia mea , tam scita , quam facta subjicio.

\*\*\*

## TRACTATUS V.

### DE BEATITUDINE.

I. **S**'Anctorum prædestinatus est beatitudo æterna , seu æterna felicitas. Sed ut inquit D. Gregor. hom. 37. in Evangelia : Que autem lingua dicere , vel quis intellectus capere sufficit , illius supernae civitatis quanta sint gaudia : Angelorum chorus interisse , cum beatissimis spiritibus gloria conditoris assistere , presentem Dei vultum cernere , incircumspectum lumen videre , nullo mortis metu affici , incorruptionis perpetuae munere lætari ? Sed ad hæc auditæ inardescit animus , jamque illic cupit assistere , ubi se sperat

sine fine gaudere. Nec oculus videt ( inquit D. Paul. 1. Corinth. 2.) nec auris audivit , nec in cor hominis ascendit , que præparavit Dominus diligentibus se. Desiderari potest , ( inquit Div. Aug.) concupisci potest , suspirari potest ; verbis explicari non potest. Ad hunc igitur finem Deus Pater hominem condidit ; Filius redemit ; Spiritus sanctus sanctificavit : adeoque omnia , & singula Sanctissimæ Trinitatis opera ad extra in hunc unum scopum tendunt , ut homines , nempè , vitam habeant , & abundantius habeant. Et de hoc felicitatum abyssu ,

ul-

ultimæ quietis dulcissimo centro , statuque omnium bonorum aggregatione perfectissimo , hunc brevem tractatum instituimus.

2 Communiter AA. qui de beatitudine agunt , permultas hic præmittunt quæstiones , tam de bono in communi , quam de fine ut sic ; quid nempé , & quotuplex sit finis ? An finis sit vera , & propria causa realis ? An finis moveat secundum esse reale , vel secundum esse apprehensum ? Quæ sit causa finalis ; & qui ejus effectus ? Et alia hujusmodi , quæ omnia quanvis valde conducant ad intelligentiam hujus tractatus de beatitudine , consultò ab ipsis pro nunc absinremus ; quia jam omnia exagitata manent in nost. Philosoph. cursu , lib. 2. Physic. disp. 5. ibi videantur.

3 Solùm autem hic est advertend. cum nostr. Doctiss. Picazo , & cum nostr. Ilustr. Meriner. quod circ. beatitudinem multi fuerunt errores , & hæreses multæ. Primus error , & hæresis fuit Armenorum , asserentium , beatitudinem consistere in quadam claritate Divinæ Essentiæ , non verò in visione , aut fruptione ipsius Divinæ Essentiæ. Hunc errorem postea suscitavit Petrus Abailardus , & suo confixus ingenio , SS. PP. sententias contemnere cœpit.

4 Secunda hæresis ponebat beatitudinem in voluptate carnis. Ita Epicurus ; quanvis aliqui dicant , quod non in voluptate carnis , sed in voluptate animi , quæ in scientia , & virtute consistit , ipsum hominis beatitudinem possuisse ; aut certè , si aliquomodo in voluptate corporis possuit , non in illa sola , neque inordinata , sed simulum cum voluptatibus animi , & per rationem composita. Sed quidquid sit de Epicuro , conveniunt omnes , Aristippum Epicuri discipul. ac deinceps totam ejus Scholam , voluptates corporis solas prætulisse , qui neque providentiam , neque immortalitatem animi agnoscebant , & hominis felicitatem in hac vita dumtaxat , & similem pecoribus profitebantur.

5 Cum Epicureis sentit Cherintus hereticus temporibus Apostolorum , qui asseruit , felicitatem futuram post hanc vitam , quæ nobis per Christum promittitur , fore in delitijs carnis. A Cherinto partem erroris acceperunt , qui vocati sunt Millenarij , qui dixerunt , post resur rectionem regnaturum esse Christum cum Sanctis in hoc mundo , in omni felicitate temporali ; diversa tamen ratione , quam Cherintus , (ut notat Castro. Verb. beatitudo , hæres. 2.) nam Millenarij post mil-

mille annos illius temporalis beatitudinis, agnoscebant beatitudinem æternam; Cherintus vero nullam aliam præterquam in voluptatibus corporis. Et præterea Millenatij, & si concederent temporalem illam fœlicitatem, sed rationi consonam; Cherintus autem omnia obsecnam, & fœdis voluptibus plenam. Cherinto, & Epicureis consensit Mahometes, qui similem fœlicitatem suis sequacibus promisit.

6 Alius error fuit Stoicorum, Platonicorum, & Peripateticorum. omnes enim isti Philosophi affirmabant, beatitudinem hominis in virtute, & ejus objectis consistere; differebant tamen Plato, & Aristoteles ab Stoicis, 1. quod Stoici illam constituebant in virtute morali, & activa, speculationem pro nihilo ducentes; Aristot. vero, & Plato præcipue in contemplatione altissimarum rerum eam collocarunt. 2. differunt, quod Stoici adeo jaſtabant, se solam virtutem in pretio habere, ut bona corporis, & fortunæ censerent indigna nomine bonorum respectu beatitudinis; Plato autem, & Aristot. admittebant in partem beatitudinis aliquid de bonis corporis, & fortunæ, quatenus, nemp̄, hec bona poterant esse instrumenta fœlicitatis, exhibendo aliqua-

rum virtutum materiam, ut liberalitatis, & beneficentia, & sumptus suppeditando ad studiorum, & speculationis subsidia. Sed contra hos, & alios quam plurimos errores militat Catholica fides, docens, quod in nulla re creata potest esse hominis beatitudo objectiva, sed in solo Deo Vivo, & Vero. Pro quo sit

### DISPUTAT. PRIMA.

#### DE BEATIFICA VISIONE.

**C**ONTRA præfatos errores sunt sequentia Sacrae Scripturae loca S. Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ps. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et 35. *Apud te est fons vite, & in lumine tuo videbimus lumen.* Exodi 33. inquit Moys. *Ostende mihi faciem tuam, & respondit Dominus, ostendam tibi omne bonum.* Joann. 17. *Hæc est vita eterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Matth. 15. *Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui.* Ps. 35. *Torrente voluptatis tuae potabis eos.* Ps. 102. *Beata gens, cuius Dominus Deus ejus.* Ps. 32. *Beati, qui habitant in domo tua Domine.* Hæc est vita eterna, inquit Christus, *ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Do-*

*Dominum J̄esum - Christum.*  
*Joann. 17. Cantic. 3. Inv. ni*  
*quem diligit anima mea, tenui*  
*eum, nec dimittam. Joann. 1.*  
*Canonica: Nolite diligere mun-*  
*dum, nec ea quæ in mundo sunt;*  
*quia in his, scilicet, appetitus*  
*vester satiari non potest, sed in*  
*solo Deo. Et Jacob 1. Omne da-*  
*tum optimum, & omne donum*  
*perfectum desursum est descen-*  
*dens à Patre lum̄num. Sic etiam*  
*loquunt. SS. PP. Aug. lib. 19.*  
*de Civit. Dei, cap. 26. Ut vita*  
*carnis anima est, ita beata vi-*  
*ta hominis Deus est. Lib. 12. c.*  
*1. Quanvis non omnis creatura*  
*possit esse beatia, et tamen, que*  
*potest, non ex se ipsa potest, sed*  
*ex illo à quo creata est. Ambros.*  
*lib. 2. Offic. cap. 1. Vitam ater-*  
*niam praestare non potest, nisi*  
*author aeternitatis. Irængus, lib.*  
*3. cap. 22. Gloria hominis est*  
*Deus. Nunc autem dubitatur,*  
*an formalis nostra beatitudo*  
*consistat essentialiter in sola vi-*  
*sione Dei, vel in sola fructione,*  
*vel in utrisque simul. Pro quo*  
*fit*

## QUÆST. I.

*IN QUO BEATITUDO*  
*nostra formaliter con-*  
*sistat?*

1 **P**ro decisione ques-  
tionis præmitten-  
dum est i. quod beatitudo sic

*Tom. I.*

à Boetio 3. de Consol. definitur:  
*Est status omnium bonorum*  
*aggregatione perfectus. Et ab*  
*Arist. 5. Ethic. cap. 4. descri-*  
*bitur sic: Est summum bonum*  
*hominis. Quæ definitio nedum*  
*comprehendit beatitudinem ob-*  
*jectivam, uti est Deus; verum,*  
*& formalē, ut est Del conse-*  
*cutio. Utraque enim beatitudo*  
*unam integrā beatitudinem*  
*componit; formalis enim beatitudo*  
*sine objectiva, & hæc sine*  
*formali nos beatificare nequit;*  
*cum potentia non fruatur ob-*  
*jecto, nisi medio actu; neque*  
*actus sit fruitio, nisi alicuius*  
*objecti.*

2 Præmittend. est 2. cum  
Scot. in 4. d. 49. q. 2. §. de  
secundo, quod nostra objecti-  
va beatitudo est solus Deus.  
Ratio est, nam beatitudo objec-  
tiva secundum PP. & Philoso-  
phos deberet esse bonum satians,  
& quietans voluntatem: sed so-  
lus Deus hoc facere potest: er-  
go, &c. Utgetur; quia objec-  
tum intellectus, & voluntatis  
est ens: ergo ista potentia so-  
lum in summo ente quiescere  
possunt: sed solus Deus est sum-  
mum ens: ergo & nostra objec-  
tiva beatitudo. Hoc declarat  
Scotus exemplo visus, qui in  
solo pulcherrimo visibili quies-  
cit. Quare creatura rationalis  
quietari nequit in aliqua crea-  
tura, neque in omnibus in es-  
**Bbbb** **sen-**

sentia visis , cum creaturarum visio non ad beatitudinem objectivam essentialē , sed accidentalem pertineat-

3 Præmittend. est 3. quod hic agimus de beatitudine, sumpta pro illa operatione, quæ immediate , & ultimate objectum beatificum attingit ; qua in acceptione distinguenda est duplex beatitudo formalis ; una naturæ intellectualis , quæ est beatitudo simpliciter ; & alia potentia , quæ est beatitudo secundumquid. Cum enim natura intellectualis non sit immediate beatificabilis , sed hoc solum ei competit medijs ipsius potentij , quæ suis operationibus immediate attingunt objectum beatificum : stare quidem potest , quod una potentia in sua linea immediate , & ultimè attingat beatificum objectum , ac proindè in sua linea sit beata , & nihilominus , quod natura intellectualis non sit beata simpliciter. Unde triplex beatitudo admittenda est : 1. naturæ intellectualis , quæ est simpliciter beatitudo , & alia duæ intellectus , & voluntatis , quæ sunt beatitudines secundumquid , nempe , potentiarum. His præmissis , sequentes per conclusiones contrarias sententias proligabimus , mentemque scoticam fideliter aperiemus. Igitur sic :

4 Conclusio 1. nostra for-

malis beatitudo non consistit in aliquo illapsu Deitatis in essentiam animæ , illam penetrante , & deificante per circumfessionem. Sic Scot. & ferè omnes contra Henr. Prob: quia hic illapsus est aliquid ad extra ; ergo assignandum est aliquid ad extra , in quo consistat : sed hoc assignari nequit : ergo , &c. Prob. min. in primis enim non potest consistere in illapsu generali , quo Deus est in omnibus creaturis immensivè ; nam aliàs , omnes creaturæ , etiam inanimatae beatæ essent. Neque consistere potest in aliqua speciali unione naturæ divinae cum nostra anima ; hic enim illapsus , seu specialis unio , vel esset accidentalis , vel substantialis ? Non substantialis ; quia summa unio substantialis excogitabilis inter naturam divinam , & humanam est hypostatica unio ; sed per istam unionem precisè non fuit beata humanitas Christi D. ut in proprio loco dicemus : ergo , &c. Non accidentalis ; nam si excipias uniones factas per actus intellectus , & voluntatis , nullam aliam unionem cum Deo accidentalem invenies : ergo , &c. Ac denique non consistit in unione gratiae habitualis ; nam hæc unio non reddit habentes gratiam formaliter beatos : ergo seclusis operationibus intellectus , & volun-

Iunctatis nulla apparet unio naturæ divinæ cum nostra anima; in qua formaliter nostra beatitudo consistere possit: consequenterque in aliquo illapsu consistere nequit. Urgetur: beatitudo creature secundum proportionem, quæ servari debet consistit in eo, in quo beatitudo Dei in se ipso consistit: sed hæc non consistit in identitate objecti beatifici ad se ipsum, sed in operatione ipsius Dei: g. pariformiter nostra formalis beatitudo non consistit in illapsu divinæ essentia in animam nostram, sed in aliqua hujus operatione.

5 Arg. contra hoc ex Div. Dionys. cap. 7. de Cœlest. Hier. ubi affirmat, quod amans transformatur in rem amatam: sed Deus perfectissime amat beatos: erg. transformatur in illos; consequenterque in illos illabitur; idem enim est transformari, ac illabi. Et hoc etiam urgetur manifesto exemplo de ferro ignito. Resp. cum Scot. in 4. d. 49. q. 2. §. ad istam, quod hujusmodi locutio est metaphorica, ex eo, quod amans magis est in re amata, quam in se ipso; juxta commune D. August. affatum: *Anima plus est ubi amat, quam ubi amatur*: amans enim parvipendet suum esse in operatione amati. Non tamen ex hoc se-

quitur illa p̄sus intentus, in quo formalis nostra beatitudo consistat; alioquin talis illapsus daretur in hac vita, & præcipue in SS. Dei Genetrice Maria, quæ semper, & plūs quam omnes beati fuit à Deo dilecta. Neque exemplam de ferro ignito est ad rem; dupliciter enim fieri potest, quod ferrum sit ignitum; 1. quia in se habet accidentia propria ignis, nempe, calorem, splendorem, &c. & hoc modo etiam anima habet accidentia supernaturalia, ut gratiam, charitatem, &c. 2. modo; quia ferrum habet alias partes porosas, in quibus vere est substantia ignis; & hoc modo non est Deus in beatis, sed tantum in Christo D. excepta permixtione, quæ in illo non fuit reperta, qualiter est inter ferrum, & ignem. Primo igitur modo, & non 2. est Deus in beatis, sed non in hoc consistit eorum formalis beatitudo, ut per se patet.

6 Conclusio 2. nostra formalis beatitudo non consistit in operatione increata Dei. Hęc conclus. procedit contra aliquos, & presertim Parisienses. Probatur; quia repugnat adhuc de potentia absoluta, creaturam beatificari increata Dei operatione: g. &c. Prob. anteced. quia operatio vitalis,

cujuſmodi ſunt operationes intellectus, & voluntatis, nequit conſtituere aliquod ſubjectum operans, niſi vel per identitatem realem cum illo, ut in diuinis evenit; vel per intrinſecam informationem, ut contingit in creatis: ſed implicat, quod increata operatio Dei realiter identificetur cum aliqua creature, aut cum potentijs iſtius, ut per ſe patet; & implicat etiam, quod talis increata operatio intrinſece informet aliquam creaturem, aut ejus potentias: erg. &c. Prob. 2. min. pars: nam talis informatione involvit imperfectionem repugnantem ſummae actualitati; nam eo ipſo haberet ratione in partis conſtituentis ſimul cum ſubjecto, quod informat aliquid totum, vel ſubſtantiale, vel accidentale: quod omnino Deo repugnat: erg. &c. Unde cuncti Theologi, ethi concedant Deum ſupplere poſſe causalitatem cauſæ efficientis; minimè autem admittunt poſſe ſupplere causalitatem cauſæ materialis, vel formalis: g. in operatione increata Dei noſtra formalis beatitudine conſiſtere non poſteſt. Urgetur; nam noſtra formalis beatitudine eſt adeptio ſummi boni: ſed operatio increata Dei non eſt adeptio noſtra, ſed res à nobis adepta cum realiter ſit ipſe Deus: erg.

operatio increata Dei non eſt noſtra formalis beatitudo.

7 Arg. 1. contra hoc: noſtra beatitudo debet eſſe ſummu m bonum: ſed operatio noſtra non eſt ſummu m bonum, eſt enim accidens, & quid imperfectius anima: erg. non ſummu m beati operatione noſtra, ſed operatione increata Dei. Respond. quod ex eo, quod noſtræ operationes ſint accidentia, ac proinde quid imperfectius ipſa anima, ſolum infertur, non poſſe operationes noſtras eſſe ſummu m bonum objectivum, ſeu objectum quod noſtræ beatitudinis, quia hoc debet eſſe infinitum; non verò infertur, quod in iſpis non poſſit conſiſtere beatitudo formalis noſtra, & quæ dici ſolet beatitudo, ut quo; quia ad beatitudinem noſtram formalē, & ut quo non requiritur, quod in ratione ſua entitativa ſit ſummu m bonum, & infinitum, ut quod; ſed quod ſit noſtrum ſummu m bonum, ut quo, id eſt, quo ſummu m bonum, ut quod, vitaliter adipiſcitur. Et hujusmodi eſt noſtra vitalis operatio, qua Deum beatificē conſequimur.

8 Arg. 2. Suppoſitum diuinum fuit unitum Christi D. humanitati, & verè hac increata illius ſubſtentia ſubſiſtit: g. etiam poterit operari opera-

ratione increata. Urgetur; nam divina essentia unitus intellectui beatorum in ratione speciei impressæ intelligibilis: g. etiam divina operatio poterit uniri. Respond. neg. conseq. disparitas enim stat in hoc; quod, ut humanitas subsistat subsistentia increata non est necessarium, quod subsistentia uniatur humanitati per intrinsecam informationem, ( sicut esset in divina operatione, cum hæc sit actus vitalis ad hoc, ut beati formaliter bearentur ) sed satis est, quod suppositalitas humanitati uniatur per terminacionem extrinsecam dependentiæ, quam humanitas habet in esse suppositi à sua personalitate: qua ex terminatione extrinseca nulla D. Verbo advenit imperfæctio. Ad confirm. neg. etiam paritatem: ad hoc enim, ut divina natura suppleat vices speciei impressæ non requiritur, quod uniatur intellectui beati illum intrinsecè informando ( sicut requiritur quod uniatur visio, seu species expressa à qua beati formaliter beantur ) solum requiritur, quod simul cum intellectu beati efficienter concurrat supplendo suo concursu effectivo id, quod præstaret species impressa, si adesset respectu productionis speciei expressæ, seu visionis beatifica: quod nullam

imperfectionem involvit, ut in ratione nostræ conclusionis dicebamus.

9 Instabis: si adesset species impressa Divina Essentia intrinsecè informaret intellectum beati: ergo Divina Essentia supplet vicem suæ speciei media informatione. Respond. neg. conseq. nam intrinseca informatio, seu inherentia respectu muneric speciei impressæ est quid per accidens, potitusque extraneum, proprium enim, & intrinsecum munus speciei impressæ est simil cum intellectu concurrere ad productionem speciei expressæ, seu cognitio- nis formalis: inhærere autem, & informare intellectum dumtaxat illi per accidentem congruit; eo nimis, quia cum sit accidens nequit naturaliter existere extra subjectum. Ut bene docet Scot. in 1. d. 3. q. 7. §. ad question. & in 4. d. 12. q. 3. §. ad principales, quod idem munus potest divina natura supplere sine informatione, cum sit substantia infinita per se existens, & subsistens. Nota hic: quod quando D. Aug. dicit, nos esse beatos operatione, qua Deus beatus est, solum intendit, quod eadem est nostra beatitudine, & Dei operatio ex parte objecti, non verò formaliter secundum entitatem operationis. Et cum dicit, quod operatio beata est sum-

summum bonum , intelligitar de summo bono nostro, non vero de summo bono absolute; hoc enim est proprium entitatis divinae ; potest tamen aliquid creatum esse summum bonum nostrum , non ut objectum , sed ut possessio , & consecratio summi boni , & sic sunt visio , & fruitio Dei , ut dicebamus supra.

10 Conclusio 3. nostra beatitudo est actus secundus , seu operatio vitalis , non vero aliquis habitus. Sic Doct. in 4. d. 49. §. ad questionem , & communiter omnes contra aliquos , quos citat Seraph. Doct. Prob. conclusio ; nam nostra beatitudo formalis , sive sit naturalis , sive supernaturalis , ex sua intrinseca ratione habet , quod sit vita ; sed non potest consistere in vita substantiali , cuiusmodi est effectus formalis animæ , alioquin omnia vivætia essent formaliter beatæ , quod absurdum est : ergo necessarium fatendum est , quod consistit in vita accidentalí , qualis est vitalis operatio ; nam præter vitam substantialē , & accidentalem non est dabilis alia. Prob. maj. quoad 1. partem , ex Aristot. 9. metaphysic. textu 16. ubi inquit : *Felicitas vita quadam est.* Prob. quoad 2. part. nam supernaturalis beatitudo appellatur *vita æterna*. Et Joann. 17. ait Christus ad Patrem : *Hac est*

*vita æterna , ut cognoscant te Deum verum;* ergo quævis beatitudo nostra habet ex sua formali ratione , quod sit vita ; consequenterque , &c. Urgetur: quia nostra formalis beatitudo consistit in participatione , & possessione beatitudinis objectivæ , nempé Dei : sed vera participatio , & possessio alicujus objecti nequit haberi , nisi per operationes vitales tendentes in tale objectum , & participantes bonitatem ipsius : Unde dicimus , quod incapax rationis beari non potest : ergo in aliqua operatione nostra formalis beatitudo consistit. Quod autem talis beatitudo non sit habitus , ostenditur sic : nam beatitudo debet esse ultima perfectio non ordinabilis ad aliam ; sed habitus ordinatur ad actum , iste vero ad nullam aliam perfectionem ordinatur , sed immediate assequitur objectum beatificum : ergo nostra formalis beatitudo in habitu consistere nequit.

11 Arg. contra hoc : Beatitudo debet consistere in perfectione : sed lumen gloriæ est perfectius , quam visio , seu operatio vitalis : erg. beatitudo in lumine , & non in operatione consistit. Prob. min. nam lumen est causa æquivoca visionis : sed causa æquivoca visionis est perfectior effectus : erg. &c. Resp. cum Scot. quod ac-

tus est simpliciter perfectior habitu, etiam in ratione perfectionis finalis: actus enim immediate attingit objectum, nempe finem; & ita in actu, ut in perfectiori, collocanda est beatitudo: unde negatur min. Ad cuius probationem respond. ergo, disting. maj. est causa partialis, conc: totalis, neg: maj: disting. etiam min: causa aequivoca totalis est perfectior effectu, conc. causa aequivoca partialis, neg. min. & conseq. Patet hoc in specie impressa, quæ cum sit causa aequivoca partialis cognitionis, est imperfectior illa.

12 Dices: Lumen gloriæ petit creari à solo Deo: sed visio producitur ab intellectu creato: erg. illud est perfectius ista. Confirm. ex Arist. 3. top. cap. 1. dicente: Bonum diuturnius perfectius est, quæm bonum cito transiens: sed actus cito transit, secus habitus: erg. &c. Respond. neg. consequent; nam quod lumen exigat produci à solo Deo, non provenit ex majori perfectione; sed quia est habitus insusus. Præterquam quod, si exigentia ad produci à solo Deo, majorem argueret perfectionem, materia prima esset perfectior, quæm actus virtutum Theologalium; hi enim à nobis eliciuntur; illa vero à solo Deo produci po-

test. Ad confirmat. respond. anteced. esse verum, cæteris partibus, quæ in præsenti non sunt; nam actus excedit habitum in aseccutione, & attingentia objecti, habetque perfectiores differentias, quæm habitus. Deinde actus beatificus est æquè diuturnus, ac habitus, cum semper duret, ut per se constat.

13 Conclusio 4. nostra formalis beatitudo non in pluribus, sed in unico actu consistit. Sic Scot. in 4. d. 49. q. 3. §. ad quæstionem, quem sui discipuli sequuntur contra aliquos Jesuitas. Probat. conclusio: nam objectum beatificum, nempé, Deus, est unicum, & simplex: erg. actus bonus debet esse unicus, & simplex. Patet conseq. & si enim Deus habeat plures formalitates, hoc non obstat, cum formalis beatitudo consistere debeat in attingentia perfectissimi objecti: sed ista solum est in unica operatione, ut in sexta conclusione dicimus: erg. in illa sola formalis nostra stat beatitudo: Urget nam essentia, & quidditas formalis beatitudinis naturæ intellectualis consistit in perfectissima aseccutione, & possessione ultimi finis; seu beatifici objecti, quæ illi medijs suis potentij convenire potest: erg. talis beatitudo in sola una ope-

ratione intensivè , & essentialiter consistit. Conseq. est bona: nam duæ assequitiones , & pos- ssessiones ultimi finis distinctæ in specie , non sunt æqualiter perfectæ respectu ejusdem na- turæ , sed una necessarió excede- dit aliam , juxta illud Philo- sophicum axioma : *Species sunt sicut numeri;* id est , una necessarió est perfectior alia e.g. illa assequitio beatifici objecti , quæ fuerit perfectior , quæcumque illa sit , erit in qua beatitu- dino naturæ intellectualis inten- sivè , & essentialiter consistit ; reliquæ verò solum erunt requisite ad integratatem beatitudinis , vel antecedenter , vel consequenter juxta diversa pla- cita infra examinanda.

14 Arg. 1. ex Benedicto XII. in extravag. dicente , quod *Animæ SS. ex visione , & frui- tione sunt verè beatæ.* Idem de- finitur in aliquibus Concilijs: ergo in pluribus operationibus stat nostra beatitudo. Respond. quod Pontifices noluerunt de- finire , in quo formaliter beatitudo consistat ; dixerunt tan- tū , quod in bearis reperitur duplex operatio ; in quanam autem harum formaliter beatitudo consistat , neque Pontifi- ces definivint , neque CC. ad eorum enim munus iste meta- physicus disputandi modus nul- latenus attinet. Dicamus ergo ,

quod in utraque operatione stat nostra beatitudo , tametsi in una formaliter , essentialiter , & intensivè ; in alta verò præsup- positivè , antecedenter , vel con- sequenter .

15 Arg. 2. nostra formalis beatitudo , essentialiter , & quid- ditativè consistit in perfectissima Dei assequitione: sed per- fectissima Dei assequitio ne- quit haberi , nisi per utramque operationem , nempe intellec- tutis , & voluntatis , ut in 3. notabili innuebamus , ex eo , quod utraque potentia in sua linea est beata : erg. utraque opera- tio ad essentiam beatitudinis spectat. Respond. neg. conseq. ex præmissis enim potius op- positum infertur ; nam etsi utra- que operatio assequatur Deum , perfectius tamen una , quam alia assequitur illum. Ex hoc disting. min. perfectissima asse- quitio nequid haberi , nisi utra- que operatione , si sermo sit de assequitione integrali , & quæ dici solet beatitudo extensiva , conc. si sermo sit de assequitio- ne essentiali , & quæ dicitur beatitudo intensiva , neg. min. & conseq. Unde patet ad instan- tiat factam ex 3. notabili : & si enim ad beatitudinem exten- sivam , seu integralem requira- tur , quod utraque operatio exerceatur ; non tamen utraque formalitet requiritur , sed alte- ra

ra antecedenter , & præsuppositivè ; altera verò quæ est perfectior , essentialiter , & formaliter .

16 Conclusio 5. nostra formalis beatitudo consistit formaliter in actu voluntatis . Sic Scot. in 4. d. 49. q. 4. §. *Fuxta questionem* , vers. *Contra istud* , quem major suorum discipulorum pars sequitur . Prob. i. conclusio ex D. Aug. lib. de Moribus Ecclesiæ , cap. 14. dicente : *Esse beatos nihil aliud est, quam inhærente summo bono, quod est Deus solus, cui inhærente non valemus, nisi dilectione, amore, & charitate: erg. &c.* Urgetur , ex Doct. ubi suprà : Beatitudo objectiva est ultimus finis , ad quem cætera ordinantur : erg. & beatitudo formalis erit ad quam alia diriguntur : sed ad velle omnia diriguntur : erg. actus voluntatis est beatitudo formalis . Prob. min. quia omnis cognitione præcedit volitionem , & ad volitionem ordinatur , non autem è converso , ut per se patet : quod expressit D. Anselm. lib. 2. *Cur Deus homo* , cap. 1. dicens : *Perversus ordo, amare, ut intelligas: rectissimus verò intelligere, ut ames:* sed actus cognitionis beatificæ est rectissime ordinatus : erg. quod ad actum amandi dirigatur necessè est ; consequenterque , &c.

*Tom. I.*

17 Prob. 2. ex ipso Doct. sup. alleg. §. *Fuxta hoc* ; nam nostra formalis beatitudo collocanda est in actu perfectiori ; est enim beatitudo summum bonum nostrum ut quo: sed actus perfectior ex his , quos elicit natura intellectualis , est actus charitatis : erg. in actu charitatis consistit formaliter beatitudo . Major est commune omnium Theologorum placitum , Prob. autem min. ille actus est perfectior , qui à perfectiori procedit principio: sed principium actus charitatis , & est charitas , quæ est major omnium virtutum ; & est voluntas , quæ est perfectior potentia , quam intellectus , ut in libris de anima consequenter dicimus Scotista : erg. actus charitatis est omnium actuum perfectior ; consequenterque , &c. Urgetur : quia in eo actu principalius videtur constituta beatitudo , quem nos magis desiderare debemus , & quem ipse Deus magis exigit à nobis : sed juxta rectum rationis dictamen principalius debemus desiderare amare Deum perfectissimè , quam ipsum perfectissimè cognoscere ; & hoc idem Deus à nobis exigit in via , nosque magis ad amorem , quam ad aliam perfectionem hortatur : erg. cum hæc sit maxima , & maximè satiativa hominis per-

Cccc fec-

fectio, in illa constituenda est beatitudo, potius quam in visione, seu cognitione Dei.

18 Arg. 1. ex illo Joann. cap. 17. ubi dicitur : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te:* erg. in cognitione Dei stat beatitudo. Respond. cum Scot. ubi supra, quod cognoscere Deum dicitur vita, eo, quod est actus intellectus, qui juxta Aristot. 12. Metaphys. dicitur vita. Et si ad illa verba : *Hæc est vita, addas, beata;* etiam ego (inquit Scot.) ad illa verba; *ut cognoscant te, addam hæc;* & *ament te.* Nec magis opponitur textui hæc secunda additione, quam prima. Deinde, & generalius respond. quod quando Scriptura, & PP. dicunt beatitudinem consistere in visione Dei, non intelligitur formaliter, sed antecedenter, seu presuppositive; utuntur autem magis visione, quam amore; quia per visionem melius explicatur status viae distinctio a statu patriæ, cum in via reperiatur amor, & etiam in patria; non tamen reperitur visio in via, sed tantum fides, seu obscura cognitio.

19 Arg. 2. formalis beatitudo consistit in assequitione Dei: sed visio, & non amor est Dei assequitio: erg. &c. Prob. min. quia amor tendit, tam in rem praesentem, quam

in absentem: erg. non est possessio rei; sed visio est circa rem praesentem: erg. est possessio. Unde D. August. lib. 83. quest. 35. inquit: *Nihil aliud est, Deum habere, quam nosse:* erg. visio est assequitio, & possessio. Respond. disting. min. per visionem est objectum praesens, in imagine, & specie, conc. in possessione, quæ est major adeptio, neg. min. Igitur per visionem res fit praesens, ut per amorem possideatur; nam ad possessionem requiritur praesentia, & ita amor rei praesentis est beatitudo, cum teneat objectum, ut est in se. Ad D. August. dicinus, quod etiam ipse affirmat, Deum teneri, & consequi per amorem; nam 1. de Libero Arbit. cap. 13. loquendo de vita æterna, inquit: *Ipsum velle nil aliud est, quam habere.* Et cap. 14. ait: *Beata vita debetur voluntati.* Unde illa ejus authoritas contra nos allata, debet intelligi causaliter, ista vero formaliter. Denique, Deum habere per fidem, nil aliud est, quam noscere, & tamen sic nosse non est beatitudo: erg. &c.

20 Arg. 3. beatitudo nostra est summa felicitas: ergo consistit in opposito summa miseria: sed summa miseria est carentia visionis, quæ vocatur

pœna damni : ergo summa felicitas , & beatitudo stat in visione Dei. Urgetur ; quia per visionem atrahitur objectum infinitum , & per amorem fertur beatus in Deum : ergo in visione summa felicitas , & beatitudo consistit. Resp. ad argum. disting. min. est carentia visionis originative , & antecedenter, conc. formaliter, neg. min. formaliter enim est carentia amoris beati. Et licet dicatur, pœnam damni consistere in carentia visionis Dei , non inde infertur , quod in visione stet formaliter beatitudo ; sed dicitur sic ; eo, quod est primum donum beatificum , quo ablato, cetera corrunt. Ad confirm. respond. quod etiam per amorem trahitur res amata , & quidem perfectius ; nam amore recepto in voluntate , est amabilitas objecti in illa ; & quidem perfectius , quam per cognitionem , siquidem , ut ex dictis constat , actus amoris perfectior est , quam cognitionis actus.

21 Conclusio 6. nostra formalis beatitudo consistit in actu voluntatis , qui dicitur fruitio: quæ sic definitur à D. Aug. lib. 1. de Doctr. Christian. cap. 4. *Eft amore inbærere alicui propoter se.* Sic Scot. in 4. d. 49. q. 5. §. ad questionem , quam omnes Scotisti sequuntur contra

Thomist. Prob. nostra conclus. quia (ut apud omnes est certum) formalis beatitudo consistit in formali possessione beatitudinis objectivæ : sed fruitio est formalis possessio beatitudinis objectivæ , & principalior visione : ergo beatitudo formalis consistit in fruitione. Prob. min. quia voluntas per actum amoris , seu fruitionis , ita rem assequitur , ut eam suam faciat , quod non facit intellectus ullo actu suo ; nam amore amicitia amicus fit alter ego: ergo amor , seu fruitio est possessio objecti beatifici. Prob. anteced. quia per actum amoris magis tenetur , & possidetur Deus à beatis , quam per actum visionis ; juxta illud sponsæ dictum , cap. 3. *Inveni quem diligit anima mea;* *tenui eum , nec dimittam.* Urgetur : nam assequutio per actum intellectus circa objectum praesens non sic immediatè conjungit ultimo fini , ut in eo sit quies perfecta , quoadusque accedat actus amoris , qui dicitur fruitio : ergo eti actus intellectus prærequiratur ad beatitudinem ; hæc formaliter istat in fruitione. Prob. anteced. quia actus intellectus non sic immediatè conjungit fini , ut excludat omnem aliam mediationem alterius propinquioris fini ; non enim excludit actum amoris eliciendi circa rem præsentem , im-

mo intimir est unio , & conjunctio per actum amoris in objectum præsens , juxta illud D.Dion. de Angelica Hierarch. cap. 7. *Voluntas sic attingit amatum , sic illi se copulat :: ut verius amans amatum , quam ipse , unum facit cum amato.* Et quanvis hæc sit metaphorica locutio , significat tamen maiorem , & perfectiorem unionem voluntatis cum objecto beatifico , quam fit per actum intellectus , ut advertit Scotus.

22 Prob. 2. concl. excludendo reliquos voluntatis actus : nostra formalis beatitudo non consistit in actu amoris concupiscentiæ : ergo in actu amoris amicitiæ , seu fruitionis. Prob. anteced. quia actus concupiscentiæ non est , neque esse potest primus actus voluntatis respectu finis , sicuti est actus amicitiæ : ergo si essentia beatitudinis formalis in aliquo actu voluntatis consistit , non in actu concupiscentiæ , sed in actu amicitiæ collocanda est. Patet anteced. nam prius est , quod aliquid objectum diligatur , ut bonum in se , quam quod diligatur , ut bonum mibi , ut per se constat : ergo , &c. Urgetur 1. quia actus amicitiæ convenit voluntati , secundumquod habet affectionem justitiæ ; actus verò concupiscentiæ convenit illi , secundumquod habet affec-

tionem commodi : sed affectio justitiæ est nobilior , quam affectio commodi : ergo in actu amicitiæ , seu fruitionis beatitudo formaliter consistit. Patet min. nam cum affectio justitiæ sit moderatrix , & regulatrix voluntatis solùm competit illi , in quantum libera est ; secus verò affectio commodi , cum hæc posset ei convenire , etiam si libera non esset , ut de facto convenit brutis. Urget. 2. nam actus amicitiæ tendit in objectum , ut in se est bonum ; actus verò concupiscentiæ , ut est bonum mibi : sed nobilius est objectum in se , quam ab aliquo habito , nam saltem illa habitio objecti ad habentem , quæ est formalis ratio in objecto , ut concupito diminuit ab illa perfectione objectiva , quam habet tale objectum bonum , ut est in se : ergo beatitudo formaliter stat in actu voluntatis , qui dicitur fruitio , seu amicitiæ. Ut argum. contra hanc conclus. facile solvas , & ut alios voluntatis actus merito à ratione formalis beatitudinis excludi cognoscas , sequentia corollaria , dubiumque infra ponendum attente adverte.

\*\*\*      \*\*\*      \*\*\*

\*\*\*      \*\*\*

\*\*\*

**DUBIUM INCIDENS,**  
seu Corollar.

23

**E**X dictis infertur 1. neque delectationem, neque gaudium esse de essentia beatitudinis. Patet hoc; nam beatitudo est essentialiter operatio: sed delectatio, & gaudium non sunt operationes: ergo &c. Prob. min. nam delectatio, & gaudium sunt passiones consecutæ ad beatitudinem: erg. non sunt operations. Antecedens est Scot. in 1. d. 1. q. 3. dicentis, quod delectatio realiter differt ab operatione. Et in 4. d. 49. q. 7. inquirit ex professo, an gaudium sit de essentia beatitudinis? Et concludit, quod non: ea precisatione, quod non est operatio, sed passio. Urgetur; nam delectatio, & gaudium sunt de Deo, quatenus viso, & amato, ita ut ratio formalis objectiva non sit sola bonitas Dei, sed etiam visionis, & fruitionis, ut nobis Deum conjungentes, tamquam summum bonum nostrum: ergo non immediate respicit, & attingit objectum beatificum; consequenterque &c.

**24** Infer. 2. Securitatem, & perpetuitatem non esse de essentia beatitudinis. Supponimus hic, contra aliquos Hæreticos, beatitudinem esse perpetuam,

& inamissibilem, necnon, & beatos esse securos de tali perpetuitate; alias enim comparetur timor, & metus cum statu felicissimo, qui maximè illi opponitur. Hæc illatio est Scoti, & omnium Scotistarum. Probatur ab ipso, ubi sup. q. 7. nam securitas presupponit certitudinem de continuatione beatitudinis: sed illa apprehensio certa subsequitur totam entitatem beatitudinis; ergo non est de ejus essentia. Maj. est manifesta, & min. probat, qua talis certitudo non est actus tendens in objectum beatificum, sed reflexus super actum beatificum; proindeque tota beatitudinis entitas essentialiter poterit stare sine certitudine: ergo multò magis sine securitate. Prob. de perpetuitate ex Scot. prealleg. §: de *Tertio dubio*; nam quæcumque perfectio eadem permanens, ita perfecta, & æqualis potest esse durans per unum instans, ac si per multum tempus duraret; sicut æquè perfecta est albedo unico die durans, ac quæ pluribus annis duraret: ergo beatitudo unius dici erit ita essentialiter perfecta, ac quæ in æternum est duratura. Urgetur; nam beatitudo est ab intrinseco corruptibilis: ergo non est essentialiter perpetua. Antecedens est Scot. & prob. ab ipso; quia beatitudo est fruitio libera: ergo

go potest deficere ; eo , vel maximè , quia Deus liberè movere potentiam ad actum beatificum nostrum : ergo liberè potest non movere; erg. actus beatificus essentialiter potest cessare saltem miraculose; consequenterque &c.

25 Infer. 3. contra Millenarios ; de fide esse , quod animæ justorum non expectant resurrectionem corporis , ut beatificantur , sed statim , ac expiatæ , seu purificatæ sunt post mortem , Deum intuitivè vident , illoque fruuntur. Sic definit Benedictus XII. in extravag. de hoc edita. Prob. ratione ; nam promptior est Deus ad remunerandos bonos , quam ad puniendos malos : sed mali decedentes in peccato mortali statim puniuntur ea omni pœna , qua in æternum cruciabuntur , quantum ad animam : ergo multò magis boni decedentes in gratia sanctificante ea omni beatitudine coronantur , qua in æternum gaudebant. Urgetur ex illo Jacob. cap. 1.  
 „ Beatus vir , qui suffert tentationem ; quoniam cum probatus fuerit , accipiet corona vitæ : ergo ipsa probatio expleta , oportet , ut viri , sic probati , accipient coronam beatitudinis , & fructus . Sed de his omnibus posse füssius reddibit sermo.

26 Cum in præcedentibus dixerimus beatitudinem consistere

essentialiter in amore , seu fruitione ; nunc incidenter dubitabis ; an sint ejusdem , vel diversæ speciei amor supernaturalis viæ , & similis amor patriæ ? Nota ante resolutionem , quod dubium fit de amore , non verò de charitate , eo , quod charitas est habitus , qui ( secundum omnes ) idem est in patria , ac fuit in via juxta illud Pauli : *Charitas nunquam excidit.* Et probat hoc Scot. in 3. d. 31. q. unic. §. *vñ de fide , & spe :* quia charitas est amicitia Dei in se : Unde quemadmodum eadem amicitia amamus amicum , sive sit præsens , vel absens ; sic charitas est amor , quo amatur Deus , ut in se bonus indifferenter ad præsentiam , vel absentiam objecti amari. Potuit quidem Deus ( inquit Scot.) dare duos habitus charitatis specie distinctos , unum pro via , & alterum pro patria ; sic tamen non decrevit , sed unicum habitum charitatis constituit pro utroque statu ; hinc oritur præsens dubium : an sicut habitus charitatis viæ , & patriæ est ejusdem speciei ; sit & amor ? Ad quod;

27 Respondetur : dilectionem viæ specie differre à dilectione patriæ . Sic Subt. Doct. in 3. d. 31. & in 4. d. 49. q. 5. quem sui discip. & alij sequuntur

tur, contra Thomistas communiter. Ratio nostræ resolutio-  
nis est, quia quando cognitio-  
nes præviae ad amorem sunt in-  
ter se specie diversæ, semper  
inferunt diversitatem specifica-  
cam affectuum in voluntate: sed  
cognitio prævia ad amorem in  
via est specie diversa à cogni-  
tione prævia ad amorem in pa-  
tria: erg. amor viae specie dif-  
fert ab amore patriæ. Major  
patet; nam ad amorem patriæ  
sequuntur propriae passiones,  
nempe delectatio, & tentio ob-  
jecti beatifici, quæ non sequun-  
tur ad amorem amicitiae, seu  
fruitionis viae: erg. non est  
eiusdem speciei uterque amor.  
Hæc conseq. est manifesta; nam  
diversæ in specie passiones,  
diversas quoque essentias, à  
quibus pullulant, necessè ar-  
guunt. Patet etiam min. quia  
cognitio in via est abstractiva,  
& visio in patria est intuitiva:  
sed cognitio abstractiva, &  
intuitiva etiam circa idem objec-  
tum specie differunt, ut est  
commune inter nostrates; erg.  
etiam amor viae, & amor pa-  
tria.

28 Dices cum Thomist. dilectionem sumere speciem non ex cognitione, sed ex re cognita; quia cognitio respectu amoris est pura conditio, qua objectum proponitur; ac proin-  
de in via, & in patria eadem

est dilectio; nam, et si cognitio  
sit diversa, res tamen cognita  
est eadem. Sed contra sic in-  
surgo: nam ex sola variatio-  
ne conditionis interdum po-  
test variari effectus essentiali-  
ter, ut patet in causis physi-  
cis, in quibus approximatio  
ad passum est pura conditio, &  
tamen major, vel minor ap-  
proximatio variat interdum ef-  
fectum substantialiter; ignis  
enim valde ligno approxima-  
tus producit ignitionem, non  
sic autem approximatus, ca-  
lefactionem tantum: sed illi  
effectus specie, & genere dif-  
ferunt: erg. ex diversa approxi-  
matione agentis ad passum  
variantur effectus. Concludit  
igitur Subt. Doct. quod non  
tantum actus diligendi viae, &  
patriæ sunt differentes secun-  
dum magis, & minus sub ea-  
dem specie, sed sicut species in  
eodem genere. Cum igitur cog-  
nitio sit quedam quasi appro-  
ximatio objecti ad volunta-  
tem, hinc est, quod clarior,  
vel obscurior cognitio poterit  
aliquando sufficienter induce-  
re diversitatem, eo, quod per  
illas diversimode proponitur  
objectum.

29 Arg. i. Idem habitus  
charitatis manet in via, & in  
patria: erg. & idem actus. An-  
teced. patet ex dictis supra;  
conseq. verò probatur; nam  
ab

ab uno habitu nequeunt fieri, nisi actus ejusdem speciei: erg. &c. Respondet. neg. conseq. ad cuius probat. dicimus; nullum esse absurdum, quod ab eodem habitu, praesertim supernaturali, qui se habet instar potentiae, & non generatur ex actibus, actus diversae speciei producantur. Sufficit igitur, ut dicebamus, diversa approximatio objecti in patria, ac in via ad hoc, ut idem manens charitatis habitus, diversos specie effectus producat; in via enim est approximatio obscura, & per fidem; in patria vero clara, & per intuitivam visionem.

30 Arg. 2. quod clarius, vel obscurius ponatur objectum in via, & in patria, non videatur tantam posse inferre diversitatem actus, ut debeat ob hoc specificè differre: erg. &c. Patet anteced. nam praesentia, vel absentia objecti amabilis nihil refert ad amorem; amor enim abstrahit à praesentia, & absentia, & tendit in objectum secundum se; illæ autem differentiae pertinent ad desiderium, & dilectionem: unde desiderium, & spes essentiale includunt imperfectionem; ideoque non manent in patria, amor autem permanet in illa: erg. &c. Respond. quod, et si verum sit, quod praesentia, vel

absentia objecti amabilis nihil refert ad veritatem, & proprietatem actus amoris, eo, quod hic de se tendit in Deum, ut in se bonum indifferenter ad absentiam, vel praesentiam objecti amati; hinc tamen non sequitur, quod praesentia, vel absentia objecti nihil referat ad distinctionem amorum; nam sicut facit, quod notitia intuitiva, & abstractiva specie distinguantur; sic pariter specificam inducit distinctionem inter amores ex illis notitijs procedentes. Et quanvis desiderium, & spes non maneat in patria, eo, quod essentiale imperfectionem includunt, amor autem charitatis manet in illa, quoad veritatem, & proprietatem actus, quia talem non includit imperfectionem; sed hoc non convincit, quod etiam maneat, quoad unitatem numericam, vel specificam actus.

31 Denique est advertend. quod aliqui SS. PP. ut Justin. Irenæus, Laetant. Tertul. Chrysost. & alij vident. tenuisse, animas justorum non fore beatas ante diem Judicij. Sed pli explicari debent, quod loquebant. de beatitudine consummata, in corpore, & anima; vel quia tunc temporis non erat contrarium definitum ab Ecclesia. Jam autem est definitum per Bened. XII. & in Concil.

Florens. in definitione fidei; in Tridentino de invocatione SS. & in Bullis Canonizationum.

## QUÆST. II.

Utr. POSSIBILITAS VISIONIS naturali ratione probari posset?

**I** Conclusio 1. Humanus intellectus, seclusa fide, ejusque principijs pro statu isto ex viribus dumtaxat naturæ, naturali ratione nequaquam potest probare, claram Dei visionem esse sibi possibilem, & hoc tam ex parte objecti, quam ex parte actus. Sic Subt. Doct. quest. 1. Prolog. alleg. à nostro Pilos. tom. I. disp. 23. art. 3. num. 4. Prob. 1. ex parte objecti sic: Objectum primum naturale motivum nostri intellectus pro statu isto est quidditas rei materialis, vel sensibilis: erg. naturali ratione solùm est notum, illorum cognitionem abstractivam tantum esse nobis possibilem, quæ propriè, & per se sensibilia sunt, vel saltem essentialiter, vel virtualiter sunt in sensibilibus inclusa. Anteced. est certum, & conseq. probat: quia nequit potentia suum transgredi ad æquatum objectum: erg. naturaliter pro hoc statu tantum potest scire noster

Tom. I.

intellectus ea, quæ illi per sensus præsentia fieri possunt. Prob. 2. ex parte actus sic: nullius potentia finis proprius naturaliter cognoscitur à nostro intellectu, nisi ex actibus illius intellectui manifestis, ex quibus deduci evidenter potest, talem finem posse congruere tali potentia: sed pro hoc statu nullum actum in nobis evidenter exprimur, ex quo etiam evidenti ratione deducere possumus claram visionem Dei in propria natura esse nobis possibilem: erg. &c. Urgetur; quia siue evidenter exprimur, omnes nostras intellectiones esse terminatas ad sensibilia, vel saltem esse naturaliter sensibilibus conjunctas, ita cum Deus sit omnino insensibilis, potius naturaliter possumus inferre, quod ejus cognitio nobis repugnat: erg. &c.

2 Conclusio 2. Seclusa omni revelatione, creatus intellectus, sive Angelicus, sive humanus ( sublata hujus status imperfectione ) naturali ratione probare potest claram visionem Dei, saltim passivè, esse sibi possibilem. Hæc concl. est Subt. Doct. Scot. in 4. d. 49. q. 8. ubi inquit: *Videretur tamen mihi per rationem naturalem probari posse, sublata imperfectione status istius, quoad cognitionem, naturam humanam*

Dddd effe

*esse capacem beatitudinis veræ, & consequenter visionis beatificæ.* Prob. concl. ex ipso : Omnis potentia habens objectum suum primum adæquatum, vel potest per se attingere quodlibet per se contentum sub illo perfectissimo modo, vel saltim est per se capax notitiae perfectissimæ cuiuspiam sub illo contenti : sed sublata hujus status imperfectione, est naturaliter notum, quod ens, in quantum ens commune Deo, & creaturis, est adæquatum objectum creati intellectus : ergo etiam est naturali ratione notum, quod clara visio Dei, qui in latitudine entis est sumnum, est possibilis creato intellectui. Major est naturaliter nota, cum sit naturaliter notum, quod quævis potentia nec excedere, nec excedi potest à suo primo adæquato objecto. Prob. min. quia sublata hujus status imperfectione, noster intellectus potest se ipsum, substantiamque omnem spiritualem perfectè cognoscere, etiam secundum naturalem capacitatem, & propensionem, quam habet ad perfectissimam notitiam cuiuspiam creati, aut increati entis. Deinde, sublata status imperfectione, perfectè cognoscit creatus intellectus, non posse quietari, nec perfectè exempli suum naturalem apeti-

tum, nisi in notitia perfectissima summi, & infiniti entis, sicut est Deus : ergo, &c. Neque obstat, quod ens, in quantum ens commune Deo, & creaturis, non est objectum naturalis attingentiarum ; ex hoc enim solum infertur, non esse naturali ratione notum, quod clara Dei visio est nobis possibilis activè, & ad nostrum intentum sufficit, quod Deus sit objectum naturalis propensionis.

3 Dices : quod Scoticum argumentum solum convincit esse naturali ratione notum, notitiam perfectissimam Dei esse possibilem nostro intellectui, sed non intuitivam. Sed contra : nam ratio naturalis sufficiens ad probandum propositum à Scoto non constituitur tantum in primo assumpto in argumento prædicto, sed etiam simul in hoc alio sic efformato : quidquid est perfectionis simpliciter in aliquo genere, si congruit per se inferiori in illo genere, necessario quoque convenit perfectiori, vel superiori in eodem genere : sed notitia intuitiva, quæ est perfectio simpliciter in suo genere, per se convenit visui corporeo, sicut notum est, etiam comparatione excellentioris sensibilis : ergo notitia intuitiva respectu excellentioris entis intelligibilis, ut est Deus, per se com-

competit intellectui creato sal-  
tim passivé.

4 Arg. contra hoc : ratio  
Scoti absolute non ostendit,  
quod à nobis intenditur in con-  
clusione : erg. seclusis principijs  
fidei est omnino ignotum lumi-  
ne naturæ , claram Dei visio-  
nem esse possibilem creato in-  
tellectui. Prob. anteced. nam  
non est necesse , quod omnis  
perfectio , quæ congruit infe-  
riori naturæ , etiam superiori  
naturæ extra Deum conveniat.  
Patet hoc 1. incorruptibilitas  
competit substantijs quibus-  
dam imperfectis , sive minus  
perfectis , quæ homo , ut sunt  
e corpora cœlestia ; quæ incor-  
ruptibila sunt : sed homo est  
corruptibilis : erg. &c. 2. quia  
claritas est perfectio simplici-  
ter scientiæ , sive notitiæ in  
communi : sed claritas conve-  
nit scientijs naturalibus , & non  
fidei , quæ est habitus simili-  
citer perfectior illis : erg. non  
convincit argumentum , nem-  
pè , *Si visus corporeus est capax  
intuitiva visionis objecti sui*:  
erg. & intellectus , qui est per-  
fectior. 3. quia si prædicta ratio  
convincesceret , ex ea inferri pos-  
set , quod creatus intellectus  
non tantum est capax visionis  
Dei , sed quod eam naturaliter  
assequi potest. Patet hoc ; quia  
inferior potentia per vires na-  
turales intuitivam visionem po-

test elicere ; sed sequella admis-  
ti nequit : erg. &c. Respond.  
neg. anteced. Ad primam pro-  
bationem , neg. etiam anteced.  
nam si omnis perfectio , sim-  
pliciter conveniens naturæ in-  
feriori , non conveniret etiam  
superiori naturæ , præcludere-  
tur omnis via , ad probandum  
excessum superioris naturæ , pre-  
fertim Divinæ in omni genere  
supra naturam inferiorem. Ad  
primam ex probationibus neg.  
assumpt. : falsum enim est , in-  
corruptibilitatem convenire  
Cœlestibus corporibus , cum  
potius ab intrinseco sint cor-  
ruptibilia , constentque intrin-  
secè materia ejusdem rationis  
cum materia sublunarium , ut  
in physica communiter dicitur:  
homo autem quoad corpus cor-  
ruptibilis est , quoad animam  
verò est simpliciter incorrupti-  
bilis. Ad secundam probatio-  
nem , neg. min. nempè , quod  
fides quoad actum credendi est  
nobilior scientia naturali ; nam  
est solùm objective perfectior,  
quatenus est de nobiliori ob-  
jecto ; & est etiam perfectior  
quoad actum primum in gene-  
re entis , quatenus nempè fides  
est forma supernaturalis ; scien-  
tia autem entitativè quoad  
utrumque actum naturalis est:  
Ceterum quoad actum secun-  
dum , cum scientia habeat ac-  
tum claritatem , & eviden-

tiam , quam non habet actus fidei , qui est obscurus , scientia non est deterior , sed genes hoc fide præstantior. Ad ultim. neg. sequell. cuius probatio- nis negatur simpliciter paritas. Ratio disparitatis est , quod objectum , quod potest corpo- reis oculis videri , est naturaliter motivum eorum ; Deus autem cum ad extra liberè agat , non continetur sub objecto naturaliter motivo intellectus creati. Alia argum. facile sol- ves , si cum Scoto advertas , intellectum duobus modis pos- se objectum vitaliter attinge- re. 1. per notitiam ab eodem in se effectam. 2. per notitiam in se à Deo totaliter receptam , vel quod est idem , activè , & passivè. Argumenta RR. con- tra nostram conclus. tantum probant non esse naturaliter no- tum , quod possibilis est clara Dei visio activè ; non au- tem passivè ; & nos non pri- mum , sed secundum affirmam- mus.

5 Dubitabis: Utrum in ho- mine sit appetitus , sive innatus , sive elicitus ad claram vi- sionem Dei ? Respond. cum Scot. q. 1. prol. & in 4. d. 49. q. 9. & cum ferè omnibus suis discipulis ; quod in anima da- tur appetitus innatus circa beatitudinem. Ratio hujus est ; nam certum est , quod visio Dei est

maxima perfectio intellectus ; & consequenter , quod hic est perfectibilis per visionem : sed hæc perfectibilitas est appeti- tus , non minus quam perfecti- bilitas materiæ respectu formæ substancialis , & innatus , quia non supponit cognitionem : g. intellectus creatus habet appetitum innatum circa Dei vi- sionem : sed hic appetitus non est supernaturalis ; est enim identificatus realiter cum intel- lectu , qui est potentia natu- ralis : erg. est naturalis. Dices: non valere consequentiam ; nam datur alijs appetitus medius inter naturalem , & superna- turalem , nempe , obedientia- lis : erg. &c. Sed contra sic in- surgo : quia idemmet appetitus obedientialis est naturalis ; si- quidem realiter identificatur cum intellectu naturali : erg. &c. Urgetur hoc ; quia per app- petitum naturalem , Scotus , & sui nil aliud intelligunt , nisi inclinationem , perfectibilita- temque naturalis potentia rea- liter ipsi innatam , seu identi- ficatam ad formam , qua perficit potentiam , & non est ipsi , nec violenta , nec neutra ; sive talis forma sit in se superna- turalis , sive non : sed talem inclinationem abs dubio habet intellectus ad visionem beatifi- cam : erg. habet intellectus na- turalem appetitum innatum ad illam.

illam. Adverte hic, quod potentia, quæ dicitur obedientialis respectu agentis, appellatur à Scotistis naturalis, violenta, vel neutra respectu formæ; ut in proemialibus communiter notavimus.

6 Respond. 2. ad dubium; quod potest dari appetitus naturalis elicitus, seu desiderium ad visionem beatam. Sic Subt. Doct. ubi supra. Ratio est; nam visionem beatam esse possibilem cognoscimus, vel ex viribus naturæ, vel per fidem: sed in objectum ita cognitum potest voluntas ferri ex naturalibus, cum in hoc nulla appearat contradic̄tio: ergo &c. Urgetur: nam certum est, quod Hæretici, & peccatores eam appetunt, ac desiderant: sed non per aliquod principium supernaturalē, ut patet: ergo naturaliter. Si autem dicas; quod Scot. in 3. d. 26. §. ad primum inquit; quod *beatitudo in particulari non est sufficienter ex naturalibus concupita*. Respondeatur, verum esse hoc de actu proportionato, & sicut oportet ad salutem, quod innuit Subt. Doct. subdens: *Nec perfectissimè, nec sufficientissimè, sine spe insisa*. Ex quo sequitur, quod hic appetitus, seu desiderium est inefficax. Ratio est; quia impossibile est, visionem acquiri in naturalibus: sed circa im-

possibile, ut sic solum versari potest actus inefficax: ergo &c.

## QUÆST. III.

*QUID SIT LUMEN gloriæ, quæque ejus munera?*

I **S**upposito tanquam certum, quod Deus à nullo intellectu creato naturaliter videri potest, non enim est dabilis intellectualis creatura, cui connaturalis sit clara Dei visio, ut apud RR. Scotitas in hac materia videri potest: & supposito etiam, tanquam certum de fide, intellectum creatum Deum supernaturaliter videre posse, ut de facto vident Beati: controvertimus modò, quid sit illud principium elevans intellectum, ut beatificam visionem elicere queat? Quod principium communiter appellatur lumen gloriæ, & hoc regulariter, & de facto esse necessarium, ut intellectus creatus elevetur ad videndum Deum, constat ex Conc. Viennensi. sub Clemente V. in Clementina *ad nostrum de Hæreticis*: cuius tamè luminis quidditas varie ab AA. explicatur; sicut & diversimodo circa ejus munera opinantur. Quod autem verius in nostra Schola censetur, sequentes per sectiones aperire connabitur. Pro quibus sit:

## SECT. I.

Utr. L U M E N G L O R I A E  
de facto sit habitus?

**2** **C**onclusio 1. (omis-  
sis varijs dicendi  
modis, apud RR. videndis) Probabilius est, lumen gloriae  
esse habitum intellectui beati in-  
fusum, & antecedentem ordine  
causalitatis ipsam visionem bea-  
tam, tanquam ejus principium. Sic nosl. Mastr. tom. 1. disp.  
6. q. 3. art. 2. num. 102. Prob.  
hæc conclusio; nam omnis causa  
efficiens, priusquam suum produ-  
cat effectum, debet constitui in  
actu primo potens ad illam pro-  
ductionem, & operationem: sed  
intellectus creatus nequit  
connaturaliter ita constitui, nisi  
per lumen habituale: ergo lu-  
men gloriæ non est actuale auxi-  
lium, sed habitus. Maj. est ma-  
nifesta, & min. prob. implicat,  
quod aliqua causa constituantur  
potens in actu primo per ali-  
quid se teneat ex parte actus se-  
cundi: sed lumen gloriae actuale  
(si daretur) se teneret ex parte  
actus secundi, nam esset ipse-  
met actualis Dei influxus cum  
ipso creato intellectu: ergo &c.  
Secundò, prob. eadem min.  
nam intellectus nequit fieri con-  
naturaliter in actu primo potens  
ad beatificam visionem per id,

quod magis influat in effectum,  
quam in potentiam: sed illud  
lumen actuale magis influeret in  
ipsam visionem, quam in intel-  
lectum, ut per se constat: ergo,  
&c. Urgetur: quia communiter  
dicitur à PP. & Theologis,  
quod lumen gloriae in patria  
succedit fidei infusæ, quam jus-  
ti habuerunt in via: ergo sicut  
in via lumen fidei infusæ ponit  
per modum habitus, sic  
etiam tenendum est de lumine  
gloriae in patria. Urgetur 2. quia  
visio beatifica durat per totam  
æternitatem: ergo connatura-  
lius elicetur à principio perma-  
nente: sed lumen per modum  
actus est transiens, & per mo-  
dum habitus est permanens:  
ergo aptius, & congruentius  
ponitur de facto in beatis lu-  
men per modum habitus, quam  
per modum actualis auxiliij.

**3** Conclusio 2. probabile  
est, quod de facto intellectus  
non elevatur per lumen habi-  
tualē, sed tantum per lumen  
actuale, seu per modum auxiliij  
actualis int'rinscè, ita ut per  
modum principij elevetur in ac-  
tu primo, ut sit sufficiens prin-  
cipium ad eliciendam visionem;  
vel quod elevetur solum in ac-  
tu secundo per solum concur-  
sum specialem, & supernatura-  
lem objecti beatifici gratuitò se  
manifestantis intellectui. Sic  
Mastr. tom. 1. disp. 6. q. 3. n.

103. Prob. conclusio: nam Scotus totam impotentiam creati intellectus ad videndum Deum ponit in impossibilitate habendi Deum naturaliter presentem objective: ergo dummodo Deus gratuitò se manifestet, & proponeat intellectui Beatorum, & cum illo influat in visionem, quomodolibet hoc fiat; poterit Beatus Deum intuitivè videre. Anteced. ex Scotti in 3. d. 14. q. 1. & in 4. d. 49. q. 11. & quodlibet art. 2. & alijs in locis; consequentia autem patet; nam hoc sufficit ad salvandam supernaturalem visionem, nec non, & ad salvandam definitionem Concilij Viennensis contra Hæreticos; isti enim asserebant, hominem ex puris naturibus posse consequi beatam visionem, & non negabant expressè habitum necessarium ad illam; sed quocumque supernaturale auxilium salvat definitionem Concilij: ergo prejactum Concilium damnans eos, solum fateri cogit concursum supernaturalem, qualiscumque iste sit, ad Deum clarè videntem.

4. Urgetur: nam Concilium, non tam docet ibi, quo medio de facto videat anima nostra Deum, quam quo indigat necessariò ad illum intuitivè videndum: sed certum est, nos non indigere habitu lumi-

nis, absolutè loquendo, etiam si de facto detur: ergo cum definitione Concilij quam optimè stat probabilitas hujus asserti. Major patet; nam ideo advertenter Concilium usum est hoc termino *lumen*, quod quidem ex vi nominis significat solam elevationem, præscinditque à modo, quo ea fiat. Minor probatur; nam saltim per Dei potentiam absolutam non indigemus nisi aliqua elevatione, ut infra dicemus: ergo non indigemus simpliciter habitu luminis gloriae ad Deum intuitivè videntem. Et si dicas; quod PP. Concilij benè noverant, quod nomine *luminis*, à Scholasticis intelligitur habitus; proindeque definiendo esse necessariò lumen, definiunt esse necessarium habitum. Respond. quod etiam sciebant non ab omnibus ita accipi, sed à quibusdam usurpari pro solo auxilio actuali; in quo sensu etiam aliqui PP. exponunt illud Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*, id est, *te nos adjuvante*: ergo cum determinate non sit usum Concilium nomine habitus, signum est, quod nolnit dirimere litem circa usum hujus vocis *lumen*; sed solum decidere, quod erat de fide, esse necessariam aliquam elevationem, sive per auxilium actuale, sive per habitum fiat.

5 Arg. contra i. conclusiōnēm: lumen habituale superfluit in intellectu Beati: erg. non est ponendum. Prob. anteced. nam solum ponitur ab AA. ad hoc, ut elevet, & reddat intellectum proximē potentem ad Deum intuitivē videndum: sed hoc non facit; ergo &c. Prob. min. quia si lumen redderet intellectum potentem ad Deum videndum, ad quod intellectus antea erat insufficiens, & remoto potens in ordine suo, ideo esset, quia adveniente lumine cresceret nativa virtus intellectus: sed hoc est impossibile: ergo &c. Probatur min. quia idem numero intellectus non suscipit magis, nec minus; neque virtus vitalis augeri potest per additionem alicujus non vitalis, ut est habitus luminis gloriae: ergo &c. Respond. neg. anteced. cuius probat. neg. minor. & probationis hujus majoris. Virtus enim intellectus creati antecedenter ad luminis infusionem dicitur remota, & non proxima, non quia deficiat ei aliqua virtus vitaliter agendi in ordine suo; sed quia illi deficit virtus agendi supernaturaliter, quam per infusionem luminis acquirit. Dicitur etiam tunc habere tantum virtutem remotam ad Deum videndum; quia regulariter loquendo, deficiente lumine, de-

ficit quoque objectiva Dei praesentia; non quia sit ejus minus facere essentiam præsentem in ratione objecti; sed quia statim, ac per lumen elevatus est intellectus ad ordinem supernaturalis potentiae, tunc Deus veluti objectum tali potentiae proportionatum se se ei liberè exhibet, & manifestat.

6 Contra hanc eamdem conclus. adduci solent aliquæ Subt. Doct. authoritates, in quibus lumen gloriae videtur negare; sed si attente Subtilia Scotti verba perpendantur, manifestè apparebit, quod non illud negat; sed quod, ut plurimum, loquitur, supposita opinione, quod intellectus passivè se habeat ad visionem; ut enim videbimus infra, non est tale lumen necessarium, tamquam dispositio ad recipiendam visionem. Et si interdum negat illud, ut principium activum visionis, supposita opinione, quod intellectus activè ad visionem se habeat, hoc non negat simpliciter, & absolute, sed in sensu Thomistarum, aliorumque illud ponentium necessarium ad simpliciter videndum, tamquam sit causa totalis visionis ex parte intellectus, sitque illi tota, & adæquata ratio agendi; aut ad obeundum aliquod aliud minus activum, quod necessarium non sit, nec lumini con-

veniens, ut postea sequenti in sectione examinando luminis gloriae munera patebit.

7 Arg. contra 2. conclusionem: hoc lumen gloriae, juxta Concil. Viennense, est aliquid elevans potentiam ad actum: ergo non est propriè actuale auxilium, seu ipse actualis concursus. Prob. conseq. quia hic concursus supponit potentiam in actu primo completam, & elevatam: ergo principium elevans non est auxilium actuale, vel actualis concursus. Urgetur: nam potentiae creatæ naturaliter postulant habitus ad actus naturales, quos sine habitu simpliciter efficere possunt: ergo posteriori ratione postulant habitus supernaturales ad illos actus, quos ex se simpliciter elicere nequeunt. Respond. ad argument. neg. conseq. nam etiam actuale auxilium omni cum proprietate dicitur elevare potentias nostras ad supernaturales actiones, quando est per modum concursus specialis, omninoque indebiti. Ad probacionem dicitur, quod hoc non semper debet intelligi fieri per aliquod receptum in potentia, illaque praestitum in actu primo; sed ita ut potentia intelligatur elevata ex ipsa ejus coniunctione cum altero principio ex se elevato, seu concurrente supra debitum, & exigentiam naturæ.

Tom. I.

Quod si etiam concedatur, concussum actuali præsuponere potentiam in actu primò completam, & elevatam per aliquod in ea receptum, spectans ad actum primum potentiarum; adhuc falsum est, quod id fieri debet per lumen habituale, & habens modum permanentis; æquè enim benè fieri posset talis elevatio per auxilium actuale in ratione principij per modum qualitatis fluentis, & transiuntis. Ad confirmat. optimè inquit Scotus, quod si ex habitibus naturalibus volumus conjectare supernaturales, potius infertur, quod habitus supernaturales non dentur; ratio est, quia habitus naturales non dantur ad simpliciter agendum, cum potentia possit efficere actuum suum absolute absque habitu, sed dantur ad sic agendum, nimirum, faciliter, delectabiliter, & intensius; habitus vero supernaturales potius sunt necessarij ad simpliciter agendum, quam ad sic agendum; dant enim operari simpliciter, non tamen vitaliter, quia hoc habet ex se potentia; sed supernaturaliter. Quod non dentur ad faciliter operandum patet; quia nec in via, cum nec facilius nos experiamur operari cum habitu supernaturali, ac sine illo; alioquin ex facilitate posset, quisquam nosse esse

Eccc

in

in statu gratiæ , & charitatis: nec in patria ; tunc enim erit potentia summè facilitata , & inclinata cum ibi habeat summam inclinationem in eos actus supernaturales. Si autem concederemus , cæteris paribus, connaturalius operari cum habitu , quæcum actuali auxilio , hoc non obest , cum etiam cum auxilio connaturaliter operetur , & magis , & minus non variant substantialiter. Alia argumenta videri possunt apud Mastr. supra citat. disp. 6. q. 3. à num. 107.

## SECTIO II.

*IN QUA VARÌ DICENDI  
modi circa munera luminis  
gloriæ examinantur.*

8 **S**upposito, ex præcedentibus , quod de facto datur lumen in Beatis per modum habitus ; & quod intellectus Beati ( ut dicemus infra ) activè concurrat ad visionem beatificam eliciendam , nunc munera , quæ in intellectu Beati lumen gloriæ exerceat , indagamus. Quod circa punctum variè opinantur AA. Primò enim , Caietanus , Marsilius , & alij dicunt , lumen gloriæ deservire ad recipiendam visionem. Quod diversimode expli- cant ; alij enim dicunt , quod

ipsum lumen est proximum , & immediatum subiectum , in quo recipitur visio. Alij verò asserunt , quod sit prævia dispositio in genere causæ materialis , ut in ipso intellectu recipiatur , ita , quod non sit subiectum recipiens , sed ratio recipienda. Alij denique affirmant probabiliter , quod conflatum ex lumine , & intellectu sit adæquatum subiectum receptivum visionis. Ratio , qua isti AA. moventur , est ; quia intelligere , ( ex 3. de Anima ) non tantum est producere intellectionem , sed etiam pati , seu recipere illam : erg. cum Concilium decernit , quod lumen gloriæ est necessarium ad videndum Deum , non tantum est intelligendum de elevatione activa ad agendum , sed etiam de passiva ad recipiendum.

9 Hæc tamen sententia cum suis explicationibus meritò à Scotistis reijicitur , & impugnatur. Primus dicendi modus refellitur sic : nam intellectio , seu visio est actus vitalis suapteque natura immanens potentia vitali : sed lumen non est vitale : erg. lumen nequit esse immediatum subiectum beatificæ visionis. Deinde impugnatur ab inconvenienti : nam ex hoc dicendi modo sequeretur , quod si lumen daretur separatum ab intellectu , posset visionem beatam

tam recipere in se immediate. Patet hoc ; nam si quantitas conservetur extra subjectum , ut in Sanctissimo Eucharistia Sacramento , potest in se immediatè recipere colorem , calorem , aliasque qualitates ; non utique ob aliam rationem , nisi quia est immediatum receptivum qualitatum : erg. si lumen est immediatum susceptivum visionis , potest eam in se recipere , si extra subjectum conservetur. Tunc sic : sed sicut quantitas est , quæ immediatè , & per se dicitur colorata , &c. Substantia verò solùm mediata , & per accidens ; ita lumen erit , quod immediatè diceretur videntis per se Deum , & intellectus solùm accidentaliter , & mediata , quod est absurdum : erg. &c.

10 Contra 2. modum dicendi sic insurgo : nam nequit lumen gloriae deservire ad recipientiam visionem per modum simplicis dispositionis præparantis intellectum ad visionem : erg. &c. Prob. assumptum ; nam si visio , eo , quod est ordinis supernaturalis , exigit ut præviam dispositionem lumen gloriae : erg. cum hoc lumen etiam sit ordinis supernaturalis , exigit etiam aliam præviam dispositionem adaptantem intellectum. Inquiero modò : an ista dispositio sit supernaturalis , necne ? Si

hoc dicas : erg. subjectum cum ipsa æquè improportionatum erit respectu luminis , ac sine ipsa. Si dicas primum : erg. dari debet alia dispositio ejusdem ordinis , qua subjectum redditur potens ad illam formam , & sic progrediemur usque in infinitum. Si tamen ad hoc vietandum dicas , ipsum lumen gloriae , & si supernaturale , posse immediatè recipi sine prævia dispositione : erg. idem dici debet de visione beata , nempe , quod recipiatur immediate in potentia ex se inclinata , & proportionata ad eam recipientiam , absque eo , quod alia præcedat dispositio.

11 Dices : quod sicut lumen præstat supernaturalem vim intellectui ad efficiendam visionem : erg. pariter ad recipientem. Respond. neg. paritas : nam magna est disparitas inter effectiōnem , & receptionem. Ratio autem ob quam ad efficiendum effectum supernaturalem , supernaturale requiritur comprincipium , non verò prævia supernaturalis dispositio ad recipientem , est , quia cum nulla causa det effectui esse , quod ipsa non habet , cum visio sit supernaturalis , & intellectus ex se intrinsecè vim supernaturalem non habeat , debet hanc sibi comparare per conjunctionem cum aliqua cau-

sa supernaturali; illum elevante ad talis effectus productio-  
nem; at verò ad recipiendam  
ut sic nullus est in effectum in-  
fluxus, ut sic debeat potentia  
elevari: quod patet in corpore  
animam rationalem recipiente.

12 Contra 3. dicendi mo-  
dum, argumentor sic: nequit  
lumen deservire ad recipien-  
dam visionem, quasi sit subjec-  
tum partiale, & confans cum  
intellectu unum totale subjec-  
tum: erg. &c. Prob. anteced.  
quia (ut docet Scotus in 3. d.  
14. q. 2. §. In prima questio-  
ne) nequit una forma recipi  
immediatè in duobus subjectis  
realiter distinctis; quia unius  
actus per se, una est potentia  
per se, ideoque dicitur in Phy-  
sica, quod compositum substi-  
tiale, sumptum pro tertia  
entitate, est subjectum imme-  
diatum accidentium; non verò  
sumptum pro materia, & for-  
ma, adhuc prout unitis, & con-  
junctis: erg. &c.

13 Respondeamus jam ad  
fundamentum secundi dicendi  
mod. Dicimus ergo, falsum  
esse, quod intelligere est for-  
maliter agere, vel pati; nam  
formaliter solum est operari,  
seu connari in objectum ten-  
dendo, ut dicitur in libris de  
Anim. Agere verò, & pati so-  
lum presuppositivè se habent  
ad intelligere, ut docet Scot.

in 1. d. 3. q. 7. Deinde etiam  
est falsum, quod definierit Con-  
cil. lumen gloriae per modum  
habitus esse necessarium ad vi-  
dendum Deum; tantum ergo  
decernit, lumen gloriae esse ne-  
cessarium, sive actuale, sive ha-  
bituale hoc sit.

14 Tertio Vazquez cum  
aliquibus, tam Scotistis, quam  
Jesuitis censet, lumen gloriae in  
beatis exercere munus solius  
speciei impressæ, supplendo con-  
cursum objecti. Poncius, au-  
tem, & alij admittentes, quod  
species impressa potest cum in-  
tellectu coefficere notitiam, ne-  
dum abstractivam, verum, &  
intuitivam, dicunt, quod etsi  
probabile sit, lumen intrinsecé  
inhærens intellectui esse spe-  
ciem, non tamen habere lu-  
men solam speciei rationem; sed  
quod cum intellectus sit natu-  
ralis ordinis, ac proinde im-  
portionatus ad videndum  
Deum ex se, indiget lumine,  
per modum habitus ipsum ele-  
vantis ad beatam visionem. Ho-  
rum tamen sententia, tanquam  
falsa à nobis impugnatur. 1.  
quia universaliter nusquam re-  
quiritur species, ubi objectum  
ipsem est præsens in propria  
existentia: sed intellectui beato  
Deus est intimè præsens objec-  
tivè in existentia propria: erg.  
non requiritur ibi species Dei  
impressa, nec aliud aliud mu-  
nus

nus speciei vicem gerens. & quia ad visionem beatam, nequit concurrere species. Patet hoc: nam species intelligibilis, nequit esse principium cum intellectu cognitionis intuitivæ, sed tantum abstractivæ, ut tenet probabilit̄ in Scotti Schola sententia: sed visio beata est intuitiva, ut nullus dubitat: ergo lumen gloriae nequit supplere munus speciei intelligibilis.

15. Arg. contra hoc, & est fundam. præfactæ sententiæ: Lumen compleat efficacitatem intellectus, ut eliciat visionem: erg. lumen repræsentat Deum habitualiter; proindeque est species impressa Dei. Prob. 1. consequentia; nam ideo aliqua qualitas potest dici habitualiter repræsentativa Dei, quia est principium visionis illius, quæ est formalis, & expressa Dei similitudo: erg. &c. Prob. 2. consequ. nam species impressa Dei nihil aliud est, quam habitualē lumen repræsentativum illius: erg. &c. Respond. distingu. antec. Complet efficacitatem intellectus, quatenus determinat potentiam repræsentando, ut similitudo quædam objecti, neg. antec. quatenus constituit eam in esse agentis supernaturalis, ut sit in actu primo proportionata ad elicendum actu supernaturalem, conc. antec. & neg. utramque

conseq. quia tale complementum non tribuitur à lumine, repræsentando objectum; sed elevando potentiam ad statum agentis supernaturalis: Unde non tribuit aliquam activitatem vitalem, cum hanc ex se habeat intellectus; sed tantum supernaturalitatem, ut actu supernaturalem elicere queat.

16. Arg. 2. non potest admitti principium aliquod necessarium ex natura rei ad operandum, si non est in effectu aliquod prædicatum, ratione cuius egeat tali principio: sed in visione beata non datur peculiaris ratio, ob quam ponи debeat lumen gloriae, si divina essentia concurrat peculiari supernaturali concursu objecti cum intellectu: erg. &c. Patet maj. nam ex prædicatis ipsius rei productæ debemus colligere necessitatem causarum ad eam concurrentium, ut patet in albedinis visione, quæ habet, quod sit visio à visu, quod sit visio albi habet à specie albi, non à visu. Prob. min. nam visio Dei secundum omnem rationem, quam habet, sufficienter procedit ab essentia, & ab intellectu tanquam ab efficiente adæquato, & proprio: erg. superfluit lumen. Prob. anteced: quia visio habet rationem intellectionis, quæ provenit ab intellectu; & rationem visionis Dei,

Dei , quæ oritur ab Essentia Divina. Item habet rationem visionis intuitivæ , & evidentis , & hæc est ab essentia ; & ad hoc , quod talis visio sit supernaturalis , non requirit aliud comprincipium , quam Divinam Essentiam supernaturaliter concurrentem : erg. &c.

17 Respond. cum nostro Mastr. neg. min. cum ejus probatione , nempé , quod in beata visione non reperiatur peculiaris ratio respondens lumen : ratio enim supernaturalitatis , adhuc in eo casu , responderet lumini elevanti intellectum ad statum supernaturalis agentis. Et ratio est ; quia ut visio beata connaturaliter fiat , sicut decet statum beatificum , utrumque principium supernaturale exigit , tam , scilicet , concurrens ad eam per modum objecti , quam aliud concurrens per modum potentiarum elevatæ ad statum supernaturalem. Quanvis ergo absolute loquendo , adhuc visio dicetur supernaturalis , si fieret ab intellectu sine lumine , cum solo speciali concurso essentiarum supernaturaliter moventis intellectum in ratione objecti beatifici: hoc autem non fieret cum tanta connaturalitate , quanta fit modo. Unde dixit Scot. quod visio beata de facto ex dupli capite est supernaturalis , &

ex parte objecti moventis , & ex parte potentiarum elevatæ producentis.

### SECTIO III.

Utr. *LUMEN GLORIÆ*  
sit tota ratio agendi respec-  
tu visionis?

18 **H**anc circa difficultatem duplex est sententia. Prima asserit , quod lumen gloriae requiritur , ut tribuat intellectui creato virtutem visivam simpliciter ex parte potentiarum ad videndum Deum: Unde consequenter affirmat lumen gloriae esse totam virtutem , seu totam rationem per quam intellectus visionem producit. Sic communiter RR. Thomistæ ; ut Joann. à S. Thoma ; Salmantenses , & alij. Præcipua ratio , qua hæc nititur sententia , est ; quod intellectus non influit in supernaturalem effectum per suam virtutem naturalem ; ut potè illi improportionatam : ergo solum lumen gloriae est tota ratio agendi. Urgetur : quia intellectus non concurrit ad visionem , ut causa totalis , ut factentur omnes ; neque ut causa partialis ; alias unus gradus visionis posset tribui activitatibus naturali intellectus , & alius activitati luminis : sed hoc est

absurdum : erg. &c. Contra hanc sententia militat secunda. Pro qua sit.

19 Conclusio : lumen gloriae non est tota , nec sola ratio agendi , & producendi beatificam visionem. Idem quod de lumine dicimus respectu visionis , asserimus etiam de alijs habitibus , donisque supernaturalibus , & auxilijs tepectu potentiarum , & in ordine ad suos actus. Sic communiter Scotistæ , cum suo Subtil. Doct. quem etiam Jesuitæ communiter sequuntur. Prob. conclusio: nam vel Thomistæ concedunt , quod intellectus actu influit in visionem , vel non ? Si secundum : erg. intellectus tantum passivè se habet ad visionem ; quod ipsi negant. Si primum: erg. virtus intellectus verè cum lumine concurrit : erg. lumen non est sola , & tota ratio producendi visionem. Nec valet si dicas cum ipsis , quod lumen est principium , ut quo , & ut forma ; intellectus vero principium , ut quod. Hoc , inquam , non valet ; nam vim rationis nostræ non enervat : vel enim id ita intelligitur , ut solùm lumen sit totale , & integrum principium agendi , sicut cum aqua calefacit , dicitur calor integrum , & totale principium calefaciendi ; & hoc est falsum ; quia , ut sic intellectus mere pas-

sivè ad visionem se haberet ; sicut aqua se habet ad calefaciendum. Vel intelligitur ita , ut non solùm lumen , sed etiam intellectus verè influat , ut principium simul cum lumine efficiens visionem : & in hoc sensu verum quidem est ; sed ex hoc non sequitur , lumen esse totam rationem agendi , sed potius oppositum , ut patet: g. &c. Urgetur : quia esse principium ut quod , quatenus distinctum à principio quo , vel importat tantum esse principium merè denominativè , seu substantium denominationis : quo sensu dici solet , actiones esse suppositorum , quatenus suppositum denominatur agens ab actione , quæ adæquate à sola natura procedit , & à subsistencia non attingitur ? vel importat aliquid aliud ? Si 1. erg. intellectus re ipsa non influit in visionem , neque ullo modo physicè est principium illius ; sed taurum denominabitur operans ab actione , quam sustentat , & nullatenus attingit , cum adæquate dicatur procedere ab habitu luminis. Si dicas 2. hoc aliquid aliud nihil plane aliud importare potest , nisi quod visio ab intellectu physice , & immediate quoque procedit : erg. &c.

20 Dices : quod intellectus influit materialiter , seu per mo-

modum principij materialis; non verò formaliter, & per modum formalis principij. Sed contra sic arguo: nam si per hunc materialem concursum intellectus ad visionem intelligas solam receptionem habitus luminis, quo mediante, denominatur agens eo prorsus modo quo aqua sustentando calorem, dicitur calefaciens; hoc planè modo abigitur ab intellectu omnis influxus activus; influere enim activè materialiter, est aperta in terminis implicatio. Si verò intelligas, intellectum esse subjectum luminis, & vi istius constitutus ultimò, & completere in actu primo ad operandum supernaturaliter, eo ipso, quod est subjectum sui supernaturalis comprincipij; hoc utique verum est, sed hoc non obest quominus postquam materialem influxum intellectus exercuit recipiendo in se lumen, postea simul cum eo integrando unum totale principium influat activè in visionem per influxum formaliter efficientem, ut patet: erg. &c.

21 Dices iterum: ad visionem concurrere intellectum, nedum in genere causæ materialis recipiendo, & sustentando habitum supernaturalem, sed etiam efficientis; non tamen proximè, & formaliter, sed tantum radicaliter, & re-

motè: & hoc modo sufficienter salvatur, & activitas intellectus in ordine ad visionem, & vitalitas ipsius actionis. Sed contra sic insurgo: nam ex tali doctrina neutrum salvatur: non activitas intellectus; quia vel hæc remota activitas, & efficientia est talis, ut excludat omnem dependentiam proximam ab intellectu: & in hoc sensu verè, & propriè non erit causa efficiens remota, quasi sit radicale, & remotum visionis principium, eo modo quo, quod est causa causæ, est etiam causa causati. Ratio hujus est; quia intellectus non influit activè in lumen, quod ponitur integrum, & immediatum visionis elicivum principium. Vel hæc activitas tribuitur intellectui: quia huic inhæret lumen, à quo proximè procedit visio: & etiam in hoc sensu nullo modo salvatur activitas intellectus; quia ut sic non magis propriè diceretur, intellectum videre Deum, & producere visionem, quam dicere tur, aquam calefacere per calorem in se receptum. Vel denique intellectus est principium activum remotum visionis, eo, quod ad influendum requirit consortium, & elevationem principij supernaturalis: & in hoc sensu est verum; sed non tollit influxum proximum, &

im-

immediatum, quem nos statuimus; siquidem hæc duo, nempe, intellectus, & lumen unum constituant totale, & proximum visionis principium, à quo hæc proximè fluat.

22 Arg. contra hoc: explicando hoc modo dependentiam visionis ab intellectu, nequit dici, quod immediatè, & proximè in ipsam influat: erg. nullatenus intellectus in visionem influit immediatè. Prob. anteced. nam potentia naturalis non est in actu primo sufficienter constituta in ordine ad actum supernaturalem, quo usque supernaturali principio elevetur: erg. inter ipsam nudam sumptam, & actum mediat elevatio: erg. non influit in actu supernaturalem, nisi immediatè, & radicaliter. Respond. neg. antec. cujus probationis, neg. secunda conseq. non enim obstat, quod mediet elevatio, quominus cum jam est elevata per supernaturale principium, ad actum supernaturalem immediatè concurrat, quatenus cum illo principio supernaturali constituit, & integrat unum totale principium, à quo adæquate, & proximè supernaturalis actio indivisibiliter procedit.

23 Hic nota cum Ovied. alijsque Theologis: quod hæc nostra controversia cum Tho-

mistis non videtur nisi de nomine, cum nullus Thomista rum possit negare, actus vita les supernaturales re ipsa fluere immediate à potentijs vitalibus, & ab habitibus, & auxilijs simul cum potentijs unum totale principium immediatum constituentibus. Ratio autem, ob quam hoc à nullo Cathol corum negari possit, sic ostenditur à nostro Mastr. nam habitus charitatis in via, eti cum voluntate ad supernaturalem actum concurrat, dici tamen non potest, ipsum solum esse integrum agendi principium; quia actus ille est liber in via: erg. debet proximè, & immediatè à voluntate dependere. Pater conseq. quia libertas non est circa receptionem, sed circa actionem, ita, ut potentia operetur cum indifferen tia ad agendum, & non agendum. Urgetur hoc: nam Concil. Trident. sess. 6. can. 4. definit, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum non se habere merè passivè, sed age re: erg. non solum operatur habitus infusus; alioquin voluntas merè passivè se haberet. Si autem dicas, non merè passivè se habere, quia radicaliter, & remote influit in actu medijs habitibus: Contra sic arguo: nam voluntas respectu habitus infusi merè passi

vè se habet, quia physicè illum non producit: erg. si in actus ab habitu procedentes, non influit activè proximè, & immediate, neque etiam influit medijs habitibus. Prob. conseq. quia quod non est causa causa immediate, neque mediata dici potest causati causa; id est, quod non producit immediate principium influens in aliquem effectum, neque etiam mediata, seu mediante tali principio dici potest influere in talem effectum: g. &c.

. 24 Urgetur amplius testimonijs Sacrae Script. & PP. nam i. ad Corinth. cap. 15. inquit Paul.: *Abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum:* g. expresse fatetur Apostolus concursum activum liberi arbitrij cum gratia in actum supernaturalena. Sic illum explicant D. Bernard. de gratia, & lib. arbitr. circa fin. dicens: *Maliuit dicere mecum, presumens se non solum operis esse ministerium per effectum, sed operantis quodam modo socium per consensum.* Et D. Aug. de gratia, & lib. arbitr. cap. 5. dum ait: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum, ac per hoc, nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* Ex quo patet, non rectè intelligi Thomistæ, cum hoc videntur ne-

gare: verum quidem est, quod illi non benè se explicant, cum dicunt, habitus infusos esse totam rationem agendi circa actus supernaturales: nam ratio agendi illa dicitur, à qua, tanquam à principio influente, & tanquam à virtute procedit effectus: sed actus supernaturalis non solum à principio supernaturali elevante, sed etiam à principio vitali elevato procedit: erg. ratio agendi nedum est supernaturale principium elevans, verum etiam principium naturale elevatum.

. 25 Ad fundam. Thomistarum in principio hujus sectionis positum, neg. assumptum: nam supernaturalitas visionis non necessariò petit, quod omne principium à quo procedit, sit supernaturale; sed de ratione actus supernaturalis tantum est, quod produci non possit, absque principio supernaturali, sive ad illum concurrat aliud principium, quod est naturale, sive non. Et cum dicitur, naturalem virtutem intellectus creati esse tali actui improportionatam, cum sit ordinis inferioris; hoc solum probat, quod entitas secundum substantiam naturalis, nequit habere virtutem ad producendum supernaturalem actum, independenter ab alio conprincipio supernaturali, quo ad talem produc-

ductionem elevetur; non autem probat, quod non possit habere virtutem intrinsecam, & innatam ad producendum aliquid supernaturale dependenter a principio elevante: qua ratione dicitur à Scoto talis virtus in naturali potentia remota, & incompleta. Declaratur hoc exemplo; actus vitalis, qui procedit a principio inadæquato non vitali, ex eo, quod conjungitur cum alio comprincipio vitali, a quo elevatur; ut docet Scot. in t. d. 3. quæst. 7. §. Ad argumenta opinionum, & exemplo speciei intelligibilis, qua secundum se totam est spiritualis, & producitur ab intellectu agente spirituali, & a phantasmate materiali; quod quidem, quia elevatur ab intellectu agente spirituali, potest simul cum illo per modum unius principij adæquati spiritualem producere effectum. Dices: omnis entitas naturalis est inproportionata, & insufficiens a principio aliquod supernaturale, etiam per modum causæ partialis: ergo &c. Respond. verum esse anteced. si illa entitas naturalis per modum causæ partialis conjungatur cum alio comprincipio partiali naturali; falsum autem est, si conjugatur cum alio comprincipio supernaturali.

26 Ad confirmat. ibidem

positam, neg. antec. ad cuius probationem, neimpè, quod aliqua pars visionis correspondeat intellectui, quæ naturalis esset, & aliqua lumini, quæ esset supernaturalis, & sic dicunt, vitalitatem correspondare potentia, & supernaturalitatem lumini. Respond. falsum esse omnino, intellectum, & lumen ita esse causas partiales in ordine ad actum visionis, quasi divisim quædam pars visionis producatur ab intellectu, & quædam a lumine; nam cum tota entitas visionis sit quoad hoc realiter simplex, & indivisibilis, tota debet a singularis causis effici, et si non totaliter, modo supra explicato. Ratio hujus institutus a Doct. in t. d. 17. q. 2. §. Alio modo; quia neque supernaturalitas actus, neque ejus vitalitas se habent ad substantiam actus, ut entitas ab eo realiter distincta, vel modus aliquis extrinsecus ab eo separabilis; sed omnia prædicata essentialia in actu supernaturali reperta, sunt realiter inter se identificata; ideoque neque aliud esse principium unius, & aliud alterius; nam a quo est individuum istius actus, ab eodem est gradus intrinsecus huic individuo, tam genericus, quam specificus, & individualis; cum omnes isti gradus sint in eodem tertio realiter inter

se identificati. Nulla igitur actio terminatur ad rem in communi, sed ad rem in singulari determinatam; ac proinde actio intellectus fertur in visionem beatam physicè, nempé, & quatenus visio est, & quatenus talis visio est: Unde physicè loquendo, quidquid est in visione, est supernaturale, & vitale; quia & vitalitas est supernaturalizata, & supernaturalitas vitalizata: cum hæc prædicta ibi sint realiter identificata, sumanturque ab eadem physica indivisibili entitate. Argumenta contra hoc videri possunt apud nostrum Mastr. tom. I. disp. 6. quæst. 4. art. 3.

#### SECTIO IV.

*IN QUÀ NOSTRA SENTENTIA proponitur, & explicatur.*

27 **C**onclusio nostra sit: Lumen gloriae, quatenus se tenet ex parte potentiae, non habet aliud influxum in visionem, quam concusse efficientis, & quidem non tantum quo admodum, & intentionem actus, quasi tantum conferat virtutem potentiae ad perfectius, intensiusque videndum; sed etiam quoad substantiam actus, ita ut intellectui conferat virtutem activam, & con-

naturalem ad efficiendum actum visionis, constituendo illum in esse agentis supernaturalis, & præstanto illi virtutem in ordine suo; non quidem operandi vitaliter, sed supernaturaliter: qua ratione dicitur, eum constitutere in actu primo completo ad supernaturaliter operandum, quantum requiritur ex parte potentiae. Hæc est vera, genuinaque mens Scotti circa munus luminis gloriae, ut ex varijs illius locis probat prædictatus Mastr. ubi supra art. 4. Prob. conclusio ratione: nam certum est, quod vires naturales intellectus non sufficiunt ad operationem visionis, ut constat ex Conc. Viennensi: ergo necesse est aliquod principium supernaturale, per quod compleatur in ordine suo, ut actus secundus proportionetur actu primo, & connaturaliter ab eo elicatur. Patet conseq. quia in operationibus Fidei, & charitatis dantur habitus, qui sunt principium efficiens simul cum potentia: ergo similiter in visione beata. Dices: intellectum informatum lumine, esse æquè improportionatum ad elicendam visionem, ac ex natura sua: erg. &c. Respond. neg. anteced: Etsi enim hoc lumen sit quid creatum, & ex hac parte infinite distet à Deo, sicut intellectus; est tamen virtus al-

tioris ordinis, & supernatura-  
lis, cuius est ipsa visio, ideò-  
que confert activam virtutem  
ex se proportionatam visioni,  
quam intellectus ex se non ha-  
bet, juxta superius dicta.

28 Dices iterum; quod hæc  
impotentia naturalis intellectus  
suppletur sufficienter per spe-  
cialem concursum objecti beatifi-  
ci, à quo etiam sufficienter  
habet supernaturalitas visio-  
nis: erg. si de facto lumen est ne-  
cessarium ad videndum Deum,  
aliud munus illi atsignari de-  
bet. Sed contra sic arguo: Etsi  
enim id possit concedi juxta  
absolutam Dei potentiam, ali-  
ter tamen loquendum est juxta  
ordinariam, penes quam atten-  
ditor connaturalis modus agen-  
di causarum secundarum: erg.  
&c. Prob. anteced. nam quan-  
do aliqua potentia est incom-  
pleta ex se, & insufficiens in  
ordine suo ad aliquem actum,  
& potest compleri per aliquam  
concausam secundam, præser-  
tim se tenentem ex parte po-  
tentiae; connaturalius est, ut ita  
compleatur, quam ut Deus con-  
currat cum ipsa actuali concur-  
sa, supplente defectum istius  
alterius concausa secunda; eo,  
quod ita videmus contingere  
in omnibus alijs occasionibus  
ordinarijs: sed intellectus est ex  
se insufficiens ad producendam  
visionem beatam: ergo quanvis

possit immediatè à Deo ad  
illam elevari concursu speciali  
objectivo; absolutè loquendo,  
si tamen elevari potest per al-  
iquam qualitatem, quæ sit con-  
causa secunda, connaturalius  
est, quod ita elevetur: erg. sic  
elevari debet; eo, vel maxime,  
quia status beatificus connatu-  
ralis est, & ab omni violentia  
immunis.

29 Arg. contra hoc: Scotis-  
tæ passim docent, quod visio  
beata non est naturalis intellec-  
tui, etiam lumine informato,  
sed adhuc supernaturalis, & li-  
bera est; nam ut ait Scotus in  
3. d. 14. quæst. 1. non est pos-  
sibile per aliquam formam crea-  
tam videre Deum; sed posito  
lumine in intellectu, adhuc ob-  
jectum beatificum est supra-  
naturalis, & liberum, voluntarie-  
que movet, ut docet Doctor  
quodl. 14. art. 2. siquidem Di-  
vina Essentia nullum intellectum  
creatum movet per modum na-  
turæ, sed tantum divinum in-  
tellectum: erg. lumen gloriæ  
non tribuit connaturalitatem  
agendi intellectui creato. Res-  
pond. aliud esse dicere, visio-  
nem esse connaturalem intellec-  
tui beato, & aliud esse natura-  
lem. Hoc secundum negat Sco-  
tus, & Scotista, non verò pri-  
mum, quando quidem quan-  
tumvis intellectus sit lumine  
perfusus, visio semper est su-

pernaturalis, & libera, & respectu ejus Divina Essentia est objectum supernaturale, & liberum, non vero naturaliter motivum. Et quanvis visio sit quodammodo exigita ab intellectu in tali statu, eique aliquomodo debeatur concursus specialis objecti beatifici; quia tamen hoc non convenit ei ex natura rei, sed ex divina ordinatione, & ex suppositione domini, & principij supernaturalis, quod est ipsum lumen, ideo numquam potest dici visio ei naturalis simpliciter, & absolute, sed tantum connaturalis secundum quid, supposita nempe, elevatione ad talem statum: cum quo stat, quod semper simpliciter supernaturalis sit.

30 Hic observa, quod in hoc sensu intelligendum est, quod communiter dicitur, nempe, munus luminis gloriae esse confortare, roborare, & elevarre intellectum Beati juvando illum, tanquam principium activum immediate concurrens ad productionem visionis beatae, non quia sit tota ratio agendi, ut dicebant Thomistæ, iam impugnati; neque quia augeat ejus virtutem intia genus potentiae intellectivæ, & vitalis; lumen enim gloriae, neque vi-  
tale est, neque intellectivum; sed tantum in eo sensu, quod cum elevat ad statum potentiae

supernaturalis, ut connaturalis cum eo sic elevato concurrat Divina Essentia per modum objecti ad eliciendam beatam visionem, quæ alioquin absolute loquendo, intellectui etiam nudo, & destituto lumine gloriae se se manifestando posset cum eo beatam visionem efficere (non servata tali connaturalitate) per solam elevationem in actu secundo, ut sequenti dicemus quæstione.

31 Dices: Divina Essentia de facto dupliculo titulo effectiva concurrit ad eliciendam visionem beatam. Primo per generali influxum, quatenus est prima, & universalis causa influens in omnes effectus causarum secundarum, tam naturalis, quam supernaturalis ordinis: Deinde per influxum specialem omnino supernaturalem, quatenus est objectum visionis: sed ab hoc speciali concursu sufficienter sumitur supernaturalitas visionis: ergo frustra ponitur lumen ad dandum supernaturalitatem visioni, & ad elevandum intellectum. Resp. hoc eodem argumento & que benè probari, habitus fidei, & charitatis in via esse superfluos, eo, quod eorum actus sunt etiam cum speciali Dei auxilio per modum concursus à quo sufficienter dicerentur supernaturales, sufficienterque po-

potentia nostra essent elevata: sicut igitur non inconvenit, quod in via idem actus ex duplice capite supernaturalis dicatur, & quia producitur ab habitu supernaturali, & per speciale actuale auxilium; neque inconvenit ex hoc duplice capite potentiam elevari; ita quoque in patria non inconvenit, quod actus nobilissimus visionis ex duplice capite fortatur supernaturalitatem, ex parte, nempe, luminis gloriae, & ex parte specialis concursus beatifici objecti; ac similiter, quod intellectus ex utroque capite elevetur, & ex parte specialis concursus, (qua elevatio pertinet ad actum secundum) & ex parte luminis potentiam elevantis ad supernaturalem statum; qua elevatio spectat ad actum primum, & est regulatiter necessaria, ut actus majori cum connaturalitate fiat.

## QUÆST. IV.

Utr. *CREATUS INTELLECTUS DIVINITUS ELEVARI POSIT AD PRODUCENDAM BEATAM VISIONEM ABSQUE LUMINE GLORIAE?*

<sup>1</sup> **P**Ræmittendum est, quod in praesenti non est sermo de intellectu omni secluso lumine, tam intrinseco, quam

extrinseco: est enim verum, nullam potentiam creatam ex naturalibus suis Deum clare videre posse. Lumen igitur gloriae, ut supra dicebamus, potest esse, vel intrinsecum, vel extrinsecum. Intrinsecum est, quod intrinsecè inheret intellectui, ipsumque elevat in actu primo in ordine ad beatam visionem. Extrinsecum est concursus specialis Dei, seu extrinsecum auxilium. Quod igitur querimus in praesenti est; utrum sine lumine intrinseco, solumque per auxilium extrinsecum, seu specialem Dei concursum possit creatus intellectus elevari de potentia absoluta ad producendam beatam visionem? Quæ difficultas pariter procedit de actibus fidei, spei, & charitatis: an, scilicet, possint divinitus effici sine supernaturali principio intrinseco potentia inherente? Circa quod duplex est opposita sententia. Prima assertit, nullam potentiam naturali posse producere actum supernaturale sine habitu, seu alio principio intrinsecè inherente illi, & vices habitus supplete; consequenterque in proposito affirmat, non posse fieri visionem beatam absque lumine gloriae habituali, vel actuali intrinsecè inherente intellectui, illumque per modum prin-

principij elevante. Sic communiter Thomistæ. Pro 2. autem, & nostra sententia:

2. Conclusio sit: lumen gloriae non est adeò necessarium intellectui ad videndum Deum, ut implicit contradictionem, Deum se solo sine infusione luminis gloriae, aut alterius supernaturalis qualitatis intellectui inharentis, quæ habeat rationem principij effectivi, elevare intellectum ad eliciendam beatificam visionem; potest enim sic illum elevare per solum concursum specialem extrinsecum. Sic Scot. in 3. d. 14. q. 2. & cum eo omnes Scotistæ, & alij quamplures, quos citat, & sequitur Eruditiss. Master. tom. 1. disp. 6. q. 5. numer. 154. Prob. 1. conclus. ex Subt. Doct. præcitat. §. præterea: nam quidquid potest Deus facere mediante causa secunda efficiente, potest etiam immediate, & se solo facere: sed lumen gloriae nullam alium influxum, nisi effectivum habet in visionem beatam: ergo si medio illo Deus visionem producere potest, etiam & se solo absque lumine. Major est commune Theologorum axioma: minor patet ex dictis in prædenti quæstione: conseq. est legitima.

3. Prob. 2. conclusio: nam nulla est repugnantia in hoc: g.

non est denegandum Divinæ Omnipotentia: Prob. antecqd. excludendo præcipua capita, ex quibus adversarij implicatiā deprimunt; nam non est implicatiā ex vitalitate actus; actus enim visionis, quatenus vitalis, satis habet, si procedat à causa vitali: sed hoc salvatur non minus cum concursu immediato Dei, quam cum concursu luminis; utrobique enim influit intellectus, ut supponimus: erg. &c. Præterea, non repugnat ex supernaturalitate visionis; supernaturalis enim effectus, ut sic satis habet, si à principio supernaturali procedat: sed hoc salvatur in nostro casu: erg. &c. Prob. min. quia hoc habebit actus ex eo, quod procedat ab omnipotenti, nedum per concursum universalem, sed per specialiter in illum influentem: immo potius etiam de facto quavis supernaturalitas attendatur etiam ex luminis concursu, adhuc magis principaliter attenditur penes Deum specialiter concurrentem per modum objecti: erg. cum concursu speciali Dei, & per auxilium solum extrinsecum, optimè supernaturalitas visionis salvatur. Denique, non repugnat ex eo, quod potentia naturalis sit ex se improportionata ad supernaturalitatem, quod sic ostenditur:

tur: nam potest proportionari per principium extrinsecum, quo adjuvari potest, suppleri que defectus virtutis, qui in ea est, & per specialem concursum æquivalentem illi, quo adjuvaretur à supernaturali intrinseco principio: erg. non repugnat ex improportione potentiae. Prob. anteced. nam ut causa producat, vel possit producere effectum partialiter, non est opus, quod in se ipsa habeat totam vim agendi: sed sat est, quod gaudeat aliqua, per quam possit cum alterius causæ confortio attingere effectum: erg. intellectus potest proportionari per solum auxilium extrinsecum, ut beatam visionem producat. Tamen isti, quæm præcedenti rationi varie conuantur respondere Thomistæ, ut earum vim enervent; sed frustra quidem, nam eorum solutiones facile exploduntur, quas invenies impugnatas apud præalleg. Mastr.

4 Arg. 1. ut intellectus concurrit ad visionem, debet elevari, & constitui in actu primo potens ad illam producendam, cum talem actum primum ex se non habeat: sed nequit sic elevari in actu primo absque alio comprincipio intrinseco, sive per modum habitus, & qualitatis permanentis, sive per modum actualis

auxiliij intrinsecè inherentis: g. nequit absque lumine intrinseco producere visionem. Respondet. neg. min. nam non aliter debet intellectus elevari ad visionem, nisi quatenus indiget alio comprincipio supernaturali adjuvante; & parum refert, (ut nuper dicebamus) quod tale comprincipium sit intrinsecum, extrinsecum. Ratio est; nam etiam quando est in intellectu ipsum lumen, non requiritur, nisi ut causa efficiens. In nostro igitur casu sufficierter censemur intellectus in actu primo constitutus proxime, ex eo, quod Deus intelligitur paratus ad concurrendum cum illo, concursu æquivalenti illi, qui præstaretur à lumine inherenti; & tunc censemur elevari in actu secundo, quando Deus actu talem præstat concursum.

5 Arg. 2. intellectus concurrit ad visionem tanquam causa principalis: erg. habet virtutem sibi intrinsecam, & proportionatam visioni: ergo. nequit visionem producere absque lumine gloriæ intrinsecè complete rationem principij supernaturalis. Patet antec. & prima conseq. prob. nam in hoc differt causa principalis ab instrumentalis: illa enim debet habere virtutem propriam proportionatam, non vero sic ita.

Secunda conseq. etiam probat. quia visio est supernaturalis, intellectus autem potentia naturalis : erg. ante quam hic illam producat, debet proportionari ab aliquo intrinseco supernaturali. Respond. conces. antecedenti, distinguendo primum consequens : habet virtutem visioni proportionatam, in suo genere, conc. simpliciter, & adæquate, subdit. per virtutem superadditam, & semper intrinsecam, neg. per aliquid superadditum, sive intrinsecum, sive extrinsecum, conced. consequentiam. Hoc patet exemplo diuorum navim v.g. trahentium, quorum unus adjuvatur ab altero, non quia ab illo aliqua virtus sibi superad datur ; sed quia unus simul cum altero facit unam integrum causam totalem : sic similiter in nostro casu ; nam incompleta virtus intellectus adjuvatur a Dei omnipotencia per suum concursum specialem, tanquam per concusam supernaturalem, cum qua intellectus unam causam totalem constituit. Ad secundæ consequentię probationem distinguit. consequens: debet proportionari per virtutem sibi intrinsecè additam, neg: additam extrinsecè, vel intrinsecè, conc. consequentiam, ut sepe usque huc diximus. Si alia argumenta desideras, eorumque

solutions apud præcitatū Mastrium illa invenies.

## QUÆST. V.

Utr. *VISIO BEATA POSSIT esse præcisiva, & quomodo?*

I **P**ro hujus intelligentia questionis, præmittendum est, quod, ut ejus titulus innuit, controversia non procedit de facto, sed de potentia Dei absoluta ; de facto enim est indubitata fidei veritas, omnes beatos in patria videre Deum sicuti est, in tribus personis subsistentem, attributa, & omnia, quæ sunt formaliter in ipso ex natura rei, saltem quoad absolutam perfectionem, quam important, præscindendo a respectibus rationis, quos quædam attributa fundare intelliguntur, vel terminare respectu creaturarum, ut dici solet de scientia, & omnipotencia, quatenus intelliguntur fundare respectus rationis ad res omnes scibiles, & possibles. Neque item in presenti tantum est sermo de præcisionibus formalibus, quas solas admittunt, præsertim in creatis, Neoterici quidam juxta Nominalium doctrinam ; sed etiam de objectivis, quas necessario esse admittendas incomerto est fere apud omnes

nes. Beata itaque visio erit præcisiva, si per eam videri possit objectum beatificum secundum unam formalitatem, quin secundum aliam videatur. Unde sensus quæstionis est: utrum possit videri essentia, non visus attributis, vel relationibus. Circa quam, prima, & communis Thomistarum sententia tenet, quod nec de potentia Dei absoluta fieri potest, ut Divina Essentia videatur sine personis, vel sine attributis; & similiter nec potest videri una perfectio sine alia. Pro secunda vero, & nostra sententia, sit:

2 Conclusio: visio beatifica potest de absoluta Dei potentia esse præcisiva, ita ut videri possit Divina Essentia, non visus personis; atque una persona sine alia, necnon, & in essentia una perfectio, ceteris non visis perfectionibus. Sic expressè nost. Subt. Doct. in 1. d. 1. q. 2. vers. Quantum ad istum. ubi inquit: *De potentia absoluta Dei non video contradictionem: quin possibile fit ex parte intellectus, & voluntatis, quod utriusque actum terminet essentia, & non persona; vel una persona, & non alia: puta quod intellectus videat essentiam, non personam; vel unam personam, & non aliam; & quod voluntas fruatur essentia, non persona; vel una persona,*

*& non alia. Quem præter suos omnes discipul. alij quam plures sequuntur.*

3 Probatur 1. conclusio: communis nostræ Scholæ fundamento: nam de facto, & realiter aliquid convenit essentiæ, vel alicui divinæ perfectioni à parte rei, quod non convenit relationibus, alijsque perfectionibus, non obstanti summa reali earum identitate: ergo sic etiam poterit essentia, vel aliqua perfectio divina terminare visionem intellectus creati, quia simul omnia alia, quæ in Deo formaliter sunt, videantur. Antecedens est fidei dogma: nam Divina Essentia communicatur personis productis, & non communicatur Paternitas, nec Filiiatio: Pater per intellectum generat Filium, & non per voluntatem; uterque per voluntatem spirat Spiritum-sanctum, & non per intellectum: unio hypostatica in Christo D. immediate terminatur ad solam verbi personam, non autem ad essentiam, neque ad alias personas: quæ omnia optime salvantur a Scoto per formalem ex natura rei distinctionem, quæ intercedit inter essentiam, & relationes, inter essentiam, & attributa, ac inter attributa invicem comparata: & etiam Recentiores prætendant salvare per solam virtualeri distinctio-

nem : ergo eadem distinctio pariter erit sufficiens , ut Divina Essentia possit terminare visionem intellectus creati , etiam si haec non terminetur ad alia in essentia inclusa ex natura rei per realem identitatem . Patet consequentia : nam juxta rationem naturalem , difficiliora apparent assumpta in antecedenti , quam illatum in consequenti ; illa siquidem indicant aliquam intrinsecam diversitatem in Deo : sed per actum visionis Deus solùm extrinsecè attingitur ab intellectu creato : ergo &c.

4 Prob. 2. conclusio , & præfertim , quod una persona videri posset sine alia : una persona potuit incarnari sine alijs : ergo etiam potest videri sine alia . Patet consequentia ; non enim est minor unio , quæ fit per incarnationem , quam quæ fit per visionem : ergo si unio hypostatica potuit ad unam personam terminari , quin ad alias terminaretur ; sic etiam necessario videtur concedendum determinatione visionis .

5 Prob. 3. conclusio ex non repugnantia : nulla enim est implicantia in hoc , quod beatus videat essentiam , non visus personis , neque ex parte objecti , neque ex parte ipsius visionis : ergo ex nullo capite repugnat ; proindeque absoluta

Dei potentia concedendum . Probatur prima pars antecedentis : nam motio Divina Essentia respectu intellectus est libera , non enim movet , nisi medio voluntatis actu : ergo poterit movere ad visionem unius divinæ formalitatis , & non ad visionem alterius . Respondent Adversarij : quod libertas objecti beatifici in movendo stat in hoc ; quod posset movere , vel non movere ad visionem ; eo tamen ipso , quod vult movere , deber manifestare quidquid in ipso à parte rei reperitur ob summam identitatem eorum , quæ sunt in eo , quæ sicut sunt connexa in esse , ita , & in cognosci . Sed contra est : nam omnes illæ formalitates , & si sint ad invicem realiter identificatae , adhuc tamen sunt ad invicem formaliter ex natura rei distinctæ : ergo singulæ habent propriam conceptibilitatem , secundum quam possunt terminare actum intellectus , etiam intuitivum , quem alia formalitas non terminet .

6 Prob. 2. antecedentis pars : nam non repugnat ex ratione visionis , neque ex ratione visionis beatifica : ergo non repugnat ex parte actus . Prob. 1. pars hujus antecedentis : nam si repugnaret ex parte visionis , maximè ; quia intuitiva est : sed non repugnat , quod intuitivè videatur una formalitas , alia fe-

secum realiter identificata, non visa intuitivè: ergo, &c. Major est adversariorum; & min. probatur: nam formalitas à Scotis definitur, esse illa realitatem, quæ se sola terminare potest actum intellectus, sive abstractivum, sive intuitivum, absque eo, quod terminetur ad aliam realitatem condistinctam, etiam si sit realiter illi identificata; & præterea, non est de ratione notiæ intuitivæ, quod per eam attingantur quæcumque sunt realiter identificata in objecto; hoc enim pertinet ad notiæ comprehensivam; de ratione namque intuitivæ est, quod terminetur ad objectum in propria natura existens, ut in seipso præsens: sed totum hoc habetur in casu questionis: ergo, &c. Prob. 2. pars antecedentis: nempe, quod non repugnat visionem præcisivam esse, eo quod beatifica est; quia dato per impossibile, quod Deus non esset trinus, nec haberet relationes, adhuc visio ipsius beatifica esset, ut plures adversarij fatentur: sed de facto essentia, secundum se formaliter considerata, tam perfecta est, ac esset in dato casu impossibili; nam ut præscindit præsertim à relationibus, est bonum simpli- citer infinitum, & summum: ergo visio solius Essentiæ Di- vinæ, si de potentia Dei abso-

luta daretur, adhuc beatificaret; ac per consequens ex nullo capite repugnat, quod Divina Essentia videatur, quin videantur relations.

7. Prob. ultimo conclusio ex Doct. cit. Pater, ut prior origine Filio, est perfectè beatus: *Quia nullam perfectionem sibi intrinsecam habet à persona producta;* & beatitudo est perfectio intrinseca personæ beatæ: ergo in illo priori habet objectum perfectè beatificans; sed in illo priori non videtur habere essentiam communicatam tribus, sed ut est in una persona præcisè: ergo non est de ratione essentiæ, ut est objectum beatificum, quod beatificet in quantum est communicata tribus: & ita non videtur contradicatio, sive quantum ad visionem, sive quantum ad fruitionem; scilicet quod beatificet in una persona.

8. Confirm. ex ipso Doct. cit. quia si Pater intelligat beatifica visione essentiam, ut in Filio: igitur aliiquid quasi recipieret à Filio, vel ab aliquo, ut in Filio. Probat. conseq. per argumentum Philos. 12. Metaph. quo probatur, Deum non intelligere aliiquid aliud à se, quia tunc vilesceret ejus intellectus; quia perfectionem recipieret ab intelligibili: igitur ita hic. Immó, quod est majus in

conveniens , perfectionem simpliciter , puta visionem beatificam , quasi reciperet Pater à tribus personis , ut objectis , vel ab aliquo , ut in tribus . Et tunc videntur sequi duo absurdia . Primum , quod non omnem perfectionem habet Pater à se ; & sic non esset prior origine . Secundum , quod non omnis perfectio simpliciter , & essentialis sit aliquomodo prior proprietatibus relativis ; sed aliqua quasi posterior ipsis personis ; puta ista quæ est ab objecto , ut in tribus . Sic ibi . Quod confirmat additio Mauritij Hiberni , & explicatio Licheti , videantur ibi .

9 Nunc autem est difficultas ; an visio , qua in hypothesis data , videretur essentia sine personis esset eadem cum ea , qua modo videtur Deus cum personis ; & hoc intrinsecè , & essentialiter , solumque extrinsecè , & accidentaliter foret distincta ? Respondet . cum Scoto in i. d. i. q. 2. §. quantum ad istum articulum , affirmative . Prob. ratione ipsius : nam omnis actus habens objectum primarium à quo essentialiter dependet , & objectum secundarium à quo non essentialiter dependet , sed tendit in hoc virtute primi objecti ; & si non possit manere idem actus , nisi maneat habitudo ad primum objectum ; po-

test tamen manere sine habitudine ab objectum secundarium : ( à quo non essentialiter dependet ) sed essentia sola est primarium , & essentialis objectum beatificæ visionis ; personæ autem , attributa , & quæcumque alia , quæ videntur in Deo sunt objectum secundarium ; non enim cognoscuntur in se virtute propria , sed virtute essentiæ , & in ista videntur : ergo potest visio beata eadem manere terminata tantum ad essentiam ; & non ad personas . Probat . major à Doct. exemplo creaturarum in essentia visarum ; sive enim videantur , sive non videantur , maner semper eadem visio , dum modo ad essentiam terminetur . Cujus ratio est ; quia visio beata non dependet à creaturis essentialiter , sed tantum accidentaliter ; atque ideo nequit essentialiter variari , variatis tantum his , à quibus accidentaliter dumtaxat dependet , ut per se constat .

10 Arg. i. ex illo Joann. 14. ubi Christus D. inquit : Philippe , qui videt me , videt , & Patrem ; quia ego in Patre , & Pater in me est . Et ex ipso Joan. 10. Ego , & Pater unus sumus . Circa quod D. Gregor . Nazianz . orat . 49. Quia unitate substantiæ , & maiestate divinitatis unus sunt : ergo implicat , quod videatur essentia , quin videantur personæ , & una persona sine alia ,

alia ; sicut implicat , quod ve-  
tar unum , & idem non videa-  
tur. Confirmatur ex Aug. 1. de  
Trinit. cap. 10. *Quia neuter*  
*sine altero ostendi potest* ; & lo-  
quitur de Patre , & Filio : ergo ,  
&c. Respond. cum Doct. in 1.  
d. 1. q. 2. §. & vers. *Quantum*  
*ad 4. artic.* hos textus intelli-  
gendos esse , *de potentia ordina-*  
*ta , de qua locutus est Philippus ,*  
*volens Patrem sibi ostendi , qua-*  
*si potuisset de facto vidisse Fi-*  
*lium sine Patre.* Idem dicit ad  
Aug. De potentia autem absolu-  
ta non implicat evenire opposi-  
tum ; quia licet unum videretur ,  
& idem realiter non videretur ,  
nulla contradic̄tio sequeretur nā  
non esset de eode , secundū idem ,  
sed secundum diversam forma-  
litatem ; sicut communicari , &  
non communicari , *de essentia ,*  
*& Paternitate , quæ omnino sunt*  
*idem realiter à parte rei.*

11 Arg. 2. nequit videri  
Essentia Divina quidditatib⁹ ,  
quin videatur , ut communica-  
bilis tribus personis : sed eo ipso  
quod sic intuitivē , & quidditati-  
vē videatur , non possunt per-  
sonæ non videri ; neque una  
persona sine alia , quia relata  
sunt simūl natura , & cognitione :  
ergo , &c. Respond. conc. maj.  
& neg. min. quia ex communi-  
cabilitate quidditativa essentiæ ,  
quæ videretur , solum potest  
probari , quod persona cognos-

cerentur , scilicet , abstractive  
per illationem , non autem per  
intuitionem. Idem dicimus de  
una persona visa , respectu alte-  
rius non visæ , quam etiam in-  
ferret per cognitionem abstrac-  
tivam ; quia illud axioma de-  
sumptum ex Philosoph. *relata*  
*sunt simūl natura , & cognitio-*  
*ne , nihil aliud intendit , nisi*  
*quod debeant cognosci : & quo-*  
*modocumque cognoscantur , suf-*  
*ficit ; nam experientia constat ,*  
*quod possumus videre intuitivē*  
*Patrem existentem Matriti , quin*  
*videamus intuitivē Filium exis-*  
*tentem Romæ ; quia quanvis*  
*sunt simūl natura , & cognitione*  
*correlativa ; non verò sunt si-*  
*mul in modo cognitionis.*

12 Arg. 3. non potest una  
persona se manifestare sine alia ;  
quia actiones ad extra sunt in-  
divisæ : ergo nec una videri sine  
alia. Respond. manifestationem  
sumi , vel activè , vel passivè , &  
terminativè ; non potest autem  
manifestatio sumpta activè fieri  
ab una tantum persona ; immò  
in hac suppositione omnes per-  
sonæ efficerent talem manifes-  
tationem ; sed manifestatio sumpta  
passivè , potest ad unam ter-  
minari , & non ad aliam. Repli-  
cabis : una persona non potest  
beatificare sine alia : ergo nec  
videri sine alia. Prob. anteced.  
per rationem superius allatam ;  
quia scilicet beatificatio est ac-

tio ad extra , quæ necessariò competit tribus personis indivisiùm. Respond. eodem modo ac priùs , quod beatificatio activè sumpta non possit competere uni personæ scorsim ; quia sunt tres personæ , quæ beatificant , id est , quæ concurrunt ad visionem unius persona : si tamen beatitudo sumatur passivè , una sola persona beatificare potest saltem cum Essentia Divina ex qua constituitur ; in quantum scilicet potest terminare visionem alicujus Beati , absque eo quod talis visio ad aliam personam terminetur. Exemplificari potest de Incarnatione. Si incarnatio sumatur activè , pro actione scilicet incarnativa , seu unitiva humanitatis ad Verbum D. pro tunc tres personæ incarnant , & incarnatio activè sumpta omnibus competit : si verò sumatur incarnatio passivè , seu terminativè , est solum Verbum quod incarnatur. Sicut ; v. gr. si essent tres homines qui induerent vestem uni trium ; induitio activè sumpta tribus compiceret , quia tres illi homines induerent : si verò induitio sumatur passivè , illa competit tantum uni , quia unus tantum induitur.

13 Arg. 4. qui indivisibile attingit , aut nihil , aut totum attingit : ergo qui indivisibile videt , aut nihil , aut totum vi-

det. Subsumo nunc ; atqui Divina Essentia cum personis , & attributis est quid indivisibile. ergo nequit videri , quin videantur persona , & attributa. Respond. conced. primum entymema ; & disting. min. subsuptam : Essentia Divina cum personis , & attributis est quid indivisibile , in partes conc. in plures conceptus , seu in plures formalites , & realitates scorsimi conceptibiles , & scorsim visibles , neg. & neg. conseq. plura enim sunt in Deo , quæ possunt scorsim concipi , & quæ ex natura rei formaliter distinguntur , ut sape dicitum est. Deinde , essentia , & personalitas sunt quid indivisibile ; & hoc non obstante , communicatur essentia ; & non communicatur personalitas ; unitur immediatè personalitas , & sic immediatè non unitur essentia : ergo similitè potest videri una , quin videatur & alia.

14 Replicabis : cognitio beatifica est cognitio distincta : sed visio essentiæ , sine personis , est confusa : ergo non potest dari. Prob. min. quod communicatur pluribus , non potest nisi confusè videri , si non cognoscantur illa , quibus communicatur : sed Essentia Divina communicatur personis : ergo visio essentiæ , sine personis , est confusa. Respond. neg. min. & disting. majorē probationis:

si illud quod communicatur multis, non habeat existentiam perfectam, & completam sine illis, concedo: si habeat, nego: v. gr. quia animal non habet existentiam perfectam à se, sed illam emendat ab homine, vel à bruto; ideo non cognoscitur distinctè, & perfectè, nisi cognoscantur inferiora. Quia autem Deus ut sic, habet existentiam completam, & perfectam independenter à personis (Deus enim, ut Deus, est singularis, existens, & hic) ideo potest distinctè cognosci, sine personis; immò talis cognitio erit intuitiva; quia terminatur ad rem existentem existentia absolute, non verò relativa, quæ habetur à personis.

15 Replicabis: dum intellectus videret essentiam divinam, necessariò essent attributa, & relationes ante intellectum: ergo necessariò videret omnia. Antecedens est evidens. Prob. conseq. oculus corporens unico intuitu videt omnia, & si sint disparata, quæ sunt ante ipsum, quin possit non videre: ergo si attributa, & relationes, simul cum essentia sunt pariter ante intellectum, videns essentiam, omnia alia videbit necessario. Respond. disting. anteced. necessariò esent attributa, & relationes in esse physico, conc. in esse intelligibili, seu visibili,

neg. & etiam conseq. Ad probationem, neg. paritatem: quia Deus, ad extra, est objectum liberum; objecta autem visibilia ab oculo corporeo sunt naturaliter necessaria. Negamus etiam, oculum corporeum videre diversa objecta disparata per unicum indivisibilem intuitum; quia sicut implicat, quod eadem species impressa representet virtualiter hominem, & lapidem, pariter repugnat, quod idem indivisibilis actus, seu species expressa, eos representet: sunt enim distincti actus, et si simul existant per modum unius.

16 Arg. ultimo: illud in quo sunt plura, non potest distinctè, & perfectè concipi, nec intelligi, sine illis: sed personæ sunt in Deo: ergo, &c. Respond. Si illa, quæ sunt in alio, non distinguuntur ab illo formaliter, concedo; si distinguuntur, neg. Personæ autem, quæ sunt in Deo distinguuntur formaliter ab illo. Deinde aliter distingo maj. si illa, quæ sunt in alio, dicant aliquam perfectionem, quæ non sit in continente, conc. si non dicant aliquam perfectionem, nego: personæ autem non dicunt perfectionem, quæ non sit in Deo, ut Deus est; Deus enim non est magis perfectus cum personis, quam sine illis. Dices: si beatus possit videre essentiam sine per-

sonis, erit Beatus per visionem solius essentia<sup>r</sup>, quod est falsum; quia beatitudo perfecte quietat; qui tamen videret solam essentiam, desideraret adhuc videre personas. Respond. esset revera Beatus, & perfecte quietaretur; quia Deus ut sic est summum bonum, & personas non sunt perfecta<sup>r</sup>, aut imperfecta<sup>r</sup>; ideo nullus esset beatior videndo Deum cum personis, quam sine illis.

## DISPUTAT. II.

*DE CONCOMITANTIBUS,  
& subseuentibus ad beatitudinem essentialiēm  
Patriæ.*

**D**iximus disputat. antecum Scot. & Scotistis, beatitudinem formalem patriæ triplicem esse, nempè, intellectus, voluntatis, & totius naturæ intellectualis: & beatitudinem intellectus essentialiter constituimus in visione Dei, qua intellectus beati, in sua linea intellectiva Deum possidet: beatitudinem vero voluntatis essentialiem in amore amicitia<sup>r</sup>, quo voluntas beati Deum sibi propositum per visionem beatificam, diligit, ipsoque fruatur, & in sua linea volitiva ipsum possidet. Et demum beatitudinem essentialiem intel-

lectualis naturæ constituimus non æqué in utraque beatitudine potentiarum; sed in beatitudine illius potentia<sup>r</sup>, quæ perfectior est, scilicet, in operatione, seu beatitudine potentia voluntatis. Verum enim verò, quia dantur in Beatis plura alia, quæ etiam si non spectent ad rationem essentialiem, neque beatitudinis potentia intellectus, neque potentia voluntatis, neque intellectualis naturæ; spectant tamen ad complementum status beatitudinis essentialis, vel potentia intellectiva, vel potentia volitiva, vel intellectualis naturæ; ideo explicandum superest, quæ, & qualia sint ista, quæ suo ordine in ista Disputatione præstabitur.

## QUÆST. I.

*QUÆ CONSEQUANTUR,  
vel comitantur beatitudinem essentialiēm potentia intellectus?*

**D**iximus, quod est veritas fidei indubitate, omnes beatos in patria videre Deum, sicuti est in tribus personis subsistentem, hoc est, vident Dei essentiam, & simul tres personas divinas, & omnia attributa, seu omnes perfectiones formaliter in Deo exis-

existentes, præscindendo à respectibus rationis, quos quædam attributa fundare, vel terminare intelliguntur comparatione creaturarum. In hoc omnes Theologi convenient; quia habetur ex pluribus Sac. Scriptura locis, & est definitum in Constitutione 4. Benedicti XII. §. 3. ubi ait: *Beatos videre divinam essentiam visione intuitiva, & faciali, nulla medianante creature in ratione objectivise habente, sed divina essentia immediatè se nudè, clare, & apertè ostendente.*

2 Conveniunt insuper DD. Catholici, Beatos, præter objecta prædicta, videre etiam aliqua, quæ dicuntur esse in Deo virtualiter, & eminenter, quales dicuntur esse creaturæ, tam possibles, quam futuræ. Hoc passim docent SS. PP. & præsertim D. August. 4. super Genes. ad litt. cap. 29. ubi in Beatis duplicem affirmat dari creaturarum cognitionem, unam matutinam, alteram vespertinam; matutinam appellat cognitionem creaturarum in Verbo; vespertinam verò eam, quæ habetur in proprio genere, & per proprias species de creaturis. Ita etiam discurrat lib. 11. de Civit. Dei, cap. 29. ubi enumeratis varijs creaturarum cœlestium, & terrestrium speciebus, subdit,

quod omnia hec aliter in Verbo Dei à Beatis cognoscantur, ubi habent causas, rationesque suas, secundum quas facta sunt, immutabiliter permanentes; aliter in se ipsis; illic clariori, hic obscuriori cognitione. Sic etiam discurrat D. Bernard. lib. 5. de Consider. ubi de Beatis inquit; quod vident Verbum, & in Verbo facta p. r. Verbum. Hoc etiam ratio ipsa suaderet; quia visio beatifica est quedam participatio visionis illius increatæ, qua Deus seipsum, & creaturas cognoscit: sed Deus in essentia sua videt creaturas secundum esse proprium, quod in se ipsis habent, vel habere possunt: erg. censendum est, Beatos quoque eodem modo creaturas aliquas in essentia divina videre posse, & de facto videre.

3 Insuper, propter easdem rationes, etiam est communis sententia, quod Beati de facto vident aliqua Dei decreta libera; non tamen omnia. Patet ex D. Bernardo, qui explicans illud Ps. 26. Ut videant voluntatem Domini: asserit, quidn' videtur ibi cor Dei patient cogitationes pacis, divitiae salutis, mystria bona voluntatis, &c. Deinde, Concil. Senonense, decreto 15. damnans errorem aliquorum asserentium, Beatos non esse orantem, Hhhh 2 dos,

dos, quia nostras preces ignorant, inquit: *quam sit hoc, non solum veritati, sed Scripturæ quoque disonum, intelliget, qui Beatis per vium esse non ignorat Divinitatis speculum, in quo quidquid illorum interficit, illumescat.* Ergo Beati de facto vident aliqua Dei decreta libera, præcipue illa, quæ ad suum statum, & suorum clientolorum pertinet. Quod autem de facto non videant omnia decreta libera Dei, patet ex illo Math. 24. *De die illa ( scilicet judicij extremi) nemo soit; neque Angeli Dei in Cœlo.* Secundò ex 1. Corin. th. 2. *Quæ sunt hominis nō novit, nisi spiritus hominis.* Matth. 14. *Quæ sunt Dei nō novit, nisi spiritus Dei.* Ad Ephes. 3. *Mibi data est gratia evangelizare: ut innoveat principatibus, & potestatisbus, in cœlestibus per Ecclesiam, &c.* ubi glossa notat, quod Angeli didicerunt multa per Ecclesiam. Insuper ex D. Dionys. de Cœlest. Hierarch. cap. 7. ubi ait: *Angelos superiores illuminare inferiores, manifestando eis occulta Dei consilia:* erg. Beati non vident omnia decreta libera Dei; si quidem nesciunt diem judicij, & Angeli didicerunt plura per Ecclesiam, quæ antea ignorabant; inferioresque nesciebant

pariter ea, quæ à superioribus accipiunt.

4 Nunc autem est difficultas prima, an ex vi visionis beatificæ videantur præcisè predictæ creature possibiles, & futuræ? Respond. negative. Cujus ratio est, quia de intrinseca, & essentiali ratione visionis beatificæ, solum est terminari ad objectum beatificum, quale est divina essentia, & ejus attributa; & quanvis creature possibiles in suo esse virtuali, & quod habent in Deo, tanquam in causa, non distinguantur realiter ab ipso Deo; differunt tamen ab illo in suo esse formalí, & proprio, in quo sensu hic loquimur.

5 Secunda difficultas est, unde proveniat, quod Beati cognitione matutina videant istas creature possibiles potius, quam alias? Respondeatur, hoc provenire, quia quanvis ad talē cognitionem matutinam non moveant intellectum Beati ipsa creature, sed divina essentia; hoc tamen non præstat naturaliter, & ut divina essentia est, sed liberè, & ut divina voluntas: Unde potest ad suum libitum movere intellectum Beati ad cognitionem harum creaturearum possibilium, potius, quam alias, juxta dispositionem suæ divinæ providentie: imitatio, & posset non

non movere ad cognitionem aliquarum , sicut non movet ad omnes.

6. Tertia difficultas est, quæliter videant Beati creaturas in Essentia Divina ? An , scilicet, tanquam in causa , vel tanquam in speculo , & species expressa rerum omnium repræsentativa ; vel potius tanquam in idæ , & species impressa eminentiali omnium creaturarum , vel sibi alio conceptu ? Respondetur cum nostr. Mastr. quod in hac difficultate discurrendum est de intellectu Beato , sicut discurritur de intellectu divino , servata tamen proportione debita ; & quemadmodum supra diximus , divinum intellectum videre cuncta possibilia in essentia sub nullo ex præfatis modis ; sed tantum tanquam in objecto primario , & medio prius cognito : ita in proposito dicimus de intellectu Beato ; cum hac tamen differentia , quod comparatione divini intellectus essentia est omnino naturaliter illimitata ratio objectiva cognoscendi possibilia , quatenus verò supponit decreta divinæ voluntatis , est ratio cognoscendi determinatè futura . Ceterum comparatione intellectus creati simul dicitur ratio cognoscendi possibilia , & futura , quatenus illius est præcisè motiva liberè per actum liberum divinæ voluntatis .

7. Respond. 2. cum nostr. Ant. Perez ; quod Beati non vident creaturas in Essentia Divina , tanquam in specie expressa proprie loquendo . Ratio est , quia species expressa est actus vitalis , à potentia vitali proveniens , & est ratio cognoscendi in intellectu cui inharet , quin ipsa species expressa cognoscatur directè per se ipsam : erg. Essentia Divina non est species expressa creaturarum , ad intuicionem ipsarum . Neque cognoscuntur , aut videntur à Beatis in Essentia Divina , ut in idæ ; nam idæ creaturarum est ipsum esse possibile productum in esse cognito , ut Tractatu de Deo Uno diximus : erg. non vident Beati creaturas in Divina Essentia , ut in idæ earum . Neque videntur creature à Beatis in Divina Essentia , tanquam in speculo , proprie loquendo . Sic Doct. Subt. quodlibeto 14. §. Nunc autem , vers. Respondeo , ubi ait : *Lapis videtur in Essentia Divina , non ut in speculo , in quo reluceat.* Ratio est , quia licet plures SS. PP. Essentiam Divinam appellant speculum omnium rerum , hæc locutio non est propria , & rigorosa , sed tantum metaphorica . Metaphora , seu similitudo stat in hoc , quod sicut speculum est ratio , quare alia videantur in illo , etiam Divina Essentia .

Essentia, est ratio quare omnia in illa videantur. Differunt tamen maxime in eo, quod speculum videtur per diversam speciem impressam, & expressam, ac videntur res in ipso: at autem in Essentia Divina, ipsa, & omnia videntur per eamdem speciem sicut impressam: erg. propriè loquendo non videntur creaturæ in Divina Essentia, tanquam in speculo.

8 Neque insuper videntur creaturæ in Divina Essentia à Beatis tanquam in causa. Est contra Thomistas. Suadetur sic: Videre creaturas in essentia tanquam in causa, solum est videre eas secundum esse virtuale, quod habent in essentia, vel ratione omnipotentiae: sed hoc esse virtuale est ipsum esse Dei: erg. creaturæ non videntur in Deo tanquam in causa, ut habent esse formale proprium, sed tantum ut sunt ipsa essentia, & vita creatrix. Deinde: ideo videntur creaturae in essentia tanquam in causa, quia videtur virtus quæ potest eas producere; sed hæc virtus potest producere omnes: erg. Beatus-videns hanc causam, seu virtutem videret omnes creaturas; sed hoc non: ergo ultra rationem virtutis, & causæ, alias conceptus essentiaz debet videri, ut in ea videantur creatu-

ra. Atqui non aliud congruentior est, quam ratio objecti motivi sui ipsius, & omnium aliorum: erg. non ut causa, sed ut objectum liberè motivum, est ratio quia Beati vident creaturas. Hæc tamen dissensio magis habet de nomine, quam de re.

9 Quarta difficultas est: *An creature videantur in divina Essentia à Beatis simul, vel successu temporis?* Respond. quod de posibili utroque modo fieri potest: de facto autem videtur fieri successu temporis. Ratio est; quia Angeli à principio beatitudinis ignorauit aliqua mysteria gratia, quæ postea cognoverunt. Constat ex Apost. ad Ephes. 3. Ut innotescat principiis per Ecclesiam. Deinde, ex Ambros. idipsum dicente lib. de Institut. Virg. & lib. de Mysterijs, cap. 7. D. Dionys. de Cœlesti Hierarch. cap. 7. Præterea, Angeli superiores illuminant inferiores successu temporis: erg. non cognoverunt, nec viderunt omnia à principio Beatitudinis. Antecedens pater ex Dan. 10. ubi Angelus Persarum, & Angelus Judæorum dicuntur inter se altercari, sibique resistere, (ratione, sed non voluntate) quia, scilicet, adhuc ignorabant voluntatem divinam circa liberationem Judæorum. Insuper est certum, ut docetur in Tract. de

Angeli, quod adhuc circa ea, quæ ad eorum statum pertinent, uti sunt, quæ accidunt circa Regna, & Provincias, vel homines suæ curæ commissos, non semper omnia sciant; quia ipsis commituntur in executio-ne successu temporis, & suc-cessu temporis vident illorum exigentias; & denique datur lo-quio, & illuminatio inter ip-sos Angelos: erg. &c.

10 Dices: Div. Aug. 15. de Trinit. cap. 16. afferit: *For-tasse non erunt volubiles no-stre cogitationes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu v d bimus: erg. omnia videntur simul.* Deinde, *Essentia Divina est objectum voluntarium, seu liberum, va-lens, & potens repræsentare omnia simul, vel divisim: erg. non datur major ratio ad di-cendum, quod successivè, quam quod simul repræsentat.* Res-pond. D. August. loqui de Visio-ne Essentiæ Divinæ, & eorumque sunt formaliter in Deo, quæ non multis actibus, aut cogita-tionibus volubilibus, sed uni-ca intuitione in æternum dura-tura videbimus, & utinam vi-deamus! Ad secundum, conc. antecedens, & disting. conseq. non datur major ratio, desump-ta ab authoritate, neg. desump-ta ex natura Essentiæ Divinæ, aut visionis, conc: quia sic po-

test evenire utroque modo, & solùm determinatur ex Dei be-neplacito, secundum ea, quæ diximus ex Apost. & SS. PP.

11 Quinta difficultas est; quæ, aut quales sint creatura, quæ videntur ab unoquoque Beato? Jàm diximus, quod ex vi-sionis Beatæ nulla creatura, nec futura, nec actualis, nec possibilis videtur necessario; quia nulla datur connexio essen-tialis inter Deum, & creature: & quia ad extra Divina Essen-tia est objectum, vel ut com-muniter dicitur, speculum vo-luntarium. Nunc autem SS. PP. ac Theologi communiter do-cent, quemlibet Beatum om-nia, & singula fidei nostræ mys-teria, clarè, & perfecte cog-noscere, quod expressè deduc-itur ex Apost. 1. Corinth. cap. 13. ubi loquens de fidei nostræ mysterijs, inquit: *Vide-mus nunc per speculum, & enigmate; tunc autem in facie ad faciem.* Quod explicans D. Au-gust. lib. 20. de Civit. cap. 1. ait: *Quod videbimus, nisi Deum, & omnia illa, quæ nunc non videamus credentes, hic credi-mus, illic videbimus.* Et lib. de Dilig. Deo, inquit: *Quod hic crediderunt, ibi videbunt.* D. Gregor. lib. 18. Moral. cap. ultimo in fine: *Hæc usq[ue] nunc fide inchoatur, sed tunc in spe-cie perficitur; & quæ per ora*

pre-

*prædicantium, quasi per decur-  
rentia flumina sumimus, tunc  
tibi ipso fonte bibemus. Di- Plan-  
linus Nolanus Episcop. epist. i. 2.  
ad Severum, inquit: Tunc re-  
velanda nobis cum specie vide-  
bimus, quæ nunc per fidem  
prævidemus; itaque hic semina-  
mus, & ibi metemus. Prosper  
Aquitanicus lib. 1. de Vita Con-  
templat. cap. 4. sic pariter dis-  
currat: Hæc est vita beata, ad  
quam qui pervenerint, beatissi-  
Angelis similes erunt, quod  
hic crediderunt, sui cretorem  
substantiam contemplantes. Sic  
etiam loquuntur alii SS. Patres:  
ergo nedum quæ attinent ad  
objectum primarium, sed etiam  
quæ ad secundarium, quæ in  
via credita sunt, ibi videbun-  
tur.*

12. Hoc etiam ratio per-  
suaderet; quia ratione justitiae  
distributiva præmium merito  
respondere debet, ac ei propor-  
tionari: sed fidei meritum in  
eo præsertim consistit, quod  
propter autoritatem, & vera-  
citatem Dei revelantis firmiter  
omnia illa credantur, quæ obs-  
cura sunt, & inevidentia: ergo  
fidei præmium, ut ejusdem me-  
rito corresponeat, in eo con-  
sistere debet, ut omnia illa in  
Patria evidenter, & clare cog-  
noscenda proponantur, quæ  
hic in via obscura erant, & in-  
evidentia. Sed advertit noster

Felix, Antonius Perez, & alij,  
quod licet Beati videant in ver-  
bo omnia mysteria fidei, quan-  
tum ad substantiam, non ra-  
men est necesse, quod illa vi-  
deant quantum ad omnes cir-  
cumstantias temporis, loci, &c.  
ut constat de Resurrectione, &  
ultimo Judicio, Marci 13. Da-  
die autem illa, vel hora nemo  
seit, neque Angeli. Advertunt  
insuper, quod ex eis, quæ im-  
plicite, & in universalis credi-  
derunt, alius magis, & alius  
minus videt, vel juxta mensu-  
ram meritorum, aut juxta vo-  
luntatem Dei; nam non appa-  
ret necessarium, omnes Beatos  
videre in Verbo omnes His-  
torias Sacrae Scripturæ, & omnes  
sensus litterales earum; omnes  
definitiones Conciliorum, omni-  
nes traditiones, omnesque con-  
gruentias, & circumstantias, ob-  
quas Verbum Divinum est lin-  
carnatum; quia hæc pro diver-  
su gradu beatitudinis videbun-  
tur, magis, aut minus. Et sua-  
deri potest ex illa dubitatione  
Angelorum: *Quis est iste Rex  
gloriae? Quis est iste qui venit  
de edon?* erg. Angeli aliquas  
circumstantias non sciebant. Et  
Psalms. 47. *Sicut audivimus, si-  
vidimus in Civitate Domini  
virtutum.* Unde, quando D.  
Gregor. 2. Moral. cap. 2. di-  
xit: *Quid non videant, qui  
videntem omnia vident?* Intel-  
li-

ligendus est virtualiter , non formaliter.

13 Conveniunt insuper Theologi in eo , quod Beati vident in Verbo , seu Essentia Divina , preces , & orationes , quas fideles fundunt ad ipsos . Sic Subt. nost. Doct. in 4.d.45. quæst.4. & universalis sententia Theologorum. Ita semper in Ecclesia Dei traditum fuit ; & in Concil. Senonensi de fide definitum , ac etiam in Tridentino , sess. 25. in Decreto de Invocatione Sanctorum. Et confirmatur ex Tobi. 12. ubi S. Archang. Raphael dixit Tobiae : *Quando orabas cum lachrymis , & sepeliebas mortuos , ego obtuli orationem tuam Domino .* Ratio potest esse , quia hoc spectat ad statum Beati , & ad profectum Clientuli. Unde Subtil. noster Doct. loco citato inquit , quod licet non sit de ratione essentiali beatitudinis , ut Beati videant in Deo orationes nostras ; quia beatitudo potentia intellectiva consistit essentialiter in visione solius essentiae , non vero in visione creaturarum ; congruum tamen est , Beatum esse coadjutorem Dei in procurando salutem electi modo , quo hoc sibi competere potest ; & ad istud requiritur sibi revelari orationes nostras specialiter , quæ sibi offeruntur;

*Tom. I.*

quia illæ specialiter innituntur meritis ejus , tanquam mediatoris perducentis ad salutem , quæ petitur : ideo probabile est , quod Deus Beatis revelet de orationibus sibi , vel Deo in nomine ejus oblatis. Ubi advertant bene nostrates , quod *ly probabile* , non cadit super visionem orationum , sed super modum , quo eas vident scilicet , vel ex vi visionis beatificæ ; vel per revelationem specialem , de quo est controversia inter Catholicos.

14 Confirmatur hæc veritas Catholica ex diversis Lyturgijs Ecclesiæ ab initio à Sanctis Apostolis Petro Romæ , Jacobo Hierosolimis , & cœteris alibi compotis , in quibus supponitur , Beatam Virg. Mariam , quæ est Mater , Advocata , & Adjutrix nostra , cœterosque Angelos , & Sanctos pro nobis orare ; ut patet in oratione S. Eustaphiani , ubi sic Deus oratur : *Concede , ut is pro nobis intercessor existat , &c.* Et in Litanij majoribus : *Omnes Sancti , & Sanctæ Dei intercedite pro nobis , &c.* Ex dictis colligitur , Beatos etiam videre aliquas cogitationes intimas , & secreta cordis ; nam aliquando preces , seu orationes viatorum in mente , seu corde manent : Unde omnia illa cordis secreta , quæ pertinent ad statum cuiuslibet Beati , vi-

*Iiii.*

*den.*

dentur ab illo ; non tamen omnia secreta universaliter.

15 Nec contra hoc ultimum obstat authoritas D. Aug. lib. de Diligendo Deum, cap. ultimo, dicente : *Ita ibi patebunt singulorum singulis mentes ; sicut corporalibus oculis subjacent facies corporales.* Et subdit ; *nec latabit jam perfectè beatos aliquid secretorum.* Similia habet Bernard. Serm. de Triplici bono. ergo beati vident omnia secreta cordium , nullo dempto. Respond. neg. conseq. nam D. Aug. & D. Bern. solùm volunt , quod Beati cognoscunt illa secreta, quæ pertinent ad statum cuiuslibet ; nec aliam cognitionem postulare potest amicitia maxima , quæ est inter Beatos ; immò oppositum petit politica Beatorum , ut dicemus cum omnibus Theologis, tract. de Angelis.

16 Subtilissim. nost. Doctor contra præcipuum suum , & aliorum Catholicorum assertum , arguit sic : Ex illo Isai. 63. *Abraham nescivit nos , & Israel ignoravit nos.* Ibi dicit Aug. quod mortui nesciunt , immò sancti , quid agant vivi. Et Hieronym. ibi. Præterea , Deus solus novit secreta cordis ; oratio mentalis est hujusmodi : ergo , &c. Præterea , non oportet Beatos noſſe preces noſtras , niſi ad hoc , ut orent pro nobis : ſed

consequens est inconveniens: Tum , quia non ſunt in ſtatū meriti : tum etiam ; quia , aut Beati vident , Deum depreca-ut tem viatorem , & concedere quod petit , aut vident nolle , aut non velle ? Si velle : ergo ſciunt , quod salvabitur : fruſtra ergo orant. Si nolle , non ora- bunt pro aliquo nolito ipſi Deo ; ſi non velle , ſciunt , quod non eveniet : ergo fruſtra orarent. Respondeſt ipſe *Subtilissimus Doct. loc. cit. §. ad argumenta , & §. de tertio articulo.* Ad pri- mū dicit , quod Abraham pro tempore , pro quo intelligitur illud Ifaiae , fuit in Lymbo ; & per conseq. non Beatus ; & ideò nescivit filios ſuos Judæos , ha- bitantes in terra Israel ; quia nec notitia naturali intuitiva , quæ impeditur per immodera- tam diſtantiam ; nec notitia re- velationis ſpecialis , quia non habuit visionem illam in Verbo , quam concomitatur regulariter talis revelatio : non ergo con- cludit de Beatis , quibus in verbo regulariter revelantur , quæ ad eos ſpectant.

17 Ad confirm. ait; dictum illud , quod ſolus Deus novit abſcondita cordium , verum eſſe universaliter , & ex propria virtute , & perfectione; ita quod imposſibile eſt , quod per ali- quod impediens hoc ſibi lateat: hic autem non loquimur de pro-

propria virtute Beatorum , sed de revelatione facta in Deo. Novit etiam solus Deus ( addit Doct. ) ut Judex Universalis omnium talium occultorum , quo modo nec Angeli boni , nec malii , nec animæ separatae noverunt. Ad ultimum dicit ; quod oratio nostra nunc duplēm habet effectum ; unum , quia est meritoria oranti ; aliud , quia ex hoc quod specialiter dirigitur pro alio , meritoria est illi , pro quo ofertur : & primo modo Beati non habent orationem , sed secundo modo. Nec est inconveniens , aliquem , qui jam est in termino quoad se , per orationem mereri alteri : sicut videmus in politijs , ubi Rex , illud , quod vult dare , vult per intercessionem alicuijs , dare alicui , qui non esset dignus statim exaudiri : & sic Sancti cum jam sint in termino , nihil sibi impetrare , aut mereri possunt , sed bene nobis viatoribus indignis exaudiri. Quod autem ob meritum , & intercessionem Sanctorum , etiam ex hac vita defunctorum , multa beneficia Deus alijs contulerit , universa Scriptura testis est. Cum igitur arguis; Beatus , aut videt , Deum velle , aut nolle ? Respondeo , nullum membrorum oportet dare ; quia posset Deus illis revealare nostras preces , sine manifestatione suæ voluntatis circa

exauditionem , vel omnia manifestare ; & sive sic , sive non , Beatus semper est conformis voluntati divinæ , & expectans sine anxietate effectum exauditionis , quantum ad ipsum pertinetem.

18 Conveniunt etiam Theologi , Beatos de facto videre in Verbo , hoc est in Essencia Divina , quæcumque pertinent ad statum beatificum cujuscumque , id est , quæ ad ipsos pertinent , vel ratione personæ , aut status , dignitatis , officij , vel aliquo alio titulo. Ita D. Thomas lib. 3. cont. Gentes , cap. 59. & de Veritate , q. 8. art. 4. D. Bonav. in 4. d. 45. part. 3. q. 2. & 3. Subtilissim. nost. Doct. in 4. d. 45. q. 4. & d. 50. q. 6. & alij Scholastici ibid. qui etiam unanimiter dicunt , ad statum singulorum Beatorum ea spectare , quæ ita eorum curæ , & diligentia sunt commissa , ut ipsis ea gubernare incumbat: unde Angelis Custodibus ea omnia nota esse debent , quæ ad homines spectant , quos singuli regnat , ut suum ministerium perfectè , & cum omni diligentia exequi possent. Item ad statum cujuscumque Beati omnia illa pertinere , quæ dum talis Beatus erat in via , speciali modo ab ipso instituta fuere , vel ejus gubernationi erant subjecta ; quia nimicum etiam in statu

beatitudinis earundem rerum cura ipsi convenit. Et exemplum afferri solet de Patre familias, quantum ad ea, quæ deinceps in domo sua continent; nam ratione talis curæ spectat ad ipsum, cognoscere filios, consanguineos, & amicos, & alia hujusmodi; ut in casu necessitatis à Deo impetrare possit quecumque opportuna sunt, pro bono domus, & familiæ regimine; & similiiter discurri solet de fundatore alicujus ordinis, quo ad ea, quo tractu temporis in eo ordine eveniunt. Item ad statum cuiuscumque Beati pertinere dicuntur, quæ ad ipsum spectant, dum existit in Patria; qualia sunt cultus, & honor, vota, & preces, quæ diriguntur ad ipsum à viatoribus.

19 Hæc veritas deducitur ex illis D. Petri verbis Epist. 2. cap. 1. *Dabo operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Quibus verbis curam, & solicitudinem significat, quam in statu gloria servaturum, se dicit pro fidelium salute: unde deducitur, D. Petrum, ut potè primam, & summum post Christam Ecclesiæ Pastorem, in statu beatitudinis omnia cognoscere, quæ ad eorum salutem spectare possunt, & hujusmodi cognitionem ratione officij

ei competere. Confirmatur ex Concil. Senonensi, in decreto fidei, cap. 23. ubi damnantur Hæretici, qui dicebant, Sanctos à nobis orati, non debere; quia nostras orationes non cognoscunt: & inquit Concil. *Eum facile intellecturum, quam id falsum sit, qui non ignorat, Sanctis proximum esse illud divinitatis speculum omniforme, in quo quidquid eorum intersit, illucescat.* Hoc ipsum oramus in Missa in præfatione Apostolorum, ut Deus gregem suum per Beatos Apost. suos continua protectione custodiat, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis sui Vicarios eidem contulit præesse Pastores. Id quoque suadetur ratione evidenti; quia beatus est, qui habet quidquid vult, & nihil mali vult, ex D. Aug. 13. de Trin. cap. 5. sed verisimile est, quod Beati velint videre in Deo, quæ pertinent ad suum statum, dignitatem, officium, &c. quæ in vita haberunt, ut Religionum Institutores, Patres familias, ut sciant, quæ in Religione fiunt, quid à Filiijs, & Amicis, consanguineis, &c. & hoc velle malum non est: ergo probabile est, quod ista videre à Deo petant, & de facto videant, ut ad suum statum pertinentia.

20 Conveniunt etiam Theologi, quemlibet Beatum cognosc-

noscere, & perfecte scire ea omnia, quæ ab homine, vel Angelo scire possunt naturaliter; unde omnes, & quilibet cognoscit omnes species rerum, & omnia genera, & plura etiam talium specierum individua, quæ facta sunt, vel sunt facienda. Ita communiter DD. presertim D. Thomas, part. I. q. 12. art. 8. ubi docet: *Desiderium rationalis creaturæ esse ad sciendum omnia illa, quæ ad perfectionem intellectus pertinent, & ipse naturaliter acquirere poterat; & hæc sunt species, & genera rerum, & rationes eorum, quæ in Deo videntur quilibet, videns essentiam divinam; cognoscere autem alia singularia, & cogitata, & facta eorum, non est de perfectione intellectus creatus, neque ad hoc ejus desiderium naturale tendit.* Idem docet. q. 94. art. 3. *Eo quia non minus credibile est, Deum cuilibet Beatorum communicare perfectam rerum omnium scientiam, quam communicaverit Adamo in statu innocentiae, cum status gloriae longè sublimior, & perfectior sit illo.*

21 Idem docet D. Aug. de tripl. habitu, cap. 6. dicens: *Videbit Beatus quomodo Mundus erat in Deo: & quomodo ubique totus sine loco, &c. Tunc erit electis Dei trina vi-*

*sio, id est corporalis, qua corpora cernentur quorundam splendentia, ut Sol: & visio spiritualis. Idem asserit Origenes in Ps. 36. Homil. 5. ubi ait, quod non erit aliquis imperitus in Regno Dei, non indocilis permanebit, nullus erit à rerum scientia peregrinus, omnes efficiemur, si tamem merebimus discipuli sapientia; sicut homo hic positus instruitur, & imbuitur in his, quæ potuit in carne positus attingere, ille jam illuminabitur perfectionibus disciplinis; & ea, quæ hic studio, & labore quæsita sunt, ad compendium futura inhibit institutionis accedet. Ita Origenes loc. citat. quæ licet intelligi possint de cognitione creaturarum in proprio genere, tamen ut advertit nost. Mastr. cum Brancato, non videtur modo ejus loquendi consonum; quia dicit, hæc esse scienda abijs, qui erunt discipuli sapientiæ, id est, à Deo magistro revelante, & in se illa ostendente, intelligent.*

22 Præterea, id etiam ratio ipsa suadet; quia cum beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus; postulat, ut intellectus Beati ea omnia cognoscat, quæ ad naturalem ejus perfectionem requiruntur, & ad explendum appetitum sciendi, recta rationi

consentaneum : talis autem est prædictarum rerum naturalium cognitio : erg. &c. Denique, hoc etiam deducitur ex successione visionis ad fidem ; quia Beati in via crediderunt, hunc mundum esse à Deo conditum; ipsumque Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium esse creatorem : cum ergo fides evanescenda sit, modo infra explicando, eique clara visio succedere debeat in patria omnium creditorum in via; quicumque credidit genera, & species rerum omnium, quæ in Genesi referuntur, eadem queque videbit in statu beatitudinis constitutus, & perfectè sciet, alias minus videret, quam credidisset. Hæc congruenter dicta sunt secundum communem, & unanimem Theologorum intelligentiam ; nam ratio efficax non apparet alia, nisi divina voluntas, quæ est indefectibilis prima regula, & ultima ratio. Unde Subtilissim. noster Doct. q. 3. prolog. inquit, quod Theologia Beatorum de facto nostra habet limitationem, nisi ex voluntate Dei ostendantis aliquid in essentia sua ; & ideo actualiter Theologia eorum est de tot, quot voluntarie Deus ostendit eis in essentia sua.

23 Hic autem est difficultas (inquit Mastr.) an saltēni

de possibili possit Beatus aliquis videre in Deo omnes creaturetias etiam possibles ? Prima sententia, & communis in Schola Thomistarum, negat ; quia hinc sequeretur, quod talis Beatus Deum comprehenderet; quod probant, quia taliter cognoscere causam, ut pariter omnes effectus in virtute illius contenti cognoscantur, esset comprehendere causam : sed repugnat, Deum ab intellectu Beato comprehendendi : erg. nec de facto est, nec possibilis talis visio Dei, per quam omnes possibles creature in Deo viso cognoscantur. Ita D. Thomas, 1. part. q. 12. art. 8. & ibi Thomistæ omnes. Secunda sententia affirmat: Ita Scotus, q. 3. prologi, ubi ait, possibile esse, quod Beatus videat omnia creata, & creabilia, quæ reluent in Deo, si Deus ea illi ostendat. Et in 3. d. 14. q. 2. ubi docet, intellectum animæ Christi de facto videre omnia, quæ Verbum videt ; qua de causa plures Scotistæ id assertunt de possibili pro quocumque intellectu beato ; de facto tamen asseverant de intellectu animæ Christi, quod, scilicet, videat omnia, quæ Verbum videt, tam scientia naturali, quam libera ; quia sicut monet Doct. in 3. d. 13. q. 4. §. quantum ad secundam quest. & August. 3. de

de liber o arbit. *Quid quid tibi  
vera ratione melius occurrerit,*  
*scias hoc Deum magis fecisse,*  
*quam non fecisse;* præsertim  
circa humanitatem à Verbo  
assumptam; quare si hoc veræ  
rationi non repugnat, nedum  
id negandum non erit omnipo-  
tentia Dei, sed potius afferen-  
dum erit de facto de Sacra  
Christi humanitate; quia in  
commendando Christum, po-  
tius debemus excedere, quam  
deficere à laude sibi debita, si  
propter ignorantiam in alte-  
rum incidere oporteret. Immò  
Antonius Perez, inquit, quod  
idem potest piè dicide Beatissima,  
& Immaculata Virg. Ma-  
ria, ob eminentissimam dig-  
nitudinem Matris Dei; quia cum  
in hoc nulla sit implicantia:  
hoc potius de facto evenire cum  
Christo D. & Alma Matre,  
quam non evenire, afferere  
debemus; quia etiam in lau-  
dando, & commendando Ma-  
trem Christi, & Reginam nos-  
tram, malumus excedere, quam  
deficere, si propter ignoran-  
tiam oporteat in alterum inci-  
dere.

24 Deinde, quantum ad  
Immaculatam Virg. Deiparam,  
confirm. ex illo D. Hieronymi:  
*Cæteris per partes præstatur :::*  
*in Mariam vero, totius gratiæ,*  
*quæ in Christo est, plenitudo*  
*venit, quamquam aliter: erg.*

quamquam aliter, omnia videret  
Immaculata Deipara, quæ vi-  
det Christus, intra Verbum, &  
extra Verbum. Confirmat Ma-  
str. hoc, quantum ad Chris-  
tum, ex aliquibus Sanctis PP.  
ait enim, Eusebium in Epist. ad  
Damasum Episc. referre,  
Hieronym. ejus præceptorem  
morti vicinum, sic Christum  
affatum fuisse: *Tua anima sta-  
tim, ut unita fuit inseparabi-  
liter divinitati omnia perfectè  
scivit, quæ scit ipsa divinitas.*  
Citat etiam D. Chrysostomum  
Homil. 5. in Epist. ad Colosen-  
ses, ubi affirmat, Christum  
omnia scire, & nihil ignora-  
re. Idem docet D. Fulgentius  
in lib. ad Ferrandum in resp.  
3. ad tertium; sed idem est di-  
cendum de Sanctissima Matre  
Dei, Immaculata Virg. Maria,  
quamquam aliter: g. Christus  
Domin. & ipsius divina Mater  
de facto vident omnia in Ver-  
bo, & in se ipsis extra Ver-  
bum.

25 Neque obstat contra  
hoc, quod communiter Tho-  
mista obijciunt ex Direct. in-  
quisit. 2. part. q. 11. scilicet,  
quod est damnata doctrina Ar-  
naldi de Villa-Nova, dicentis,  
animam Christi videre omnia  
in Verbo. Respondet Mastrius,  
hanc doctrinam ibi non dam-  
nari, sed rationem, qua Arnal-  
dus eam suadebat, aut confir-  
ma-

mabat ; nam ille ex Medico , & Chimista Theologaster , inter alios errores , in quos impegit , notantur hi duo : Primus , quod anima Christi , ex vi unionis cum Verbo , necessariò debebat vide-re , quæ Verbum videt , quia ex vi unionis evasit aequalis Verbo in omnibus attributis , & perfec-tionibus . Secundus error est , ut habetur *in direct.* quod quam cito Anima Christi fuit unita Divinitati , statim ipsa Anima scivit omnia , quæ Deitas scit ; quia alias , ut dicebat , non fuisset cum eo una Persona , præ-cepue , quia scire est circumstan-tia ad suppositum individua-lem , & non ad naturam . Hæc sunt verba in direct. quibus patet , quod damnatur , non doc-trina nostra , sed ratio , & cau-salis Arnald.

26 Ad fundamentum op-posite sententiaz dicimus , quod comprehensio potest tripliciter sumi , 1. pro adeptione , seu assequitione rei , quam desidera-mus , in quo sensu loquitur Paulus ad Philipens . 3. Sequor , si quomodo comprehendam . Et 1. ad Corinth . 9. Sic currite , ut comprehendatis . Et ad Ephes . Ut positis comprehendere cum omnibus Sanctis . 2. Accipitur pro perfecta rei notitia , ita quod nihil eorum , quæ sunt in objecto , cognoscenti la-teat : & hoc dupli modo cer-

tum est , Deum à Beatis com-prehendi , & Beati in patria appellantur comprehensores , ut à viatoribus secernantur . 3. Su-mitur comprehensio pro ad-quata , & exacta objecti cogni-tione , ita ut sit tanta intellec-tivitas , seu major in cognitio-ne , & cognoscente , quanta in-telligibilitas in objecto . Et in hoc sensu est Deus incompre-hensibilis ab omni intellectu creato , non solum viribus pro-prijs , sed etiam quantumcumque elevato per gratiam . Ita communis sententia Theo-logorum , & Patrum ; immo , & communiter asseritur esse de si-de , ut patet ex illo Jeremias 22 . *Magnus consilio , & incompre-hensibilis cogitatu.* Et ex illo Pauli 2. ad Romanos : O alti-tudo divitiarum sapientia , & scientia Dei , quam incompre-hensibilia sunt judicia ejus ! Et alijs similibus passim . Et ita definitum fuit in Conc . Lateran . ubi dicitur : Credimus , & sim-pliciter confitemur unum esse Deum , infinitum , incommuta-bilem , & in comprehendibilem .

27 Ratio deducitur ex Subr . Doct . in 3. d. 14. q. 2. Ad sec-undum principale , ubi ait , quod nullus intellectus creatus , nec etiam intellectus Animæ Christi vidensclaré , & intuiti-vè , Verbum ipsum comprehen-dit ; quia intellectus creatus , etiam

etiam si videret in Deo quodcumque visibile, non ob id commensuratur Deitati, nec Deum comprehendit. Vel aliter sic: Deus est infinite intelligibilis, seu cognoscibilis, & omnis creatura, utpotè finita, non potest recipere, nec producere cognitionem infinitam: erg. nec Deum comprehendere valet. Deinde, plus Dei vident, videndo quidquid formaliter est in Deo, quam si viderent omnes creature, etiam possibles: quis hoc neget? *In felix homo,* (dicebat August. ad Deum, 5. Conf. cap. 4.) qui seit alia omnia, te autem nescit: *Beatus autem, qui te seit, etiam si illa nefiat;* qui autem, & illa novit, non propter ea beatior, sed propter te solum est Beatus. At qui videndo quidquid formaliter est in Deo, non ob id Deum comprehendunt, cunctis patentibus: erg. multo minus Deum comprehendent, quanvis viderent omnes creature possibles. Insuper, infinitas intensiva divinae intelligibilitatis non habet necessariam connexionem cum creaturis possibilibus, ut diximus de Divina Omnipotentia; est enim infinitus Deus in omnibus suis praedicatis, & attributis secundum se absolute, & sine aliquo respectu ad extra: ergo quanvis Beati viderent omnes creature

etiam possibles, minimè ex hoc sequitur, quod Deum comprehendenderent.

28. Cum hoc ergo manet sufficienter solutum fundamentum adversariorum. Etenim dicimus, quod licet Beatus cognoscat Deum sicuti est, & omnes perfectiones, tūm absolutas, tūm relatives, ad intra, & ad extra, tūm possibles; omnes denique relationum terminos; non ob hoc Deum comprehendenderet, quia hæc omnia cognosceret finito modo; & ad comprehensionem requiritur, quod tanta sit cognitio potentia, quanta est cognoscibilitas objecti: unde cum Deus sit infinite cognoscibilis, & omnis creatura sit finite cognoscitiva, quia modus cognoscendi sequitur modum essendi; ideo Deus omni creature incomprehensibilis est, & à se solo potest comprehendendi; quia sola ejus cognitio est infinita, & ideo comprehensiva sui, & qualibet alia cognitio, non est aequalis illi comprehensivæ cognitioni, sed infinitè minor illa. Qui plura super hoc videre cupiat, videat Mastrium tom. I. S. ntent. disp. 6. quæst. 9. & tom. Theologie Moralis, disp. 25. quæst. 2. art. 2. num. 47. & sequent. Et nostrum Anton. Perez tom. 2. controv. 6. disp. 6. sec. 5. per tot.

29 Alia est hic difficultas: An scilicet, Beati videant poenas damnatorum? quam mouet Scotus in 4. d. 50. quæst. 3. ubi ait, difficultatem non esse, an eas cognoscant in genere proprio; quia ad hujusmodi cognitionem habendam, requiritur distantia debita inter intellectum, & objectum: non est autem distantia proportionata inter potentiam existentem in Cœlo Empyreo, & objectum existens in Inferno. Quare sola difficultas est de cognitione matutina, seu supernaturali, ac in Verbo. Et pro resolutione in primis communis est Sententia Theologorum, Beatos videre in Deo poenas damnatorum, ut patet ex Luke 16. ubi habetur, quod Abraham in requie existens divitem damnatum vidiit in poenis positum, quem locum declarans S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 33. docet: *Beatos cognoscere etiam damnatorum poenas*: quod etiam affirmat Veda in idem, cap. 16. Luke. Et rationem talis visionis assignans, inquit: *Ut hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspicunt, quod misericorditer evaserunt*. Ita etiam discurrit Magister Sentent. in 4. d. 50. dicens: *Licet edita Beati poenas damnatorum videbunt, non per hoc tristabuntur, sed maximas Deo agent gratias, quod*

*ex hujusmodi calamitatibus, & tormentis eos liberavit*. Et Haix cap. 66. Egredientur, & videbunt cadavera mortuorum, egredientur electi non loco, sed intelligentia, vel Visione manifesta, ut ad laudem Dei magis excitentur, (inquit Gloss.) qui prævaricati sunt in me; vermis orum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et Aug. de Tripl. bab. Tum ab initia tenebrarum, & ipsius inferni, videndo Deum, videbimus.

30 Quantum autem ad modum, quo Beati poenas damnatorum in Deo cognoscunt, inquit Subt. Doct. loc. cit. distinguendum de ipsis poenis; aliae enim sunt privativae, aliae positivæ: si ergo sermo sit de poena damni, quæ est carentia divinitæ visionis; sive de culpa, quæ est causa poenæ; inquit Doctor, in Divina Essentia non relucere; quia cum non sint entia, nec habent in Deo ideam, nec immutantur ideam; quia nec in se, nec in aliquo gradu entis sunt; & ideo cognoscuntur per alium, nempe, per positivum, cui opponuntur, dicente Aristot. 7. & 9. Metaph. quod privatio cognoscitur per habitum. Si autem sermo sit de poenis positivis, quales sunt poena ignis immutantis, & retinentis intellectum damnatorum in perpetua consideratione sua, &

remorsus conscientia, & tristitia de pena, & de culpa, non ut est ofensa Dei, sed ut causa penæ est; quia sunt vere entia positiva, & habent ideam in Deo, à Beatis in Verbo cognoscuntur; & talis idea nihil est aliud, ac ipsa Divina Essentia, quæ omnium rerum est exemplar illimitatum.

31. Quomodo autem se habeat voluntas Beatorum erga damnatos videntes eorum penas? inquit Doctor loco cit. Non credo, quod consolentur absolute de penis eorum; quia nec Deus, qui est Index inferens penam, consolatur absolute, ut patet per Isaiam: *Heu! consolabor de inimicis meis.* Et alibi: *Nolo mortem peccatoris,* &c. *Vult omnes homines salvos fieri,* &c. Quo circa, non punit eos, nisi quadam necessitate, propterea, quod aliter culpa remanens juste ordinari nequit, nisi per penam: nolunt igitur simpliciter Deus, aut Beati damnatorum penas, sed solum secundum quid, hoc est, propter justitiam, in quantum natura existens sub culpam ordinatur per penam. In modo subdit Doctor, quod si placeat Deo, vellent liberationem eorum, aut saltem non displicescat eis, si solverentur à penis; quia nolunt eis penam, nisi quatenus ita ordinatur à Deo;

& sic patet, quod non acceperant penam, ut primum objectum, sed ut à justitia divina est inficta eis.

32. Sed erit ne tristitia in eis, in videndo penas damnatorum, propter illud nolle? Respondet Doctor, quod non; quia Beati omnia vident in Deo, sicut in primo objecto eorum volito, & volunt quod Deus vult. Vident autem Deum velle penas eorum, & intelligere eas; ideo volunt eas intelligere, ut Deus, & velle, ut Deus vult eas; & ideo pena illa non est eis, ut objectum nolitum, sed volitum: tamen si placaret Deo, absolute nolent; nec tamen propter hoc est tristitia in eis, quia eorum voluntas non est capax tristitiae propter delectationem perfectam, quæ impedit omnem tristitiam, non solum oppositam, sed quancumque contingentem. Nec est etiam ista nolitio, nisi conditionalis, scilicet, si Deus vellet, & ideo non sequitur tristitia, quia talis nolitio non est sufficiens causa tristitiae. Ita discurrerit Doctor loco cit. ubi etiam in fine solvit quasdam objectiones in oppositum factas, quæ apud ipsum videri possunt.

\*\*\*

## QUÆST. II.

Utr. IN BEATIS DETUR  
Fides , tám actualis , quām  
habitualis?

**P**ro hujus quest. intelligentia supponend. est 1. quod fides supernaturalis divina , seu Theologica , & est actualis , & habitualis : fides actualis supernaturalis est actus supernaturalis , quo quis assentitur alieui veritati à Deo revelatae propter autoritatem , & testimonium Dei revelantis , seu dicentis . Fides habitualis supernaturalis est habitus intellectualis à Deo infusus , quo mediante , fides actualis producitur . Cum autem Deus possit duplicitè revelare aliquam veritatem , scilicet obscurè , ut regulariter viatoribus sunt revelatae omnes veritates fidei ; & possit etiam revelare clare , cum evidentia , scilicet , revelationis , & Dei revelantis ; ob hoc est etiam distinguenda duplex Fides , saltem actualis ; prima , qua assentitur veritatibus obscuris , & non evidentibus , quæ fides vocatur stricta , obsequiosa , & anigmatica , de qua loquitur D. Paulus ad Corinth. 3. Videmus nunc per speculum in anigate , tunc facie ad faciem ; (in Beatitudine scilicet .) Et ad

Hebreos 11. *Fides est argumentum non apparentium.* Alia vero fides , qua assentitur veritatibus à Deo clare , & evidenter revelatis propter testimonium clarum , & evidens Dei revelantis , vocatur fides lata , & non obsequiosa ; quia intellectus non captibatur in obsequium revelantis , dum assentit veritatibus clare , & evidenter revelatis . In hoc convenienter omnes ferè Recentiores : & solùm discrepant , an utraque praedicta actualis fides proveniat ab eodemmet habitu fidei ; vel à diversis habitibus .

2 Supponendum est 2. cum Subt. Doct. in 3. d. 31. §. Respondeo , vers. *Quod si succedant;* quod habitus fidei non est ex natura rei incompatibilis cum visione beatifica . Tum , quia habitus solùm se habet , ut principium suorum actuum : principia autem contrariorum non sunt incompatibilia ; nam idem intellectus , & eadem voluntas est principium actuum contrariorum , scilicet , assensus , & dissensus , amoris , & odij : Ex quo etiam constat , non repugnare , nec esse incompatibilem habitum fidei cum assensu scientifico ; neque contra habitum scientificum cum actuali fide . Et similitè constat , unum habitum non esse incompatibilem cum alio habi-

cu. Videatur Suarez de Fide, disp. 3. Lect. 9. à num. 4. Et nost. Herinx in Sum. tom. 3. tract. 1. disp. 3. quæst. 4. num. 27. ubi ait, *hanc esse indubitatem sententiam*. Videatur etiam nost. Doctissim. Rimus. atque Illius. Samaniego, Nota 29. ad 1. part. *Mystica Civitatis Dei*. Probat Subt. Doct. loco citato, dicens : *Quia Paulus in nuptu habuit saltem actum visionis: & tamen non erat in eo evacuatus habitus fidei: igitur ille actus non repugnat habitui fidei.*

3. Supponend. est 3. cum eodem Subt. Doct. loco cit. 6, ad primum, vers. ad tertium; quod credibilia sunt in triplici differentia; quædam enim sunt, quorum visio per se pertinet ad beatitudinem, & sunt omnia, quæ formaliter sunt in Deo: & de istis per se intelligendum est, quod in Beatis non datur fides, sed evacuatur circa illa, & de illis fidei succedit visio. Alia sunt, quorum visio aliquomodo pertinet ab beatitudinem, sicut sunt credibilia de Incarnatione: & de talibus etiam evacuatur fides, & non datur in Beatis; nam de illis concomitantem succedit fidei visio, non tamen rei in se, quia non videbitur in Patria Christus in Cruce, nec in utero Virginis, sed in Verbo. Alia

sunt credibilia, quæ ad beatitudinem non pertinent, nec principaliter, nec concomitanter; cujusmodi sunt aliqua vera pertinentia ad actus humanos, quæ à Beatis non videntur in Verbo, nec in genere proprio, ut diximus quæstione antecedenti de die Judicij, Resurrectionis, & de alijs quæ successivè secundum occurrantias Beatis, tam Angelis, quam hominibus manifestantur: „ De „, talibus ( inquit Doctor ) au- „ tem, si quis viator haberet „ fidem, potest concedi, quod „ in illo potest manere fides in „ patria. His ergo suppositis, sit.

4. Conclusio 1. Beati non habent fidem circa Deum, nec circa omnia alia, quæ vel per se, vel concomitantem pertinent ad beatitudinem. Hæc conclusio est omnium Catholicorum. Et patet ex 1. Corinth. cap. 13., Nunc manent Fides, Spes, & Charitas. Nunc, id est, in hac vita, quia in alia cognoscam, sicut & cognitus sum. Item ex 2. Corinth. 5. „, Quandiu sumus in hoc cor- „, pore, peregrinamur à Domi- „, no; per fidem enim ambula- „, mus, non per speciem. Ubi glossa: „, In hac vita tantum „, ambulamus per fidem; ergo &c. Pater etiam concl. ex Subt. Doct. ubi sup. cit.

5 Confirmatur ex Conc. Constantiense sess. 19. ubi dominat Doctrinam Hieronymi de Praga, afferentis datur fidem in Beatis circa Essentiam Divinam, & tanquam haeretico imposita fuit à Concilio ei abjuratione. Verba illius sunt apud Panger. lib. 2. disp. 4. in Appendice post quest. 3. n. 55. insigne: „Et quia à quibusdam in „tellectum fuit, quod vellem „dicere, quod in Ecclesia „Triumphante esset fides, cum „tamen credam firmiter, quod „ibi sit beatifica visio; affero, „& declaro, quod nunquam „fuit intentionis meæ dicere, „quod ibi esset fides sub ratio- „ne fidei, sed cognitio fidem „subæquivalenter excedens. Ita Hieronym. de Praga. Ex quo evidenter colligitur, quod ipse fuerit suspectus de Sententia Hereticorum afferentium, quod Beati non vident Deum clarè, & facie ad faciem, sed obscure, & anigmaticè; vel esse compatibilem fidem actuali strictam, obscuram, & obsequiosam cum visione clara Dei, quod est haereticum, loquendo de credibilibus ad beatitudinem pertinentibus. In hoc etiam sensu loquuntur communiter SS. PP. sufficiat Chrysost. super 1. ad Corinth. 13. „Cessat qui- „dem fides, & spes quando- „advenient bona, quæ fue-

„rint credita, & sperata: er- go &c.

6 Conclusio 2. dabilis est in Beatis fides actualis clara, & evidens circa illas veritates quas in Verbo non vident. Hæc conclusio videtur expressa Scotti, ubi supra, & in Reportatis in 3. d. 31. q. unica, §. dico, vers. ad tertium, ubi ait: Di- cendum quod aliqua sunt cre- dita, quorum visio nullo modo est de substantia beatitudinis, nec aliquomodo ad eam perti- nens, sicut sunt historiæ de re- bus gestis, & ipsorum fides potest manere in beatitudine; quia in nullo derogat statui illo- rum, si nunquam aliter cog- noscuntur. Pro hac eadem con- clusione citantur Alexander de Ales, Durand. Argentina, Ri- palda, Pichon, Poncius, & probabile reputant jam com- muniiter RR. & Sancti PP. etiam faventi illam August. 83. qq. 48. ubi ait: „Quædam „sunt credibilia, quæ nun- „quam scientur, sed tantum „creduntur, sicut Historiæ. Et S. Ireneus, lib. 2. contra Ha- reses, cap. 47. & lib. 4. c. 25. Fotius Constantinopolit. in 1. Corinth. 23. Tertulian. lib. de Pacient. cap. 13. Et certe lo- quendo de possibili, videtur in- dubitata.

7 Probatur conclusio. Deus non ostendit evidenter omnia

Bea-

Beatis: ergo potest aliqua eis manifestare per revelationem. Atqui de talibus haberent fidem claram, seu evidentem actuali-  
tatem: ergo dabilis est in Beatis fides actualis clara, & evi-  
dens. Primum antecedens est  
Scoti ubi sup. & omnium  
Theolog. ut diximus loquendo  
de his, quæ Beati vident in  
Verbo. Est etiam concors SS.  
PP. & Expositorum super illud  
Pauli ad Ephes. 3., Mihi om-  
„ nium SS. minimo data est  
„ gratia hæc :: ut innotescat  
„ principatibus, & potestati-  
„ bus in cœlestibus per Eccle-  
„ siani multiformi sapientiæ  
„ Dei: (ubi Alapide inquit)  
„ Dico ergo, per Ecclesiani,  
„ id est, per ea, quæ gesta sunt  
„ à Christo, & Apostolis in Ec-  
„ clesia, perque gratias, & do-  
„ na Ecclesiæ ab ijs communica-  
„ cata, multa mysteria Chris-  
„ ti, & Christianorum Angelis  
„ innotuisse, quæ prius igno-  
„ rabant: licet enim Mysterium  
„ Incarnationis, & redemptio-  
„ nis nostræ, quoad substan-  
„ tiam ex revelatione à princi-  
„ pio suæ beatitudinis cogno-  
„ verint; non tamen omnes  
„ ejus partes, species, causas,  
„ effectus, modos, & circuns-  
„ tantias cognoverunt; sed di-  
„ cierunt, cum ea in Ecclesia  
„ fieri, exhiberi, & geri vide-  
„ runt. Videatur etiam Suarez

tom. de Angel. lib. 6. cap. 5. à  
num. 6.

8 Consequentia autem,  
nempè, quod Deus possit ma-  
nifestare Beatis per revelatio-  
nem objecta ab ipsis ignorata,  
seu quorum visio non pertinet,  
nec primario, nec concomi-  
tantem, præterquamquod est  
innegabilis, etiam est commu-  
nis sententia ( inquit Illmus.  
Samaniego, nota 27. super 1.  
part. *Mystica Civ. Dei* ) sicut,  
& similiter, quod prædictis ve-  
ritatibus revelatis possint præ-  
bere assensum clarum Beati  
propter authoritatem Dei re-  
velantis; qui quidem assensus  
( nisi quæstio fiat de nomine )  
est fides actualis, clara, & evi-  
dens; ut benè advertit Lugo  
*d. Fide*, disp. 2. sect. 1. num.  
6. his verbis: Hæc quæstio po-  
test partim esse de nomine, &  
partim de re; nam vel potest  
dubitari, an habitus fidei,  
quem habemus, habeat vim  
eliciendi assensum, propter re-  
velationem etiam claram, &  
hæc est quæstio de re; vel po-  
test etiam dubitari, an ille af-  
fensus elicitus ab isto, vel alio  
habitu supernaturali, dicendus  
sit actus fidei, vel scientiæ, &  
hæc est quæstio de nomine; nam  
certum est illum assensum esse  
propter divinum testimonium;  
certum etiam mihi est; illum  
assensum esse clarum, & evi-  
den-

dentem. Solumque manet, quæstio: utrum actus fidei dicantur omnes, quibus assentimur, propter Dei testimonium; an solum illi, quibus assentimur, propter revelationem obscurani? In quo est quaestio de nomine, & parum refert utrummodo loquatis, dum tamen constet de re ipsa. Hucusque Lugo; quibus probatur prima conseq. & minor subsumpta.

9. Confirmatur: quia perfectius est Beatis cognoscere per actum fidei præfata objecta, quam illa omnino nescire: sed omnes facentur, quod illa objecta ignorarunt, & ignorant, quoadusque à Deo ipsis manifestentur: ergo perfectius est, quod illa cognoscant per revelationem, quam quod omnino ignorent: nec est indecorum actus fidei statui Beatorum, si-  
cūt non est ipsis indecorum nescire multa; nam nescientia minus ipsis decora videri debet, quam actus fidei, cum iste longè perfectior sit ex se, utpote quid possitivum, & supernaturale, quam nescientia, cum ista sit carentia tanti boni. Immo, prædictis fundamentis defenditur à Poncio, quod de facto datur in Beatis fides stricta, obsequiosa, & obscura circa prædicta objecta, quorum visio, nec primario, nec comitanter pertinet ad beatit-

tudinem. Et ingenue fateor (inquit Sendin, tract. de Fide controvers. 8. sect. 3. num. 79.) hoc apertum videri apud Scotum ubi sup. cit. & ut probabile defensatur jam à quamplurimis RR. sed nos solum defensamus actus fidei latæ, clarae, & evidenter possibilitatis, quia in illo statu lucis non loquitur Deus suis dilectis filijs per locutionem obscuram, sed claram, & evidentem, cum ipsum Deum videant facie ad faciem clarè, & intuitive; & sic potest intelligi Scotus.

10. Conclusio 3. idem habitus fidei, qui est in viatoriis, potest remanere in Beatis. Hac conclusio habet pro se, præter AA. præcedentis conclusio-  
nis, fere omnes RR. Immò videtur debere esse extra contro-  
versiam, inquit Poncius, quia non credo, quod possit dici improbabilis. Prob. 1. quia omnia Sacra Scriptura loca, quæ loquuntur de evauatione fidei in Patria, optimè intelli-  
gi possunt de fide actuali obscu-  
ra, obsequiosa, & stricta, remanente in Beatis nobili super-  
no habitu fidei, sine actu obs-  
curo credeandi; quoniam habi-  
tus ille nobilissimus, & supernaturalis, non solum inclinat  
ad actum obscurum in via, sed etiam ad ascensum clarum illorum, præsentim objectorum,  
quo-

quorum visio , nec primario ,  
nec concomitantem pertinet ad  
beatitudinem , ut ajebat Subt.  
Doctor : ergo potest dari in  
Beatis. An autem de facto sit?  
Deus scit ; quoniam hucusque  
non est satis revelatum , nec ab  
Ecclesia definitum.

11. Prob. 2. conclusio , ex  
Subt. Doctore in 3. d. 31. ubi  
problematicè docet , habitum  
fidei infusa inclinare ad Deum ,  
præscindereque ab obscuritate ,  
& claritate. Idem sequitur Emi-  
nentissimus Lauræ , tract. de  
Fide , tom. 1. disp. 2. art. 12.  
num. 340. Confirm. ex eodem  
Subt. Doct. ibidem , distinc.  
24. q. unic. §. ad primum prin-  
cipale , ubi ait : quod habitus  
fidei potest naturaliter stare cum  
notitia clara intuitiva , & evi-  
denti ; & vice versa fides ac-  
tualis cum notitia , seu scienc-  
ia habituali , ut in notabili-  
bus diximus , & hoc probat  
experiencia Apostolorum , &  
Sanctissimæ Virginis , & alio-  
rum , qui intuitive viderunt  
Christum crucifigi , & alia ejus  
opera , & simul habebant habi-  
tum infusum fidei superhæ : g.  
&c. Unde Joann. Epist. 1. c.  
1. inquit : Quod audivimus  
quod vidimus oculis nostris  
quod perspeximus , & manus  
nostræ contrectaverunt :: t fla-  
mum , & anuntiamus vobis.

12. Prob. 3. conclusio : Si  
Tom. I.

habitum fidei repugnaret in Bea-  
tis , eo esset , quia in illis re-  
pugnaret actus fidei : atqui ac-  
tus fidei claræ , & latæ non re-  
pugnat , ut conclusione præce-  
denti probatum manet : ergo ,  
&c. Insuper , eatenus repugna-  
ret actus fidei , quatenus esset  
incompatibilis cum visione : at-  
qui dantur plura objecta , quæ  
non videntur à Beatis , ut do-  
cent communiter Sancti PP.  
& Theologi : erg. circa talia  
objecta non repugnat in Bea-  
tis fides actualis.

13. Contra prædictas con-  
clusiones non appareat quid pos-  
sit obijci , quod alicujus sit  
momenti , & quod non facile  
solvatur , si fundamenta illarum  
benè perpendantur. Praci-  
piuum , verò , fundamentum ad-  
versariorum sunt verba Aposto-  
li , nempè , quod *fides est ar-  
gumentum non apparentium* ,  
id est , circares non vias. Ad  
quod jam diximus , quod lo-  
quitur Paulus de fide stricta ,  
& quæ regulariter habetur in  
via. Deinde , verba illa non  
sunt definitio adæquata fidei  
habitualis , ita ut sepsus sit  
quod *fides est argumentum so-  
lum rerum non apparentium* ,  
sed habet sensum ampliativum ,  
nempè , quod sit etiam rerum  
non apparentium : sicut verba  
præcedentia , *fides est speran-  
darum substantia rerum* , non

est sensus, quod fides solum se extendat ad objecta, quæ sperantur; hoc enim est falsum; quia mysteria nostræ redemptionis, ut incarnatio, mors Christi, Resurrectio ejus, Ascensio, &c. fide profitemur, & jam præterierunt, & non ultra speramus. Sic igitur in verbis sequentibus sensus non est, quod fides solum inclinet ad assensum obscurum, licet ita sit regulariter in via. Sed etiam potest influere in assensum clarum; quia quotiescumque remanet invariata ratio objecti formalis, remanet etiam invariatus habitus, quanvis actus specificè distinguantur. Hoc patet in amore viæ, & patriæ, qui specificè distinguntur, & proveniunt ab eodem habitu charitatis: actus charitatis, quo prosequitur Deus, & actus timoris filialis, qui est fuga, & odium malii, quo perditur amicitia Dei, specificè distinguntur, & proveniunt ab eodem habitu charitatis. Insuper, actus tentationis, & actus spei ita distinguntur, & inter se opponuntur, sicut assensus obscurus, & clarus, ut per sé patet: atqui juxta adversarios, actus spei, & tentationis proveniunt ab eodem habitu spei: ergo, & assensus obscurus, & clarus ex motivo divinæ authoritatis posse sunt provenire ab eodem habitu fidei.

14. Sic similiter responderetur, ad illud de evacuatione fidei, & spei in patria, seu quando venerit quod perfectum est; evançantur enim quantum ad præcipuos actus, quibus in via creduntur illa credibilia, quorum visio pertinet, vel primario, vel concomitanter ad beatitudinem; non tamen evançantur quantum ad alia credibilia, quorū manifestatio potest fieri a Deo. Beatis, vel in verbo, vel in proprio genere, vel per loquitionem claram, & evidenter, quomodocumque voluerit. In hoc etiam sensu intelligitur Marianus Doct. dum in 3. d. 31. quæst. unic. inquit, quod charitas non evançatur in patria, fides vero, & spes evançantur: est dicere, quod evançantur quoad præcipuos actus, seu circa illa credibilia, & speabilia, quorum visio pertinet primariò, aut concomitanter ad beatitudinem; quod non evenit in charitate, quæ manet in patria, adhuc in ordine ad præcipuum actum, scilicet, ad dilectionem Dei super omnia; & idèo absolute dicitur, manere in patria ad distinctionem aliarum duarum virtutum infissarum.

15. Vel aliter responderetur cum Mastr. disp. 6. de Virtutibus Theologicis, q. 18. quod circa hanc materiam menten-

Doctoris non habemus omnino expressam , licet quibusdam expressa videatur , & hinc est , quod aliqui cum citant pro parte affirmante ; alij pro negante . Verba ejus sunt : *Habitus nullus est ponendus ibi frustra : id est in patria ) frustra autem ibi efft habitus , cuius insinatio efft tunc impossibilis . In fine autem postquam distinxit de credibili bus , inquit : *De talibus autem , si quis viator habet fidem , potest concedi , quod in illo potest manere fides . En ipsum , & pro parte affirmante , & pro parte negante . Sed quando ibi videtur docere habitum fidei , & spei non manere in patria , loquitur ex communi opinione , & suppositio ne tunc temporis , quod habitus fidei non habebat aliud actum , nisi obscurum ; neque habitus spei habebat aliud , quam sperare , seu desiderare bonum absens , qui quidem actus involvunt imperfectionem : at supposito , quod prædicti habitus non solum habeant hos actus , sed etiam à nobis jam explicatos , non est unde possit negari , quod maneat in patria . Videatur omnino Samaniego super Mysticam Civitatem Dei , nota 27. & nota 29. prime partis .**

16 Ex dictis sequitur quod etiam in Beatis potest dari pro-

phetia , si capiatur pro cognitione futurorum indebita statu illorum , seu non exigita connaturaliter ab illo statu . Probatur ; quia multa Deus revelat aliquibus Angelis , quorum cognitio ab illis non exigitur ; ut cum revelavit Angelo Gabrieli , quod inveniret Beat . Virginem gratia plenam in Galilea ; & cum revelavit Michaeli , quod post tot Hebdomadas Christus nasceretur : erg . Beati possunt habere prophetiam , si capiatur dicto modo , & quomodo cumque accipiatar , vix invenietur , quod non possit reperiri , & concedi Beatis . Fundamentum oppositæ sententiae est , quod prophetia sit scientia de futuris indebita connaturaliter habenti ipsam : sed nulla scientia , aut cogitio datur in Beatis , que sit indebita ipsis : g . &c . Respondeatur neg . min . propter dicta in probat . conclusionis , & in tota quæstione .

### QUÆST. III.

#### QUÆ CONSEQUANTUR , vel concomitantur beatitudinem essentialem poten-

tiae voluntatis

**P**RO hujus quæstionis intelligentia supponendum est cum auct . Mastrio , delectationem , & tristitiam spec-

tate non ad intellectum, sed ad voluntatem, ut docet Scotus pluribus in locis; & præfertim in 4. d. 49. q. 7. ratio est, quia delectatio, & tristitia proveniunt ab objecto, ut convenienter, vel inconveniente; bono, vel malo: atqui hæc pertinent ad voluntatem, & non ad intellectum: erg. &c. Patet min. Tum ex D. Aug. 14. de Civit. Dei, cap. 15. ubi definit tristitiam, dicendo: *quod sit de his, que nobis nollentibus accidunt.* Tum etiam, quia nisi actus voluntatis accedit, etiam si adsit cognitio rei convenientis, vel inconvenientis, nulla est latitia, vel tristitia.

2 Supponendum est etiam, quod latitia, & tristitia non sunt actus voluntatis, sed passiones, quod probat Doctor Subt. loc. citat. quia tristitia est essentialiter pena; immo in natura intellectuali nulla alia pena potest inesse sibi: atqui pena non est actus voluntatis, sed quid consequens: erg. neque tristitia erit actus voluntatis, & per consequens, neque delectatio, quæ est opposita. Minor probatur: omnis actus voluntatis, sive sit velle, sive nolle est voluntarius; quia voluntas voluntarie elicit velle, aut nolle: atqui nulla pena voluntatis est voluntaria, sed omnis est involuntaria; aliter non

esset pena: erg. &c. His ergo suppositis, per sequentes quaestiones, questionem resolvemus.

3 Quæritur 1. *an in voluntate Beati sit necessariò delectatio, seu latitia, vel gaudium?* Respond. affirmativè. Ita communiter Theologi, & est de fide, colligitarque ex Sacra Scriptura; nam Psalm. 16. „Adimplebis me latitia cum „vultu tuo, delectationes in „dextera tua usque in finem. „Ps. 35. Torrente voluptatis „tuæ potabis eos. Psal. 67. „Iusti epulentur, & exultent „in conspectu Dei, & delecten- „tur in latitia. Psalm. 149. „Exultabunt Sancti in gloria, „latabuntur, &c. Isaja 35. „Latitia sempiterna erit super „capita eorum, gaudium, & „exultationem obtinebunt. Matth. 25. „Euge serve bone, „intra in gaudium Domini tui. Sic etiam loquuntur PP. & specialiter D. August. lib. 10. Confess. cap. 23. ubi propterea beatitudinem vocat *gaudium da veritate*; quæ propositio debet intelligi, sicut & aliæ similes, causaliter, ut explicat Scotus loco citat. in solutione ad pri- mū; quatenus beatitudo est causa quietationis, & delectationis, quæ consequitur actus beatificos; quia si spes beatitu- dinis in via patit gaudium, jux- ta

ta illud Pauli : *Spe gaudentes;* tanto magis beatitudo jam obtenta illud pariet, & causabit. Tandem hoc etiam suadet ratio; quia gaudium, & delectatio ex natura rei sequitur, & comitatur consecutionem, seu tensionem boni amati; & tanto perfectius, quanto bonum consecutum majus est, & perfectiori modo obtentum: atqui Sancti per beatitudinem formam Deum perfectè consequuntur, & obtinent in præmium præcedentium meritorum, & Deus est summum bonum, & infinitum: ergo in eis est gaudium, & delectatio de ipso, ut possesto, & per visionem, ac fruitionem obtento.

4 Nunc autem est difficultas, an gaudium, & delectatio sint ita necessario cum beatitudine connexa, ut sint etiam de ejus essentia? Quidam antiquiores affirmarunt, ut refert Scotus loco citat. quorum fundamentum fuit; quia gaudium, sive delectatio à beatitudine separari non potest; implicat enim, quod quis sit Beatus, & gaudium non habeat: ergo est de ejus essentia. Confirmatur; quia videtur esse major perfectio beatitudinis, si dicatur, quod gaudium sit de ejus essentia, quam si tantummodo concomitetur ipsam: cum ergo beatitudo sit maxima perfectio

ipsius Beati, dicendum est, esse de ejus essentia, & non tantum eam comitari. Tandem probatur apari; quia sicut se habet tristitia in supplicio, ita gaudium in præmio: sed tristitia est de essentia supplicij: ergo gaudium quoque est de essentia præmij, qualis est beatitudo. Major patet, min. probat; quia tristitia non est actus voluntatis, alioquin esset voluntaria; immo oritur ex rebus, quæ nobis nolentibus accident, & haec est pœna, quæ dicitur sensus respectu damnatorum.

5 Sed his non obstantibus, dicendum est, quod licet gaudium de summo bono praesente non possit à beatitudine separari; adhuc tamen non est de ejus essentia, sed affectio, accidens, seu passio eam consequens, & concomitans. Ita Subt. Doct. loc. cit. & est communis inter RR. qui gaudium, & delectationem Beatorum ponunt in consequentibus beatitudinem. Probat Doctor, quia nulla passio est beatitudo essentialiter; nam beatitudo essentialiter consistit in operationibus intellectus, & voluntatis, licet principalius in actu voluntatis, tempore in fruitione, ut supra diximus: atqui delectatio non est operatio, sed passio operationem consequens; nam omnium calculo, delecta-

*tio si quies appetitus in bono, ad quod per modum desiderij movebatur. Unde D. Thom. 1. 2. q. 32. art. 1. affirmat delectationem sequi ad operationem: & q. 33. art. 4. operationem perfici per delectationem, tanquam per quietem in bono adepto.*

6 Confirmatur, quia quod est de essentia beatitudinis oportet respicere objectum beatificum, non solum in ratione cause efficientis, verum etiam in ratione objecti terminantis vitalem operationem beatificam: atqui passio, qualis est delectatio, & gaudium, non respicit objectum beatificum, nisi ut causam efficientem; non verò, ut objectum vitalem operationem beatificam terminans: ergo, &c. Denique, beatitudo in eo essentialiter consistit, quod est perfectissimum in omni genere actuum, sive in visione dicatur principaliter consistere, & complectivè in fruitione. Iuxta illud *hac est vita aeterna, ut cognoscant te, &c.* sive dicatur in fruitione principaliter consistere, & inchoativè tantum in visione, juxta illud August. *Fruitio est tota merces: talis autem non est delectatio, quia ipsa non unit potentiam objecto beatifico, sed ex unione consurgit tanquam accidens ejus: ergo, &c.* Concludit ta-

men Doct. beatitudinem si proprie accipiatur, non includere gaudium in sua essentia, cum sit passio quædam eam consequens; beatitudo vero in operatione consistit. Adhuc tamen addit, voluntatem bifariam considerari posse, primo, ut potentia operativa, & sic simpliciter perficitur operatione conjungente illam summo bono ultimate, & in hoc essentialiter beatitudo consistit. Deinde potest considerari, ut receptiva, & hoc modo est perfectibilis, non operatione, sed supernaturalibus passionibus, qualis est delectatio, & gaudium, quia talium est ultimate receptiva.

7 Ad rationem in oppositum respondet Doct. in fine, quæst. 7. citat. de facto utique delectationem à beatitudine separari non posse; quia de facto statuit Deus in actu fruitionis beatifica semper concurrere ad qualitatem, seu passionem illam ex natura rei concomitantem: at de potentia absoluta separari potest; quia potest esse amor, seu fruitio objecti sine delectatione consequente; in quo casu Beatus Deum viseret, & non gauderet; sed hoc non esset ex potestate sua, sed divina, quæ conservaret visionem, & non gaudium. Ad confirmat. responder, verum esse,

esse, quod beatitudo esset perfectior, si gaudium esset de essentia ejus, sicut homo perfectior esset, si sapientia esset de ejus essentia; sed hoc esse non potest, quia de essentia beatitudinis est, quod conjugat potentiam cum objecto beatifico, quod non potest facere passio, sed tantum vitalis operatio.

8. Ad ultimum ait, paritatem assumptam de tristitia in damnatis, & gaudio in Beatis, valere in aliquibus, sed non in omnibus; valet enim in hoc, quod sicut gaudium est passio resultans ex conjunctione vitali voluntatis cum objecto volito, & bono, ita etiam tristitia est passio resultans ex objecto nolito malo, & tamen presente: & sicut merentibus succedit gaudium, ita demerentibus tristitia in peccatum peccatorum: at in ratione præmij, & peccata non currit paritas; quia nihil potest esse peccata, nisi in voluntarium, unde peccata non potest esse actus voluntatis, nam omnis actus voluntatis sive velle, sive nolle semper est voluntarius, & tam in Deo, quam in Beatis datur velle bonum, & nolle circa malum, & tamen neque in Deo, neque in Beatis est tristitia: ergo tristitia, & peccata nihil aliud potest esse, quam passio illa afflictiva voluntatis, actum nolendi objec-

tuim concomitans. Sed præmium potest esse voluntarium, tam ex parte præmiantis, quam ex parte præmiati; atque ideo potest esse actus voluntatis: & licet ad actum voluntarium circa bonum desideratum, & jam possatum, sequatur delectatio, & gaudium, quod etiam est aliquid præmium accidentale, nihilominus, quia acerbus est nobilior passione, concludit Doctor, præmium essentiale consistere in actu, & non in passione consequente.

9. Quæres 2. *An voluntas Beati, supposita beatifica visione, necessariō amet Deum?* Respond. affirmative. Sic communiter Theologi. Probatur 1. ex D. Aug. lib. 13. de Trinit. cap. 8. ubi ait: *Beata vita esse non potest, nisi sit immortalis, & quæ amitti non poscit; quia si posset non fruī, posset fieri miser, & peccare;* atqui de potentia ordinaria hoc non potest voluntas Beati, posita beatifica visione: ergo, &c. Prob. 2. cum nostro Poncio: *visio beata est conservanda in perpetuum, ut patet tam ex fide docente vitam æternam; quæ vel consistit in visione, vel illam includit, vel saltem presupponit: patet etiam ratione; quia visio beata, supposita communicatione ipsius post hanc vitam, tam connaturaliter debet*

semper conservari, quām ipsa met anima, aut Angelus; quia nihil potest advenire, ob cu-jus contrarietatem posset tolli: atquī quandiu visio manet, tandem debet manere amor Dei in voluntate, & quandiu manet ille amor, nequit quis odio prosequi Deum, alias amaret, & odio simul prosequeretur ipsum: ergo voluntas Beati necessariò amat Deum, posita visione beata in intellectu ipsius.

10 Prob. min. in qua potest esse difficultas; quia objecta delectabilia in hac vita ita moraliter necessitant voluntatem ad ea amanda, etiam post posito Deo, & cum periculo incurriendi damnationem æternam, ut sine gratia particulari non possit, non amare illa, etiam si amando peccet, ut patet ex principijs, ex quibus colligitur necessitas gratiæ ad vitandas tentationes graves: atqui certum est, Deum esse magis delectabilem videnti ipsum clare, quām sit ullum objec-tum delectabile creatum, quomodocumque perceptum; ergo supposita visione Dei, Deus necessitat voluntatem ad amo-rem sui.

11 Prob. 2. conclus. ex Subt. Doct. in 4. d. 49. q. 10. ubi ait ex D. Aug. in Enchi. cap. 104. „ Neque voluntas

, non est, aut non libera dicta „ est, qua sic Beati esse volu- „ mus, ut miseros nos esse, „ velle non possumus. (Et post pauca inquit: ) „ Dico ergo, „ quod voluntas sic determina- „ tur ad volendum beatitudi- „ nem, & ad nolendum mis- „ riam, quod si eliciat aliquem „ actum circa ista objecta, ne- „ cessariò, & determinatè eli- „ cit actum volendi respectu „ beatitudinis, & nolendi res- „ pectu miseriae. Et est ratio, quia voluntas non potest nolle aliquid, nisi in eo sit aliqua ra- tio mali, vel defectus boni: sed in Deo per visionem beatifi- cam intuitivè viso, nequit apparere aliqua ratio mali, nec defectus boni; quia ibi est omnis ratio boni, & negatio omnis mali: ergo voluntas Beati, posita visione beatifica, neces- sariò amat Deum.

12 Nunc verò inter nos-trates est difficultas: *An ista necessitas sit tantum moralis, an verò sit etiam aliquomodo physica?* Et *an solum sit quoad specificationem, seu contrarie- tatem; an etiam quoad contra-dictionem?* Circa primum, in-quit Ponc. quod tantum est moralis, & non physica, & ait, hanc assertionem esse communi-nem Scotistarum contra magis communem sententiam. Funda-mentum ejus est, quia ut ne-

necessitaretur physicè videns Deum ad ejus amorem , debe ret esse aliquod principium ne cessariò physicè influens in amo rem ; sed nullum est tale : Pro batur , si aliquod , vel esset ipsam et visio , vel voluntas habituata charitate cum visione ; aliud enim non potest assignari : atqui non ipsa visio , quia actus intellectus non concurrit efficienter ad producendos actus voluntatis , licet præsupponatur , tanquam condicio sine qua non . Nec est voluntas habituata charitate cum visione ; quia voluntas sic habituata , non potest physicè necessitari ad amorem magis , quam sine visione , nisi visio habeat aliquem physicum influxum , quem non habet , ut dictum est ; aut nisi ipsam et formaliter deter minet voluntatem ; per hujus modi antem determinationem non inducitur , nisi necessitas moralis . Ita etiam discurrunt quam plurimi Scotistæ :

13. Sed melius , & probabilius respondetur cum Mastr. & alijs Scotorum , prædictam ne cessitatem esse plusquam moralem , seu esse physicam , non intrinsecè , seu ex natura potentia ; quia sic semper voluntas est libera , tam libertate contradictionis , quam contrarietatis , seu specificationis ; sed extrinsecè , scilicet , ex decreto

Dei de concurrendo semper , & pro semper ad fruitionem , seu ad amorem , & de non concurrendo ad suspensionem illius , nec ad oppositum amoris ; concursus enim paratus ad utrumlibet est unum ex necessariò physicè prærequisitis ad hoc , ut voluntas sit in potentia physicè propinqua , & indifferenti ad agendum , vel non agendum : atqui possita visione beatifica in intellectu Beati , jam intelligitur , & adeat Decretum Dei de concurrendo ad solum amorem semper , & in æternum , & de non concurrendo ad suspensionem amoris , nec ad oppositum illius , sive formaliter , si ve virtualiter : ergo posita visione beatifica , voluntas Beati manet necessitata physicè , quanvis extrinsecè ad amorem beatificum .

14. Hec resolutior videtur expressa Subtilissimi nost. Doct. in 4. d. 49. q. 6. §. Dico ergo . Ubi loquendo de perpetuitate beatitudinis , & de impeccabilitate Beatorum , inquit : „ Quod „ causa hujus perpetuitatis , nec „ est forma beatitudinis , quasi „ per ipsam beatitudo formalis „ ter sit necessaria ; nec natura „ potentiarum illarum , quasi „ circa objectum necessariò „ perpetuo operentur ; nec ha bitus in potentijis , quasi ne cessariò determinans poten-

,, tias ad perpetuò operandum;  
,, sed est ex sola voluntate di-  
,, vina , quæ sicut perficit na-  
,, turam intensivè ; ita conser-  
,, vat eam in tali perfezione  
,, perpetuò. Sed tunc ocurrat  
dubium , quomodo Michaël  
Beatus erit impeccabilis? Nam  
per nihilum intrinsecam sibi ha-  
bet , quin contingenter opere-  
tur ; & per consequens potest  
non frui , & ita peccare : Con-  
sequens est falsum , cum dicat  
August. 3. de Trinit. contra  
Maximum , cap. 13. Cicumque  
naturæ præstatur , ut peccare  
non possit , non est hoc naturæ  
propriè , sed Dei gratia.

15 Respondet Doctor , &  
paucis interjectis , inquit: „ Di-  
„ co , quod nulla est causa in-  
„ trinseca in voluntate Michaë-  
„ lis nunc Beati , per quam ex-  
„ cludatur potentia ad peccan-  
„ dum pro aliâs , in sensu divi-  
„ sionis ; non est autem causa  
„ intrinseca prohibens istam  
„ potentiam omnino reduci ad  
„ actum : sed per causam ex-  
„ trinsecam est impossibilis po-  
„ tentia illa propinqua ad pec-  
„ candum , videlicet , per vo-  
„ luntatem Dei prævenientem  
„ illam voluntatem , ut sem-  
„ per continuet actum fruen-  
„ di ; & ita nunquam pos-  
„ sit potentiam suam remo-  
„ tam non fruendi , vel pec-  
„ candi reducere ad actum ; si-

,, quidem nunquam causa se-  
„ cunda præventa à causa su-  
„ periori agente ad unum op-  
„ positum potest potentia pro-  
„ pinqua exire in aliud oppo-  
„ situm. Concedo ergo , quod  
„ infert , quod Michaël Beatus ,  
„ & sit peccabilis in sensu divi-  
„ sionis , loquendo de potentia  
„ remota. Ad authoritatem Au-  
„ gustini dico , quod intelligi  
„ git , quod peccare non posse  
„ potentia propinqua , non est  
„ hoc naturæ , sed gratia Dei ,  
„ hoc est gratuitè prævenientis ,  
„ & conservantis illam natu-  
„ ram in recto actu. Hucusque  
Doctor : quo nil clarus pro  
nostra , & Matrij resolu-  
tione.

16 Deinde , possita visione  
beatifica in intellectu Beati ,  
majorem necessitatem debemus  
agnoscere , & concedere ad  
amorem beatificum , quam in  
voluntate viatoris ad consen-  
sum salutarem , posito in illa  
auxilio efficaci : atqui in vo-  
luntate viatoris sic inspecta ag-  
noscamus , & concedimus ne-  
cessitatem moralem : erg. in vo-  
luntate Beati in sensu compo-  
sito visionis , debemus agnosce-  
re , & concedere plusquam mo-  
ralem necessitatem , ac per con-  
sequens necessitatem physicam.  
Assumptum patet ex Subt. Doct.  
in 2. d. 5. quæst. i. ubi de An-  
geli voluntate loquens , inquit;

in elicitione actus diversimode se habuisse, quando promeruit, & quando præmium accepit; quando enim premiatur (verba sunt Doctoris) vult immutabiliter, hoc est, in quantum consideratur, ut jam eliciens actum; & per consequens ut prius naturaliter ipso actu comparatur ad illam; sed quando meretur, non sic immutabiliter vult, sed ut eliciens actum, contingenter videtur elicere: ergo magis necessariò elicit Beatus amorem beatificum, quam viator amorem meritorium; ac per consequens non tantum necessitate morali, sed physica, quanvis ab extrinseco proveniente.

17 Ratio autem Poncij solùm probat, voluntatem Beati non esse physicè determinatam ad fruitionem, nec ad non peccandum per visionem beatificam, tanquam per formam intrinsecam à Deo impressam, & voluntatem ad unum determinantem, quod gratis concedimus cum Subt. Doctore ubi supra: cum hoc tamen stat, quod determinatur ab extrinseco, & modo quodam negativo, quantum non habet concursum paratum, nec Deus vult concurrere ad omissionem, nec ad oppositum illius actus, vel aliquid incompossibile cum ipso; quæ quidem concursus parati denegatio, inducit in actu amo-

ris beatifici necessitatem non tantum moralem, sed etiam physicam, non quidem intrinsecam, sed tantum extrinsecam, ut ait Subtil. Doctor. loco supr. cit. Denique suadetur hac ratione ex Mastrio in 3. d. 3. q. 9. art. 3. num. 386. Nam vel Deus, posita visione beatifica, habet concursum paratum ad eliciendum beatificum amorem, & ad ejus suspensionem, vel non? Si 1. ergo non obstante clara Dei visione, adhuc voluntas Beati de Potentia Dei ordinaria potest peccare; quia proximè physicè posset non elicere actum amoris, & ponere oppositum illius, quod nemo audebit concedere. Si 2. ergo jam voluntas Beati non libere proximè physicè elicit amorem beatificum; sed necessariò necessitate physica, quia non poterat proximè physicè agere, & non agere ob defectum concursus parati ad utrumlibet, quæ quidem patatio est unum ex prærequisitis physicè ad physicam indifferentiam. Et hæc non necessitas intrinseca sufficit ut amor beatificus sit liber non tantum libertate essentiali, ut asserit Faber, & quidam alij Scotista, sed etiam libertate accidentalí, seu cum contingencia, quanvis remota, ut defendant communiter Scotisti; quia hic modus operandi est

ita intrinsecus voluntati creatæ, quod non potest per aliquid extrinsecum immutari.

18. Quares 3. *An perpetuitas, & securitas beatitudinis sint de ejus essentia?* Ante resolutionem hujus quæsti, est superponendum tanquam de fide, beatitudinem patriæ esse perpetuam, contra errorem qui tribuitur Originis; cui etiam adscribitur, quod asseruerit, nec statum damnatorum esse perpetuum, sed dæmones aliquando salvandos; & contra hunc errorum (de quo excusatatur Origenes a Sixto Senensi afferente, esse insertum operibus ejus) fuit veritas fidei definita in 6. Syntodo Generali, act. 11. in Epistola Sophronij approbata, act. 13. Et in Concil. Lateran. sub Innocent. III. in cap. *Firmiter de Summa Trinitate.* Et in Symbolo Apostolorum: *Credo vitam æternam.* Et Math. 25. *Ibunt justi in vitam æternam;* & Math. 22. *Erunt sicut Angeli Dei.* Et Psalm. 8. *In sæcula sæculorum laudabunt te.* Et Sapient. 5. *Justi autem in perpetuum vivent.* Colligitur etiam ex peccata damnatorum, quam futuram esse perpetuam non solum dicitur loco cit. Math. 25. sed etiam Apocalyp. 20. v. 10. *Cruciantur die æc nocte in facula sæculorum.* Et Marc. 9. *Venient eorum non moritur.* Et

alibi sæpè; similiter ad hoc sunt dicta SS. multa, inquit Subtil. nost. Doct. in 4. d. 49. quæst. 6. §. *Hic duo sunt.*

19. Difficultas est solum, unde hæc perpetuitas proveniat, & an sit de essentia beatitudinis? Sed ut bene advertit Poncius, vix alia potest esse controversia inter Catholicos, quam de nomine; unde breviter resolvimus: quod si beatitudo sumatur pro ipsiusmet operationibus, quibus Beatus conjungitur summo bono, ut est visio, & fructus, perpetuitas non est de ejus essentia. Ita Subt. Doct. loco citat. Probatur; quia certum est, posse illas operations esse absque perpetuitate, & hominem ijs mediantibus, quantumdur per instans, horam, diem, aut annum, reddi summe contentum absque ulla molestia: ergo. &c. Confirmat. exemplo visionis beatæ, secundum plurium sententiam, Beatissimæ Virg. Maria, Moyfi, D. Paulo, & aliquibus alijs Sanctis communicata, quæ quanvis fuerit citò transiens, fuit tamen ejusdem rationis, & essentia cum alijs Beatorum visionibus, sicut albedo unius diei est aquæ perfecta, ac albedo unius anni. Denique, beatitudo est quid creatum: atqui nulli creato potest esse essentialis actualis duratio, quia hoc est

est proprium Dei : erg. &c.

20 Dices : si beatitudo non esset perpetua essentialiter, tunc homini displiceret, quod aliquando illa felicitate careret: ergo non careret omni molestia. Atqui hoc essentialiter requiriatur ad beatitudinem: ergo & perpetuitas. Respond. in primis, non esse necessarium quod, qui haberet illas operationes, consideraret; An continuaretur perpetuum, nec ne? Unde ex defectu perpetuitatis non necessariò sequeretur displicentia; & sic posset esse beatitudo, hoc modo accepta, absque perpetuitate. Deinde, et si Beatus sciret, non perpetuo se in tali statu mansarum, adhuc non tristaretur; Tum, ob suminam delectationem, quam ex visione, & fruitione Dei haberet; Tum, ob suminam conformitatem, quam ratione amoris haberet cum Dei voluntate.

21 Addit deinde Doctor loco citat quod si beatitudo extensivè accipiatur, id est, pro illo fœlicissimo statu, nunquam finiendo, & durante quantum potest, in hoc sensu perpetuitas est de ejus essentia. Probatur, quia ab illa habet formaliter, quod talis status nunquam sit finem habiturus. An autem capiatur hoc modo unquam beatitudo, aut illo priori modo, aut quandoque uno, quan-

doque altero, est pura qualitas de nomine, inquit Mastrins, & Poncius, & quantum ad utilitatem sufficit, quod beatitudo nostra sit futura perpetua, ut constat ex articulo fidei, quo creditur vita æterna; sive hec perpetuitas sit de ejus essentia, sive non, sed accidens ipsius, ei tamen de facto necessarium connexum, sed sine quo posset esse, & ab eo separari, de potentia absoluta loquendo.

22 Pro secunda parte quæsti est advertendum ex Subtili Doct. loco citat. §. de secundo principali, quod dubietas, & certitudo sunt in intellectu; timor autem, & securitas in voluntate; & securitas est veluti quedam quies voluntatis de bono non amittendo, & malo non infligendo; & hanc præedit certitudo in intellectu de bono conferendo, vel bono collato continuando; quo supposito, ait Doct. certum esse beatitudinem habere annexam securitatem perpetuitatis, & omnes beatos de perpetuitate sua beatitudinis esse securos; non quia videant beatitudinem ex se esse perpetuam, ut supra dictum est: nec etiam per rationem naturalem; quia nulli creature potest esse notum per rationem naturalem illud, quod contingenter dependet à sola voluntate divina: hujusmodi

autem est continuatio beatitudinis jam collata, ex supra dictis: ergo tantummodo est illa certitudo in intellectu Beati ex revelatione sibi à Deo facta. Hæc securitas beatitudinis ex pluribus Sacra Scripturæ locis expressè deducitur, ut videri potest apud RR. Et D. Petrus in sua Epist. 1. cap. 1. beatitudinem vocat, *hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem conservatam in celis in vobis.*

23 Ex dictis patet solutio nostri quæsti. Dicimus ergo, quod securitas non est de essentia beatitudinis. Sic Subt. Doct. citatus, & cum eo omnes Scotistæ. Probatur; quia securitas præsupponit certitudinem in intellectu de continuatione beatitudinis: ergo securitas in voluntate non est de intrinseca ratione beatitudinis. Patet consequentia: quia certitudo in intellectu de continuatione beatitudinis supponit aprehensionem, & revelationem ejus, ex qua voluntas redditur secura; ac per consequens hæc omnia supponunt essentiam beatitudinis jam in esse positam. Confirmatur; quia aprehensio perpetuitatis beatitudinis, & certitudo illius, non est actus tendens in objectum beatificum; sed est actus reflexus super ipsam beatitudinis continuatio-

nem, & securitas de hac aliud non respicit, ut objectum, nisi perpetuæ continuationis certitudinem: ergo si nec aprehensio, nec certitudo perpetuitatis, sunt de essenta beatitudinis, tanto minus securitas.

24 Dices: si Beatus non haberet hanc certitudinem, & securitatem, esset anxius de amittendo aliquando illo statu: ergo haberet magnam molestiam, quæ est incompatibilis cum vera beatitudine. Ergo dicendum est, quod certitudo, & securitas sunt de essentia beatitudinis. Respond. id ad summum probare, quod beatitudo necessariò annexam habeat hujusmodi securitatem, sicuti est de facto; non tamen quod sit de ejus essentia: immò nec probat, talem annexionem securitatis cum beatitudine esse simpliciter, & absolute necessariam, licet ita sit de facto; si enim per horam quis Deum videret, eoque frueretur, adhuc per hunc solum actum videnti, & fruendi esset Beatus; quod verò magis, vel minus duret visio, vel quod videns sciat certò defecturam, vel non defecturam visionem, est merum accidens eam consequens. Deinde, jam diximus, non esse necessarium beato, quod reflectet supra perpetuitatem beatitudinis; & quod quando etiam

etiam sciret, illam non duraturam in perpetuum, adhuc non tristaretur ob summam delectationem ex visione, & fruitione Dei; & ob summam conformitatem cum ejus voluntate ratione amoris beatifici.

25 Dubitabis, quomodo Beati sint impeccabiles? Hoc dubium movetur à Subt. Doctori loco cit. §. dico ergo. Supponitur tanquam de fide, Beatos esse impeccabiles: Tum, quia nihil coinquinatum intrabit in Regnum Celorum. Tum etiam; ex autoritate adducta. D. Petri, quod beatido est hereditas incorruptibilis, & uncontaminata; quia peccato contaminari non potest. Tum denique, quia tam necessariò connexa est impeccabilitas cum beatitudine, sicut perpetuitas, & securitas. Unde autem proveniat hæc impeccabilitas, est quod in dubium vertitur? Et relictis varijs; & satis confusis dicendi modis, apud nostrates videndis, resolvimus, cum nostr. Maistro ubi supra, Beatos esse ita necessariò impeccabiles, sicut necessariò, posita visione beatifica, amant Deum: & sicut non solum necessitate morali; sed etiam physica, quanvis extrinseca, amant Deum clare visum; ita eadem necessitate sunt impeccabiles. Et hac eadem necessitate fuit

Christus impeccabilis, ut dicimus tractatu de Incarnatione. Probatur ex dictis, quia Beati non habent concussum paratum ad oppositum amoris, & adeo decretum de continuacione; & conservatione ejus usque in æternum: atqui concusus paratus est unum ex necessariò prærequisitis ad libertatem physicam proximam, seu proximam potentiam agendi, & non agendi: ergo, &c. Et hoc fuit expressa Scoti Sententia in 3. d. 12. q. unic. §. de secundo, inquit Mastr.

26 Solum autem est hic notandum cum Poncio, & Maistro, perpetuitatem beatitudinis, & impeccabilitatem voluntatis Beati oriri ex conservatione, & continuatione visionis beatæ, & beatifici amoris; neque ad alterutram requiri aliam gratiam particularem Dei, quam illam, ex qua vult perpetuò se clare ostendere Beato, & usque in æternum ab illo amari: undé minus rectè aliqui RR. imponunt Subt. Magist. impeccabilitatem Beatorum solum oriri ex singulari, & speciali Dei protectione, quia non vult peccata permittere Beatis, aut cum ipsis ad aliquod peccatum concurrere; hoc enim apud Scot. non reperio. Unde si aliquando videatur id refundere in gratiam, & protec-

tectionem Dei, ut supra vidi-  
mus, hoc intelligi debet de  
gratia, protectione, & manu-  
tenentia, conservationis ipsius,  
met visionis, & amoris, qua  
supposita, voluntas ex natura  
sua determinatur ad non pec-  
candum, & ad non perdendam  
beatitudinem; & hoc aperte  
colligitur ex verbis ipsius, si  
attente legatur, dum inquit,  
Beatum reddi impeccabilem  
ex voluntate Dei præveniente  
illius voluntatem, ut semper  
continuet actum fruendi, abs-  
que eo, quod nova gratia re-  
quiratur. Cum hoc ( inquit  
Boybin, cap. 3. de Beatiudine,  
q. 15. lit. B. §. Controvertitur).  
possunt aliqualiter conciliari  
Sententia Thomistarum ponen-  
tium impeccabilitatem ab in-  
trinsico ex vi visionis, & amo-  
ris, & Sententia Scotistarum  
illam ponentium ab extrinseco  
ex vi manutentiae, seu con-  
servationis visionis, & amoris,  
& ex negatione concursus para-  
ti ad utrumque, quibus sup-  
positis manet voluntas Beati  
plusquam mortaliter necessitata  
ad non peccandum, & ad con-  
tinuandam beatitudinem. Quod  
utrumque verum est.

27. *Dubitatis; an voluntas  
Beati sit capax ullius tristitiae?*  
Patres, ac DD. communiter  
docent, voluntatem Beati non  
esse naturaliter capacem alicu-

jus tristitiae, aut molestiae; &  
hoc oriri ex summa voluntate,  
quam habet ex visione Dei, &  
maximo amore, quo ipsum  
prosequitur; & ratio deducitur  
ex supradictis; gaudium nem-  
pe, & delectationem esse ne-  
cessariam connexam cum beati-  
tudine. Patet etiam ex illo Apo-  
calypsi. 21. „ Et absterget  
„ Deus omne lacrimam ab  
„ oculis sanctorum, & jam  
„ non erit amplius, neque luc-  
„ tus, neque clamor, neque  
„ dolor erit ultra. (Et ex Joan.  
„ 16.) Gaudium vestrum erit  
„ plenum, & gaudium ves-  
„ trum nemo tolleret a vobis.

28. Confirmatur, quia Bea-  
tis nihil occurtere potest, quod  
posset esse causa doloris, nec  
ex parte corporis propter per-  
fectiones ipsius, de quibus dis-  
pat. sequenti; neque ex parte  
animæ; si quid enim esset, ma-  
xiæ peccata præterita propria,  
aut aliorum hominum, vel  
damnatio amicorum, vel pas-  
sio Christi; hæc enim sunt præ-  
cipua objecta, quæ ipsis ex par-  
te animæ tristitiam ingerere pos-  
sent, ut rectè discurrunt Mafr.  
& Ponc. cum pluribus alijs:  
Atqui de his Beati dolore non  
afficiuntur; quia licet justi in  
hac vita merito, & utiliter do-  
leant de suis, & alienis pecca-  
tis, ac etiam de Christi D. pas-  
sione, non est eadem ratio dei-  
via-

viatoribus , & de Beatis ratio-  
ne status ; illis enim valde utile  
est , immò , & necessarium de  
peccatis commissis dolere , quia  
id faciendo , merentur , & ve-  
niam consequuntur ; quod de  
Beatis dici nequit ; quia ve-  
niā de peccatis commissis jam  
consecuti sunt , nec sunt in sta-  
tu ulterius merendi . Denique ,  
experiētia constat etiam in hac  
vita tali , ac tanta voluptate nos  
quandoque affici , ut ex consi-  
deratione objectorum , de qui-  
bus alias tristavimus , tristitiam  
non concipimus ratione falsa  
voluptatis : ergo tanto magis  
Beati ex summa voluptate , qua  
afficiantur ex clara Dei visione ,  
& perpetua ejus fruitione , non  
tristabuntur ex consideratione  
objectorum , quæ alias tristi-  
tiam ipsis inferrent .

29 Obije . Ibai . 14. *Angeli  
pacis amare plebant* . ergo An-  
geli Beati sunt capaces tristitiae .  
Confirmatur : Christus D. etiam  
in hac vita perfectissimam vi-  
tionem Dei habuit , sumnum  
amorem , sumnamque confor-  
mitatem cum ipsis voluntate :  
sed tempore passionis maxi-  
mam tristitiam passus est , ut  
ejus verba ostendunt : *Tristis est  
anima mea usque ad mortem* :  
ergo summa voluptas in Beatis  
ex Dei visione , & fruitione con-  
cepta , non reddit eos tristitiae  
incapaces . Respond . ad argu-

*Tom. I.*

ment . neg . conseq . quia , si ille  
locus intelligatur de veris An-  
gelis , certum est , quod non  
possit intelligi in sensu littera-  
li , cum evidens sit , quod non  
sint capaces fletus proprié dicti : sensus ergo est , quod ita se  
habebunt , ut si essent capaces  
fletus , ac doloris , flerent , ac  
dolerent ; quomodo intelligi-  
tur , Deum pœnituisse , quod  
creavit homines , & multa alia  
Scripturæ loca .

30 Ad confirm . respond .  
ex Subt . Doct . in 4. d . 49. q.  
12. § . Respondeo , vers . Tunc  
enim , & § . ad argumenta , dis-  
ting . min . Christus habuit ma-  
ximam tristitiam miraculose ,  
& supernaturaliter , conc . na-  
turaliter , neg . Verba Doctoris  
sunt : „ De Christo dicendum ,  
„ quod semper fuit miraculum  
„ usque ad mortem , quod si  
„ mul fierunt beatitudo ; &  
„ mortalitas propter repugnan-  
„ tiā effectum ; & sicut hic  
„ dolor partis sensitivæ redun-  
„ dabat usque ad superiorem  
„ partem animæ ; illud fuit  
„ miraculum contra effectum  
„ beatitudinis . Idem habet in 3.  
d . 16. q . 2. § . ad questionem .  
Unde neg . conseq . quia si fuit  
miraculum in Christo , quod  
beatitudo conjungeretur cum  
dolore , & tristitia , dum erat  
similis Beatus , & viator , potius  
ex hoc sequitur nostra resolu-

*Nunca*

*tio*

tio, nempe, quod simpliciter  
Beati non sunt naturaliter, &  
absque miraculo capaces ullius  
tristitiae propter delectationem  
perfectam ex visione, & frui-  
tione ortam, quae impedit, &  
excludit naturaliter omnem  
tristitiam. Ut ait Scot. etiam  
in 4. d. 50. q. 3. litt. K. his  
verbis: „Voluntas Beatorum  
„non est capax tristitiae prop-  
„ter delectationem perfectam,  
„quae impedit omnem tristi-  
„tiam, non solum oppositam,  
„sed quancumque contingen-  
„tem.

**QUÆST. IV.**  
**D E ALIIS VIRTUTIBUS,**  
**& perfectionibus anime**  
**beatæ.**

**1** **Q**ueres 1. An in vo-  
luntate Beati de-  
tur virtus Theo-  
logica charitatis ad eliciendum  
amorem beatificum? Sensus  
quaestio est, an sicut intellectus  
ad beatam visionem eliciendam  
supernaturali indiget habitu,  
qui dicitur lumen gloriae, ut  
patet ex supra dictis, ita & vo-  
luntas indigeat habitu charita-  
tis, vel alio supernaturali ad  
eliciendam fruitionem beatifi-  
cam? Et supponimus, gratia,  
& charitatem esse eam-  
dem virtutem Theologicam, &  
per distinctas tantum formalites,  
vel connotata constitui  
in esse gratiae, & charitatis; di-

**de Beatitudine.**

citur enim gratia, quatenus  
nos Deo gratos facit; quatenus  
verò nos inclinat, & pronus  
facit ad Deum diligendum,  
charitas appellatur, ut tracta-  
tu de Gratia dicemus.

**2** Hoc itaque supposito,  
pro resolutione quaestio inquit  
Subr. nost. Doct. in 4. d. 49.  
q. 11. formam supernaturalem  
requiri ex parte voluntatis  
Beati ad fruitionem beatificam,  
qua dicitur charitas: & infra  
subdit, quia quod secundum  
Scripturam, & fidem debemus  
ponere charitatem; saltem ne-  
cessè est eam ponere in Beatis  
propter fruitionem eliciendam:  
& inferius confirmat, dist. 50.  
q. 6. ubi ex diversitate, seu  
inæqualitate intensionis habitus  
charitatis deducit diversitatem,  
seu inæqualitatem intensivam frui-  
tionis Beatorum: ita etiam dis-  
currunt D. Bonaventura, &  
D. Thomas, ibidem.

**3** Ratio est, quia omnis  
Beatus ex hac vita decessit per  
charitatem justificatus, quam  
etiam secum defert in alia vita,  
juxta illud Apost. 1. ad Corinth.  
13. „Charitas numquam exci-  
„dit: ( quem locum exponens  
„Hieronymus, inquit ) Chara-  
„ritas nunquam excidit, hoc  
„est, ipsa sola permanet in fu-  
„turo: ( intelligitur modo su-  
„perius dicto ) Et Ambros.  
„ait: Charitas in praesenti

„pro-

„ prodest , & in æternum cum „ Deo permanet : ergo sicut in hac vita mortali charitas est necessaria ad actus supernaturales diligendi Deum , sic & in patria ad fruendum Deo necessaria erit , alioquin diceretur aequè evacuandam esse , ac fides . Consequentia probatur ; quia non minus supernaturalis est dilectio Dei super omnia , & propter se in Beato , quam in viatore ; voluntas etiam eadem est in via , ac in patria : ergo sicut hic in via viribus naturæ nequit actum illum supernaturalem elicere ; sed ad eum eliciendum necessarius est habitus supernaturalis charitatis ; sic etiam necessarius est in Beato ad eliciendam fruitionem , seu amorem beatificum , qui est actus perfectior .

4 Confirmatur : quia ita discurrendum est de necessitate habitus charitatis in Beatis ad fruitionem eliciendam ; sicut de necessitate habitus luminis ad visionem eliciendam ; non enim magis proportionata est voluntas creata ad Deum perfruendum , quam intellectus ad eum videndum : sed intellectus per habitum luminis gloriae proportionatur Deo , & elevatur ad claram ejus visionem eliciendam , ut diximus disp. I . q. 3. sect. 4: ergo & voluntas per aliud habitum luminis glo-

riæ æquivalentem , Deo proportionari debet , & elevari ad ejus fruitionem eliciendam . At qui nullus alias in Scripturis legitur , & à PP. nominatur , quam charitas , ut pluribus eorum testimonij ostendit Brancatus disp. 20. art. 7: ergo per habitum charitatis proportionatur Deo voluntas Beatorum , & per illum elevatur ad fruitionem beatificam eliciendam .

5 Dubitabis , quomodo concurredit habitus charitatis cum voluntate ad fruitionem beatam eliciendam ? Circa hoc dubium varij sunt modi dicendi , ut refert , & impugnat Subtil . Doctor in 4. d. 49. quæst. 11. Et nos sup. rejecimus disp. I . quæst. 3. sect. 2. loquendo de lumine gloriae . Itaque de necessitate , & causalitate habitus charitatis cum voluntate Beatorum , ita in præsenti discutimus , sicut loco citato diximus de lumine gloriae intellectus Beatorum ad visionem beatificam eliciendam ; nimicum habitum charitatis , quatenus se tenet ex parte potentie , non habere aliud influxum in fruitione , seu amore beatifico , quam concusse efficientis ; & quidem non tantum quo admundum , & intensionem actus , quam tantum conferat ad perfectius , intensisque fruendum;

sed etiam quoad substantiam actus, ita ut conferat voluntati virtutem activam, & connaturalem ad efficiendum fruitionis actum; constitendo illam in esse agentis supernaturalis, & praestando ei virtutem in ordine suo; non quidem operando vitaliter, sed supernaturaliter, qua ratione dicitur eam constituiere in actu primo completo, & proportionato ad supernaturaliter operandum, ne dicemus de lumine gloriae in intellectu. Ita communiter DD. & præsertim Subtilis nost. Mag. loco cit.

6. Ex qua doctrina sequitur, quod in ordine ad operationem supernaturalis, v.g. ad fruitionem beatificam, dici potest, quod habitus supernaturalis charitatis dat voluntati operari simpliciter in tali ordine, scilicet supernaturaliter. Ita Mastr. dicens, quod Subtil. Doct. docet in 4. d. 6. quest. 10. habitum supernaturalis in hoc præsertim à naturali distingui, quod hic solum dator ac sic agendum, id est, facilius, & intensius; ille vero ad simpliciter agendum, id est, supernaturaliter, quatenus est principium, quo simpliciter possumus in actionem supernaturalis, & potentias nostras constituit in actu primo supernaturali ad actiones supernaturales

exercendas: ergo habitus charitatis in genere physico non tantum concurrit ad sic agendum, id est, intensius, & perfectius, ut volunt aliqui Scotistæ apud Mastr. sed ad simpliciter agendum supernaturaliter, quatenus actus secundus presupponit actum primum proportionatum, & actio supernaturalis presupponit potentiam in actu supernaturali constitutam, ut modo connaturali agere dicatur. Quæ doctrina est universaliter intelligenda de omnibus habitibus supernaturalibus, & per se insulsi; & ob hoc dicimus, quod habitus supernaturales dantur ad simpliciter agendum.

7. Etiam infertur, quod sicut intellectus Beati potest de potentia absoluta Dei divinitus elevari ad beatam visionem producendam absque lumine gloriae; ita pariter dicimus de voluntate, & habitu charitatis in ordine ad fruitionem. Ita Scotistæ, & alij communiter extra Scholam D. Thomæ. Hoc probatur eodem modo, quo supra probavimus disp. 1. quest. 4. de lumine gloriae. Et ita expresse docet Scot. in 3. d. 13. quest. 4. §. Ad quartam questionem, ubi ait; quod si objectum fruibile esset præsens intellectui, & voluntas sine habitu charitatis, posset adhuc præsente tali ob-

jecto actum fruitionis elicere; quia gratia; seu charitas respectu fruitionis habet tantum rationem cause efficientis, quam Deus supplere potest per solum concursum specialem extrinsecum, & ita sine ea potest fieri. Idem docet in 4. d. 49. q. 11. citata, ubi de facto tantum dicit necessarios esse habitus supernaturales in intellectu, & voluntate Beatorum, secus tamen de possibili, & de potentia Dei absoluta. Objectiones contra hoc eodem modo sunt solvenda, ac supra de lumine gloriae.

8. Quæres 2. *An in Beatis detur spes Theologica?* Respond. affirmativè. Ita RR. passim Suarez, Coninch. Amic. Arriag. & alij, & ex nost. Poncins, disp. 19. de Beatit. quæst. 5. concl. 5. & Vulp. d. 51. art. 1. apud Mastr. in 3. disp. 6. quæst. 18. ubi ait, satis probabile esse etiam in Scot sententia, spem in Beatis manere. Probatur ex ipso, & explicatur hæc resolutio: Spes aliquos habet actus, quos exercet, vel exercere potest in bonum absens, & aliquos, quos exerceat, vel exercere potest in bonum jam præsens in ratione commodi: ergo actus, qui ei convenienti circa bonum absens, in patria non exerceatur circa primarium sui objectum, scilicet, beatitudi-

nem, cum illa fruatur; actus verò, qui ei convenienti circa bonum præsens, & obtentum, scilicet, in illo quietere, gaudere, & delectari in ratione commodi, poterit exercere. Probatur assumptum; quia sicut charitas potest esse principium actus, quo desideramus Deum absentem, & quo amamus ipsum præsentem in ratione boni honesti in se, & properter se; ita habitus spei, quo desideramus Deum absentem, ut bonum nostrum, poterit etiam esse principium actus, quo amamus ipsum præsentem, ut bonum nostrum, qui actus dicitur tentio; & correspondet amori concupiscentiæ; qui est actus spei; sicut, & alia tentio correspondens amori amicitiæ, qui est actus charitatis.

9. Confirmatur: quia Beati gaudent, se possidere Deum, non solum propter ipsum et Deum; & bonitatem ipsius, quod spectat ad charitatem; sed quatenus est ipsissim bonus, & jucundus: arqui hic actus provenit à spe; non enim provenit à charitate, quia charitas nequit elicere proprium amorem concupiscentiæ, & alios actus, qui cum eo sunt connexi; hi enim amores, cum habeant motiva, & honestates diverse rationis, differunt essentialiter: ergo sunt propriæ actus spei; ac per

per conseq. Spes Theologica manet in Beatis, tam quoad habitum, quam quoad aliquos actus.

10 Prob. 2. hæc resolutio à Poncio, Vulpes, & alijs RR. ex eo, quod quando Beati orant pro nobis, omnino sperant in bonitate divina, se obtenturos, quod orant; nec est dicendum, quod certè sciant, se obtenturos, quod petunt. Deinde, sibi ipsis desiderant, & petunt resurrectionem, & gloriam suorum corporum: insuper possunt Beati desiderare continuationem propriæ beatitudinis: & denique possunt Beati sperare aliquam adhuc gloriam accidentalem ex conversione peccatorum, & salvatione illorum; & ex nova illuminatione, vel revelatione aliquorum objectorum, quorum visio nec primo, nec concomitanter pertinet ad ipsorum beatitudinem. ut loquendo de Fide diximus. Videantur ibi dicta, & hic applicetur.

11 Prima ratio est magis urgens, ait Mastr. citatus, cui etiam maxime favet Subt. Doct. in 3. d. 31. quæst. unic. 9. Sed adhuc restat aliud dubium circa objecta stellarum virtutum (scilicet Fidei, & Spei) quia videatur, quod earum formale objectum non sit Deus, ut latens, sive ut absens, ita quod latent-

tia, vel absentia sit formalis ratio objecti: sed sola ratio objecti est Deus, ut Deus, sicut tactum est distinct. 26. hujs, & in 1. quæst. de objecto Theologiae: & tunc non videtur, quod formaliter ratione objecti careant habitus isti: & ita posterunt manere (in Beatis) & inclinare in objectum proprium: & eodem modo postulari de actibus; nam idem sub eadem ratione est objectum habitus, & actus proprij illius habitus. Hucusque Scot. Et quanvis postea resolvere videatur pro evacuatione fidei, & spei, inquit Mastr. Doctorem ibi, ut constat ex ejus verbis, non loqui absolute, sed ex suppositione juxta dicta Sanctorum: ipse tandem simpliciter, & absolute distinguit habitus spei, & charitatis per hoc, quod charitas tendit in Deum, ut est bonus in se, & propter se; spes vero, quatenus est bonum nostrum, ut expressè iam docuerat in 3. d. 26. ubi etiam ait, quod praesentia, & absentia objecti (idem est de latentia respectu fidei) non ingrediuntur rationem objecti formalis, sed solum sunt conditiones requisitæ, ut objectum possit sic, vel sic appeti per actum nempe desiderij, vel intentionis: absolute autem loquendo eadem est ratio formalis tendendi in objectum per utrum-

utrumque actum: erg. uterque actus, tam viæ, quam patriæ provenit ab eodem habitu; ac per conséq. virtus Theologica Spei datur in Beatis. Argumenta contra hoc solvuntur eodem modo, ac argumenta contra permanentiam Fidei; nam D. Paulus eodem modo loquitur de evacuatione utriusque, & eodem modo est intelligendus, & applicandus; imò facilius de spe, quia tentio sui objecti est actus ejus.

12 Quæres 3. *An in Beatis dentur omnes virtutes morales?* Respond. affirmative. Ita Poncius citat. ubi ait, esse conformem Scoto, ac suis. Ita etiam Panger, lib. 2. disp. 4. q. 3. in Apênd. num. 57. & noster Philosoph. Curs. lib. 3. de Anima, q. 2. num. 4. ubi ait, quod hæc resolutio est Scotti in 4. d. 45. q. 1. §. hic est, vers. ex bo habeo, ubi ait: Huic etiam consonat illud Hieronymi in prologo Biblia: discamus in terris, quorum nobis scientia remanebit in cœlis; valde enim indignum esset tantum laborare circa scientiam, & virtutes, si desinerent esse in morte; & valde irrationale est, quod maneat, quin eorum actus possint haberi. Idem docet in 3. d. 33. q. unic. §. *tertia ratio*, vers. *præter istas*, citans Div. Augustinum, & Magist. senten-

tiar. in litt. illius distinctionis, qui ex mente D. Augustini, & Bedæ inquit: Ecce aperte hic dicit Aug. quod prædictæ virtutes in futuro erunt, sed alios usus tunc habebunt, quam modò :: & Beda assignat usus illarum virtutum secundum præsentem statum, & futurum, imitans Augustinum.

13 Confirmatur ex eodem Magistro ibid. dicente: *Hæ virtutes cardinales dicuntur, ut idem Aug. ait, quibus in hac mortalitate bene vivitur, & post ad æternam vitam pervenitur, quæ in Christo plenissimè fuerunt, & adhuc sunt, de cuius plenitudine nos omnes accepimus: in quo habuerunt usus, quos in patria habent, & quosdam etiam viæ: ergo seclusis imperfectionibus, omnes virtutes morales possunt esse in Beatis.* Præterea tam felix status requirere videtur aliquam virtutem moralem in statu heroico: sed secundum Thomistæ, & communiorum aliorum sententiam, nulla virtus potest esse in statu heroico absque aliarum virtutum confortio: erg. &c. Deinde, si aliqua negaretur illis, maxime penitentia, & temperantia in cibo, & potu, quarum actus non habentur in Beatis; quia non penitent ullius rei, & non manducabunt, nec bibent: atqui istæ virtutes

tes possunt esse etiam in Beatis; quia licet non elicient omnes actus illarum, aut principaliores; tamen elicient aliquos; nam gaudebunt, quod aliquando elicuerint illos actus in via, & quod alij eliciant illos, ob honestatem moralem illarum virtutum: erg. &c.

14 Denique probatur ratione nostri Philosophici Cursus, quia tam habitus intellectus, quam voluntatis suapte natura, & attento naturali rerum ordine incorruptibiliter manent, & inharent subiecto incorruptibili, ut sunt intellectus, & voluntas: erg. remanent in patria. Advertendum tamen est, quod habitus opinativi non sunt admittendi in Beatis; quia dicunt imperfectionem, & inclinant ad actus imperfectos; sunt enim cum formidine de opposto, & possunt errare, quod non est ponendum in Beatis. Unde D. Paulus 1. ad Corinth. 13. *Cum venerit quod perf. etum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Sed ut bene advertit nost. Poncius, si quando proponatur ipsis propositio, quæ sit obscura, & motivum probabile ad unam partem, ipsi videbunt clare, quod erit probabile propter illud, & judicabunt quod erit probabilis; sed non propterea dicent absolute, quod sit vera; quia, sic

## de Beatitudine.

dicendo, possent errare; sed suspendent suum judicium, donec aliter evidentius, aut certius ipsis proponatur. Quantum autem ad Theologiam attinet; potest etiam admitti (ait Ponc.) quod maneat in Beatis respectu illorum credibilium, quorum visio non pertinet ad beatitudinem, ut ait Subtilis Doct. & de quibus dabilis est fides.

15 Quæres 4. *An in Beatis maneat dona, & fructus Spiritus-sancti?* Respond. affirmatiæ. Probatur 1. de donis; nam hæc dona non repugnant cum statu beatifico; de facto enim fuerunt in Christo, qui ab instanti sue conceptio- nis fuit perfectissimè Beatus. erg. &c. Pater antec. ex illo Isaiae 11. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescat super eum spiritus Domini, spiritus sapientæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientie, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Ubi glossæ omnes, & S. Hieronymus in hunc locum docent hoc de Christo, in quo habitavit plenitudo divinitatis, & septiformis gratia Spiritus-sancti, de cuius plenitudine omnes accepterunt: erg. ista dona non pugnant cum statu beatifico.

unde S. Ambros. in lib. 1. de Spiritu-sancto , cap. 20. diffuse probat , hæc dona esse in Beatis : erg. sublatis aliquibus imperfectionibus , quibus connectuntur in viatoribus , admitti possunt in Beatis septem dona Spiritus-sancti .

16 Probatur etiam resolutio de duodecim fructibus Spiritus-sancti : quia Apocalypf. 22. dicitur de Cœlesti Hierusalem : *In medio platea ejus ex utraque parte fluminis lignum vita afferens fructus duodecim*: quos noster Lyranus ait , esse fructus duodecim Spiritus-sancti *Charitas, Gaudium, Pax,* de quibus nemo dubitat. *Patientia* , non quidem , ut in adversis non strangatur Beatus , cum ibi nulla sit adversitas , sed ad gaudendum ex eo , quod illam exercuerint in via , & ex eo , quod alij illam exerceant , ut diximus de pœnitentia. *Benignitas* , quoad affectum , & inflammationem amoris in proximum , *Bonitas* , id est , diffusio proprij boni ad proximum secundum effectum. *Longanimitas* ; quia expectant bonum futurum , beatitudinem corporis , amicorum , & continuationem. *Mansuetudo* , quoad moderandum appetitum circa vindictam peccatorum , secundum regulam justitiae divinæ , & non ultra : latabitur

*Tom. I.*

justus , cum viderit vindictam , Ps. 57. *Fides* , vel pro fidelitate , vel pro fide lata , & evidenti , ut supra admissimus. *Modestia* , ut per se patet. *Continentia* quantum ad non feciti in malum. *Castitas* , quæ manditiam importat ; & esse in Beatis , innumeris Sacræ Scripturæ locis habetur.

17 Quæres 5. *An etiam possint admitti in Beatis octo Beatitudines?* Respond. affirmativè , & probatur , nam juxta Subt. nostr. Doct. in 3. d. 34. q. unic. tam beatitudines , quam dona , & fructus reducuntur ad habitus , & actus virtutum moralium , & Theologalium: ergo eodem modo , quo sublatis imperfectionibus , admittuntur in Beatis virtutes , dona , & fructus , sic similiter possunt admitti Beatitudines. Seotum sequuntur omnes Scotistæ , Nominales , & quam plurimi alij RR. Videatur Mastr. in 3. disp. 7. q. 10. Ponc. in Comment. super hanc distinct. & in suo Cursu Theolog. disp. 26. q. 7. Felix , tentativa complutensi tract. 6. diffic. 4. & 5. & Bezerra , tract. 4. disp. 2. q. 6.

18 Probatur nunc , & explicatur antecedens ex Subtili Doct. cit. nam per paupertatem , intelligit humilitatem , quæ est species temperantie ; quia

Oooo fe-

secundum Aug. serm. 8. de Verbis Domini, philippes spiritu sunt timentes Deum, non habentes inflatum spiritum. Sic etiam intelligunt quam plures alij SS. PP. apud Ponc. videnti. Per *mititatem*, quæ est secunda Beatitudo communiter intelligitur *Mansuetudo*, & Doctor noster reducit eam ad *amicitiam*, quæ est species *justitiae*; nam mites sunt, qui non offendunt, nec resistunt malo sibi illato, quod est proprium officium mansuetudinis, & amicitiæ. Per *Luctum*, quæ est 3. Beatitudo intelligit Doctor virtutem Theologicam *Spei*; quia luctus est habitus desiderandi beatitudinem æternam, ex quo desiderio quantus luctus oriatur in perfectioribus, satis exprimit ille, qui dixit Ps.

41. „Fuerunt mihi lachrymæ  
„meæ panes die, ac nocte,  
„dum dicitur mihi quotidie  
„ubi est Deus tuus? (Quarta  
„beatitudo est) *Esuries*, & si-  
„tis *justitiae*, per quam intelli-  
git Doctor *charitatem*; nam charitas est habitus, quo esuri-  
mus *justitiam*, seu *sanctitate* pro-  
priam, & alienam, & diligimus Deum in se, qui est vera *justitia*.

19 Quinta Beatitudo est *Misericordia*, per quam intelligitur communiter virtus, qua confertur beneficium ali-  
quod sive corporale, sive spiri-

tuale indigenti. Sexta Beatitu-  
do est *Mundities cordis*, quæ  
reducitur ad *Castitatem*, quæ  
est imunitas voluntatis ab  
omni inordinata affectione, &  
etiam est species temperantia. Septima Beatitudo dicitur esse  
paciforum, illorum scilicet,  
qui paci publice componendæ  
student, & est species *justitiae*,  
qua superiores recte se gerunt  
erga inferiores bene dirigen-  
dos, & qua inferiores rite se  
componunt ad superiorem re-  
gimen, quam Doct. vocat *Sub-  
jectionem*. Ultima denique Bea-  
titudo est illorum, qui perse-  
cutionem patiuntur propter  
*justitiam*, quam omnes com-  
muniter reducunt ad *Pati-  
entiam*, quæ est pars subjectiva  
fortitudinis. Debet autem esse  
propter *justitiam*, hoc est,  
propter *sanctitatem*, seu pro-  
pter quancumque virtutem. Ex  
quo clarè constat, Beatitudines  
non distingui à virtutibus, vel  
actualibus, vel habitualibus:  
ergo modo quo, sublatis im-  
perfectionibus, ponuntur in  
Beatis virtutes, admitti pos-  
sunt in illis etiam Beatitudines.  
Similem quoque discursum con-  
ficit ibi Doctor de fructibus,  
& donis Spiritus-sancti, ut of-  
tendat similiter, hæc non im-  
portare habitus à virtutibus  
distinctos, qui in textu videri  
potest, satis de se clarus.

20 Probat insuper Doctor loco cit. §. ad istam quæsitionem , ratione veluti à priori sic : Per septem virtutes Theologicas , & Morales homo perficitur ad aquatissimè in politia Civili , & Divina , Morali , & Theologica : ergo gratis ponuntur dona , Beatitudines , & fructus habitus specifices , & essentialiter à virtutibus distincti . Probat Doctor assumptum : objectum , circa quod perfici potest viator , non potest esse , nisi Deus , vel creatura : sed circa Deum sufficienter perficitur tribus virtutibus Theologicis ; nam circa ipsum , ut immediate cognoscendum in via , sufficienter perficit fides ; ut diligibilem in se , sufficienter perficit charitas ; & ut appetibilem , ut commodum mihi , sufficienter perficit spes : ergo circa Deum sufficienter perficitur homo tribus his virtutibus Theologicis , & hoc perfectissime , quantum perfici potest , si illi tres habitus sint perfectissimi in suo genere .

21 Similiter , circa objectum creatum viator , quantum ad intellectum , ( non loquendo de speculativis , quæ non connumerantur inter virtutes cardinales , quia non perficiunt homines ad bene operandum , & recte vivendum ) sufficienter perficitur per prudentiam , ac

etiam perfectissimè , si prudencia sit perfectissima ; ipsa enim est de omni agibili , & quantum ad omnem conditionem agibilis perfectissima notitia : sic etiam quantum ad appetitum perfectissimè perficitur tribus virtutibus moralibus , si sint perfectissimæ ; nam , vel appetitus versatur circa alium , & appetibile alteri , quod fit per justitiam ; vel circa se , & appetibile sibi , & hoc dupliciter , vel primo , & directe , quod fit per temperantiam ; vel secundario propter illa prima , quod fit per fortitudinem . Unde concludit Doctor , quod homo perfectus tribus virtutibus Theologicis , & virtutibus moralibus ordinantibus ad se , & ad alterum , & insuper virtutibus intellectualibus speculativis , & practicis perficitur quantum potest competere viatori , & ideo non videtur aliqua necessitas ponendi alios habitus per dona , Beatitudines , & fructus importatos .

22 Itaque ex dictis , & alijs apud Doct. Subt. loco cit. videndis , concluditur de mente illius , virtutes , dona , fructus , & Beatitudines esse idem re , & solum differre ratione , & ex diversa comparatione ; nam Idem habitus dicuntur virtutes , quatenus inclinant ad opera virtuosa ; di-

cuntur dona , vel quatenus à Deo liberaliter donantur , & infunduntur , ut patet de tribus virtutibus Theologicis , & si quæ alij infunduntur ; vel quatenus perficiuntur , & perfectionantur à charitate , quæ est virtus à Deo liberaliter donata : & sic virtutes morales acquisitæ , licet non sint infusæ à Deo , dicuntur tamen dona Dei secundum illud esse perfectum , quod habent à donis ; quare Doctor in 4. d. 14. q. 3. inquit , quod virtutes morales elevatae sub regula fidei , dicuntur Christianæ , Evangelicæ , & dona Dei ex imperio charitatis dirigentis meritorie ad ultimum finem illarum actus .

23 Unde idemmet habitus dicitur virtus , quia ad actum virtuosum inclinat ; dicitur donum , quia vel à Deo liberaliter donatur , & infunditur , ut triplex virtus Theologica , vel quia habet aliquod esse perfectum à Dono , ut virtus moralis elevata per Theologicam : dicitur etiam beatitudo in spe , vel in merito , vel in gadio ; quia per virtutem moralem ornatam charitate æternam meremur beatitudinem , & in patria gaudemus de gloria promerita talis actibus ; & tandem dicitur fructus , propter specialem refectionem , & dulcedinem sibi annexam . Verumtamen ad-

vertit Doct. quod inter duodecim fructus , quidam propriè non sunt virtutes , sed delectationes consequentes , vel concomitantes virtutes : sic ergo patet , quod in donis , beatitudinibus , & fructibus non sunt alij habitus ab habitibus virtutum , vel specierum ipsarum , licet non sit idem numerus hinc inde , nec eadem numerata ; Sacra enim Script. eadem realiter sub alijs verbis exprimit , nunc omittens aliqua , & alibi exprimens omissa , ut probat Doctor loco citato . Et confirmatur ex Ambrosio , libr. 5. in Lucam , cap. 6.

„ Quatuor tantum Beatitudines „ Sanctus Lucas Dominicas „ possuit ; octo verò S. Mar „ theus : sed in illis octo istæ „ quathor sunt , & in quatuor „ istis illæ octo . Hic enim qua „ tuor velut virtutes amplexus „ est cardinales :: sicut enim „ spei nostræ octava perfectio „ est , ita octava summa virtu „ tum est . Ergo sublatis im „ perfectionibus vię , omnia præ „ dicta admitti possunt in Beatis .

24 Contra hanc Scoticam doctrin. quanyis efficacissimis rationibus fundatam , sunt aliqua argumenta , quæ videri possunt fusissimè apud nostr. Poncium locis citatis , sed prout nobis aliqualiter attinet ; Argues contra : In Christo D. fue-

fuerunt septem dona Spiritus-sancti: sed in Christo non fuerunt omnes virtutes: ergo virtutes, & dona, & idem est de Beatitudinibus, & fructibus, non sunt idem habitus. Prob. min. quia in Christo non fuerunt Fides, & Spes: ergo &c. ac per consequens nec in Beatis dantur omnia prædicta. Præterea, non omnes virtutes sunt dona, neque econtra, nam inter virtutes Theologicas una pertinet ad intellectum, scilicet fides; duæ ad voluntatem, scilicet charitas, & spes: Inter cardinales verò una ad intellectum, scilicet Prudentia, reliquæ ad appetitum: sed inter dona quatuor pertinent ad intellectum scilicet sapientia, scientia, intellectus, & consilium; tria ad appetitum, scilicet pietas, fortitudo, & timor: ergo dona, & virtutes sunt habitus distincti. Tandem non est idem numerus virtutum, beatitudinum, & fructuum: nam virtutes sunt septem, Beatitudines octo, & fructus duodecim: ergo non coincidunt; ac per consequens fundamentum nostræ resolutionis pœnitùs est falsum.

25 Respond. ex nostris Maistro, Poinc. & Becerra, ad primum, verum esse, quod in Christo non fuit fides Theologica stricta, & obscura, quia

ut sic includit imperfectionem inevidentia; sed quatenus est donum Spiritus-sancti, quo pacto nullam includit imperfectionem, cum ut sic, dicat in Christo notitiam certam, & evidenter Divinorum Mysteriorum, in quo sensu significat donum intellectus, non fidem prout in nobis, sed principium illud, quo mediante clare, & distincte cognovit Christus ea, quæ nos cognoscimus per fidem. Unde, quod per donum intellectus communicatur Christo, potest intelligi fides æquivalenter, virtualiter, seu eminenter, non formaliter: quod per donum verò intellectus communicatur nobis, intelligi debet fides formaliter. Fuit etiam in Christo spes eo modo, quo admittitur in Beatis; atque ita fuerunt alterius rationis in ipso, ac in nobis, ratione statu.

26 Ad alind respond. ex Subtil. Doct. quod in donis numerantur tres virtutes Theologicae, & quatuor cardinales; nam charitas, & spes continentur in dono sapientia; sapientia siquidem in Script. non est, nisi charitas, & spes; est enim habitus, quo sapit mihi Deus in se, (quod pertinet ad charitatem) & quo sapit mihi, ut mihi bonum; (quod

(quod pertinet ad spem:) Fides autem continetur in dono intellectus , & scientiae , quæ duo non circumloquuntur duos habitus , sed unum tantum secundum perfectum , & imperfectum , & unus potest dari sine alio , & non econtra ; potest enim donum intellectus dici fides imperfecta , quæ est notitia primorum articulorum , & scientia fides perfecta , quæ est notitia explicita de articulis ; sed utrumque donum fuit in Christo absque imperfectione , ut dictum est . Unde falsū est , quod quatuor dona pertineant ad intellectum ; nam sapientia sic explicata , non pertinet ad intellectum , sed ad voluntatem ; neque intellectus , & scientia sunt duo habitus , sed unus tantum secundum perfectum , & imperfectum .

27 Ad illud de Beatitudinibus , & fructibus inquit Doctor d. 34. cit. 5. ad argumentum in oppositum , quod & si numerus non sit idem , hoc non est habituum ab habitibus , sed specierum intermediarum , & specialissimarum contentarum sub istis , sunt alij numeri ; vel si omittantur aliqua alicubi , & alicubi non ; numerata tamen hic , & ibi sunt eadem , ut jam dictum est , & fuse declarat ipse Doct. citat . Et Thomistæ etiam concedunt , quan-

tum ad beatitudines attinet , potuisse plures , vel pauciores designari ; nam nemo dubitat , quin magna beatitudo sint erudire homines ad justitiam : & *Beatus vir , qui timet Dominum* : & Paulus ait , Beatus esse , manere innuptam : unde supponit virginitatem esse beatitudinem : & certè maxima beatitudo est habere ipsammet charitatem in hora mortis : & denique hoc constat ex Luc. & Matth. ubi sup . Quantum verò attinet ad fructus , communiter tradunt Theologi , non importare habitus distinctos ab habitibus virtutum , atque donorum .

28 Dices , hoc esse contra Conc. Trident. sess. 6. cap. 7. ubi ait ; nos justificari per susceptionem gratiæ , & donorum : ergo sentit Concilium , dona distingui à gratia . Respond . Concilium per dona , ut à gratia distincta , intelligere spem , & fidem ; non verò alia dona , & fructus Spiritus sancti . Itom̄ magis videtur Concilium stare pro nobis , ut bene advertit Mastr. & Felix ; nam docens , quæ infunduntur specialiter in justificatione , & quæ nobis dantur pro stola , quam sibi , & nobis sua inobedientia perdidit Adam , solum meminit , & declarat dona fidelis , spei , & charitatis : ergo per dona Concilium non intelligit nisi

nisi virtutes: & si alia dona infunderentur in Baptismate, sat tis diminute processisset in re tan gravi, & dogmatica.

## DISPUTAT. III.

*DE BEATITUDINE,*  
seu gloria corporum Beatorum:  
de ipsorum potentijs, dotibus,  
& Aureolis, tam Animæ  
quam corporis.

**R**esurrecturos homines cum corpore proprio, quo aliquando in hac vita habuerunt, est articulus fidei ex Symb. in quo ponitur carnis resurrectio omnibus credenda. Quanvis autem corpora humana ratione sensus, sive animæ sensitivæ non sint simpliciter beatificabilia; quia beatitudo simpliciter, & propriè dicta, cum in visione, & fruitione Dei consistat, sensibus, seu potentijs sentivis convenire non potest, quorum objectum est quid sensibile, & corporeum, qualis non est Deus: sunt tamen beatificabilia *secundum quid*, quatenus sensus hominis cum optimis sensibilibus conjungi possunt, ijsque delectari, & optimas perfectiones corporreas obtainere, quarum ipsi sunt capaces, ut docet Scotus in 4. d. 49. q. 8. Unde corpora Beatorum, dum post re-

surrectionem animabus inueniuntur, erunt beata modo sibi proportionato, seu beatitudinem *secundum quid*, & alias perfectiones habebunt, quas Theologi dotes appellant, de quibus in præsenti disputatione agendum est; sed prius de Dotibus, & Aureolis animæ beatæ. Pro quo sit

## QUÆST. I.

Utr. *IN ANIMABUS*  
beatorum sint aliœ Dotes,  
& Aureole; & quæ  
sint?

**P**ro hujus quæst. intelligentia notandum est 1. quod nomine *Dotis*, hic intelligitur non quæcumque perfectio, aut habilitas Beati, quo sensu vocamus bonum ingenium, memoriā, facundiam, & similes alias perfectiones Dotes animæ; sed aliquod donum particulare, quod datur Beatis, aliquomodo correspondens Doti, quæ in Nuptijs hominum dari solet sponsæ, dum eam sponsus in domum suam solemniter ducit, & definitur à Juristis sic: *Dos est illud, quod ex parte sponsæ datur Marito ad sustinendā onera Matrimonij.* Ex qua definitione sequitur, nec Dotem existere posse sine Matrimonio, nec Matrimonium sine Doti.

Sic

Sic statuitur in *lege 3. ff. de Ius et Dotium.* Ubi etiam decernitur, quod Deus datur, quando uxor solemniter traducitur in domum sui viri: Solet etiam vir, si dives sit, dotare uxorem pauprem. Sic enim Christus D. ut Sponsus dives, animam pauperem dotat, & similiter, ut Pater animalium dotat illas: quæ Deus in hac vita non datur; quia in via solum est Matrimonium ratum; in patria vero est consummatum, quando traducitur uxor, seu anima in domum viri, scilicet in gloriam, & tunc datur Deus: Dona enim, quæ dantur iustis in via, solum habent rationem Arrharum.

2 Notandum est 2. quod Aureola sic definitur: *Est premium quoddam accidentale, stabile, & fixum datum Beato ex prærogativa, & excellentia alius cuiusdifficillima victoria, quam gratia Dei consecuti fuerunt in hac vita.* Ethymologia hujus nominis desumpta est, non ex corona laurea, qua coronari solebant victores in prælio, sed ex corona aurea, qua coronantur Beati gloria essentiali, juxta illud Psalmista: *Gloria, & honore coronasti eum Domine;* & illud Jacobi: *Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Sic Merinerus, Felix, Suarez, & alij. Utrumque colligi-

tur ex Glossa in cap. 25. Exodi, in quo fit mentio coronæ aureolæ, quæ in mensa templi præcipiebatur ponere supra coronam auream, quam per anagogem accommodant Scholastici Beatis; nam per coronam auream intelligunt beatitudinem essentialiem; per aureolam beatitudinem accidentalem. Dicitur aureola, id est, coronula aurea. His notatis, sit:

3 Conclusio 1. In anima beata dantur tres Dotes, scilicet, Visio, Fruitio, & Comprehensio. Hæc conclusio est communis inter Theologos, quoad primam partem. Cujus ternarij sufficientiam deducunt ex numero ternario virtutum Theologalium viæ, Fide, Spe, & Charitate, cui correspondere debet numerus Dotium in patria. Cum enim in via solum his tribus virtutibus immedietè tendamus in Deum, illum, scilicet, per fidem cognoscendo, per spem illum expectando, per charitatem illum diligendo, qui sunt actus, per quos anima sancta in via contrahit Matrimonium spirituale cum Deo, juxta illud *Officiale 2. Sponsabo te mihi in fide, &c.* Tamen, quia hoc spirituale Matrimonium, etsi sit ratum, non tamen est consummatum, & indisolubile, quia ratione aliquorum defectuum, qui in actibus ha-

hatum virtutum reperiuntur, (saltē sub ratione negationis) non vīli, scilicet, non aſequi, non dilecti, ut realiter p̄ſens est, potest diſſolvi, ut contingit, cum quis mortali-ter peccat: ideo necesse est, ut in patria, ubi hoc matrimonium debet consummari, & fieri indiſſolubile, & perpetuum; in primo ingressu ejus tribuan- tur anima beata tres dotes, nec plures, nec pauciores, cor-respondentes tribus virtutibus Theologalib⁹, quibus defec-tus, quos actus harum virtutum includebant in via, aufer-rantur indiſſolubiliter, & per-petuo.

4 Secunda verò pars nos-træ conclusionis non est ita communis inter Theologos; nam licet convenientia quoād visionem, & comprehensionem; tamen Thomistæ loco fruitio-nis ponunt delectationem ad fruitionem secutam. Scotistæ verò ponunt fruitionem, sumptu-am pro actu amoris amicitię, quo Beati adhærent Deo clare, & intuitivè viſo propter ſeip-sum. Solūm est advertendum, quod comprehensiō hic non ſu-mitur pro actu intellectus, quo intelligitur comprehensivè Deus; nam, ut ſupra diximus, Deus est incomprehensibilis in hoc ſenu ab omni intellectu creato, & ſolam potest com-

prehendi à ſuo infinito intellec-tu: Sumitur ergo comprehenſio hīc pro actu voluntatis, quo tenetur, ſeu poffidetur Deus, ut nobis bonus, & vocatur tentio actus ſpe in patria cor-respondens desiderio, ſeu amo-ri concupiſcentiæ, qui eſt ac-tus ejusdem in via. In hoc ſen-su loquitur D. Paulus 1. ad Corinth. 9. *Nescitis, quod ijs, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt: ſed unus acci-pit bravium? Sic currite, ut comprehendatis*, id eſt, ut acci-piat id quod virtute ſpe deſideratis, & concupiſciatis; nam qui arat (dicit in eodem capi-te) debet in ſpe arare: & qui triturat, in ſpe fructus. In hoc etiam ſenu dixit ad Philipens. 3. *Sequor autem, ſi quomodo comprehendam.*

5 Inquires; *An ſit de fide, dari has dotes in Beatis?* Reſi-pondetur, dari perfectiones, quas Theologi vocant Dotes, eſt de fide, ut ex ſupra dictis conſtat; quod verò appellen-tur dotes, non eſt de fide; quia neque eſt expreſſe in Scriptura, nec eſt definitum ab Ecclesiā. Ob hoc dixit Pater Vazquez, 2. 2. disp. 17. cap. 1. *Contro-veſia hæc, utpote voxum, & non rerum, neque ad dogma aliquod fidei pertinens, non mag-ni momenti eſt; parum enim ad fidem referre videtur, hoc,*

*aut illud donum, quod anima  
beatæ in beatitudine confertur,  
dotem appellare. Et nostr. Pon-  
cius disp. 19. q. 6. inquit.  
Ego non nego illas perfectio-  
nes, quas vocant Dotes :: sed  
dico mihi non videri, cur do-  
tes vocari debeant in hoc sen-  
su, (scilicet, in quo vocatur  
Dots, quod in nuptijs creatu-  
rarum datur Sponsæ) nec ra-  
tionem ullam esse, cur tres de-  
terminatae assignentur :: nam  
non est necessaria Dos ad spon-  
salitatem, nec ad matrimonium;  
in aliquibus locis noui datur  
ullo modo, in alijs mulieres  
eam dant viris, in alijs viri  
mulieribus, in alijs denique  
mulieres dant viris, & viri mu-  
lieribus. Quod anima beata  
appareat ut sponsa, solum sig-  
nificat, quod sit futura valde  
palchra, & ornata perfectioni-  
bus voluntatis, & intellectus  
sepe dictis, ratione cuius com-  
parari posset sponsa, que ad re-  
cipiendum virum varijs orna-  
mentis se solet induere. Quid  
hoc autem totum cum Dotibus  
ullo modo, & multo magis cum  
tribus? Hucusque Poncius. Sed  
esse aliqua temeritas negare,  
quod omnes Theologi affir-  
mant; & ideo hic venit: Lo-  
quendum cum multis, sentien-  
dum cum paucis.*

6. Conclusio 2. In anima  
beata dantur etiam tres aureo-

la. Ita etiam communiter PP.  
& Theologi. Una scilicet Martyr-  
rum, alia Virginum, & alia  
Doctorum. De aureola Martyr-  
rum, patet Matth. 10. Qui me  
confessus fuerit coram homini-  
bus, confitebor & ego eum co-  
ram Patre meo. Et Apocalyps. 2.  
Esto fidelis usque ad mortem ::  
& dabo tibi coronam vita. Et  
Apoc. 7. Amici stolis albis, &  
palmae in manibus eorum. De  
aureola Virginum patet Apoc.  
14. Cantabant canticum no-  
vum, & nemo poterat dicere  
canticum: & sequuntur agnum  
quocumque jerit: & habent  
nomen agni, & nomen Patris  
ejus scriptum in frontibus eo-  
rum. De aureola DD. patet  
Daniél 11. Qui ad iustitiam eru-  
diunt multos, quasi stellæ ful-  
gebunt in perpetuas aeternita-  
tes. Et Matth. 5. Qui fecerit, &  
docuerit, hic magnus vocabitur  
in regno cœlorum: Et 1. Petri  
5. Pascite gregem Dei, & cum  
apparuerit Princeps Pastorum,  
percipiet immarcescibilem glo-  
riae coronam.

7. De his etiam aureolis  
existimo cum Arriaga ( inquit  
Noft. Poncius, ubi sup. citat.)  
satis parvum esse fundamen-  
tum eas asserendi, & præsertim  
reducendi illas ad tres tantum:  
nam, tam benè, quam posset  
colligi ex dictis locis, aliqua au-  
reola particularis pro Virginai-  
bus,

bus, Martyribus, & DD. Cūr non colligeretur ex reimuneratione, quam prōmissit Christus tēlinquentib⁹ Patrem, & Matrem, & vendentib⁹ omnia, ac sequentib⁹ Christum sub religiosa vita jugo, alia aureola? Et cūr Virginib⁹ tribueretur aureola potius, quām eximiam pœnitentiam per totam vitam facientib⁹; & eximie liberalibus erga pauperes; & mille alijs perfectionib⁹, eminenter in quibusdam reper-tis? Sed admittendo cum communi has tres aureolas, expli-candū, quibus competant. Sie Poncius:

8 Itaque aureola Virgi-nūm solum datur illis, qui sp̄ontanē ob Deum virginitatē custodierunt usque ad mor-tēm; nec sp̄ontē coēcando cum ulla persona; nec voluntaria-m pollutionem admittendo, etiam si aliquoties admisserit voluntatem, sive matrimonium intendi, sive peccandi contra virginitatem, modō voluntas illa non fuerit consecuta effec-tuum; & modō etiam non per-severent in illa voluntate usque ad mortem. Dicitur, *sp̄ontē, coēcundo*; quia si alicui Virgi-ni adhiberetur vis, quanvis perderet virginitatem, non perderet meritum ejus, suppo-sito animo eam conservandi, quantum est ex parte sua; im-

mō, licet amittatur virginitas, castitas duplicatur ad coronam, ut dicebat S. Lucia TyrannoPas-chasio. Dicitur etiam cum pro-piso, & animo virginitatem conservandi; unde Innocentes; si moriantur, non habebunt de lege ordinaria, seu sine privi-legio perfectam aureolam, quā virginibus voluntarijs tribul-tur; poterunt tamen illam ha-bere ex privilegio, & in hoc sensu applicatur Innocentibus illud Apoc. 14.

9 Aureola Martyrum da-tur illis, qui pro Deo, sive tuendo fidem, sive conservan-do aliquam aliam virtutem, aut mortem subeunt, aut vulnus, aut pœnam aliquam ex natura sua mortalem patiuntur volun-tarie, etiam si de facto miraculoſe incolumes evaferint. Item, qui exilio, carceribus, inedia, vel mala tractatione occisi sunt. Dicitur communiter *volunta-rię*: sed nost. Poncius ait, quod fortassis si in odium fidei, etiam dormientes interficerentur, li-cet anteā nihil cogitarent de morte, non minus hanc aureo-lam consequerentur, quām in-no-centes, qui supponuntur communiter eam adeptos suis, quod expreſſe etiam tenet Doct. noster in 4. d. 4. quæst. 3. §. Dicitur, ubi docet etiam in-fantes, qui in utero cum ipsa matre propter Christum truci-

dantrur, consequi eundem martyrij fructum, quem consequuntur, qui exclusi ab utero Matris, eodem titulo trucidantur; unde tanto magis supponit de infantibus ab utero materno exclusis, nullum esse dubium, quin sint martyrij capaces, seu baptismi sanguinis. Hoc probari solet ex traditione Ecclesie, & SS. Innocentium exemplo, quos Ecclesia tanquam martyres colit, ut patet in eorum officio: *Salvete flores martyrum;* & in oratione rursus: *Deus, cuius praeconium innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Hoc fundatur in promissione Christi, qui voluit hoc speciale privilegium iis concedere, qui pro ipso moriuntur, ut non omnis in sanguine suo, quam in aqua baptizari possit, ut colligitur Matthi. 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo:* Et alibi: *qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciem tamen.* Pro adultis vero interfectis in somno limitatur, dummodo ante somnum non habuerint voluntatem, non subeundi mortem pro tali causa.

10. Difficultas est, an attrito sufficiat cum martyrio, an requiratur contritus in martyre ad salutem obtinendam, si sit

in peccato? Noster Poncii, & Boyvin inquietunt, quod hic causus est magis metaphysicus, quam practicus; quia verisimile est, quod qui voluntarie propter Deum martyrium quocunque subit, tunc præfert Deum sua vita, & ceteris rebus omnibus; & sic amat Deum supra omnia, qui amor est contritus virtualiter, & æquivalenter. Sed dato, quod aliquando contingat, ut quis habeat tantum attritionem, ut contingere posset, si vellet subire martyrium non propter amorem amicitiae Dei, sed ad consequendam gloriam, vel ad evitandum infernum, communior, & probabilior sententia affirmat, martyrium ex singulari privilegio, & speciali Dei dispensatione habere vim conferendi primam gratiam; ac per consequens, ad instar Sacramenti Baptismi, martyrium justificat martyrem ex opere operato, dummodo accedit cum attritione supernaturali de peccatis suis, sicut requiritur, quod adulterius accedit ad Sacramentum Baptismi.

11. Aureola Doctorum datur illis, qui eminenti aliquo modo alios instruunt, sive scripto, sive verbo, ut professores Sacrae Theologie, Concionatores eximij, & confessarij benè fungentes suo officio; & singula-

Iariter illi , qui libris doctris imprimendis dant operam , modo id faciant propter Deum . Non igitur intelliguntur , per Doctores Beatos illi , qui in universitatibus titulum consequuntur Doctorum ; iudicrum enim esset id existimare , cum ceremonia illa nihil habeat connexionis cum tali præmio ; & cum antequam institueretur , fuerint plures , qui modo , & quidem merito Doctores vocantur , ut S. Augustinus , Hieronymus , Gregorius , &c. & denique cum parva sufficientia in multis locis requiratur , ut ille titulus concedatur .

12 Inquires ; quid sint prædictæ aureolæ ? Respond . esse aliqua signa , seu aliquas insignias quibus distinguntur Martyres , Doctores , & Virgines ab alijs Beatis , & quibus habebant speciale gaudium accidentale propter victorias reportatas , de aliquibus inimicis animæ , scilicet , de mundo martyres , de doctriñe Doctores , & de carne Virgines . Hæc insignia est in voluntate animæ Beatæ à principio sua beatitudinis ; & ex illa resultabit in corpore gloriofo aliud signum sensibile , seu alia aureola , in capite ejus super coronam auream , figurata admodum coronæ aureolæ . Sic communiter RR.

13 Inquires insuper , an

aureola in omnibus Beatis sint æquales ? Respond . quod ex suo genere martyrium est majus cæteris ; nam imperatur à charitate , virtute omnium præstantissima : *majorem charitatem nemō habet quam , ut animam ponat quis , &c.* Deinde Doctoratus ; nam Deo cooperari ad opus justificationis , est excellentius bonum , quam Virginitatem servare . Ultimum locum tenet aureola Virginum ; unde Ecclesia hunc ordinem servat , dum in Litanij Martires Doctoribus , Doctores Virginibus anteponit : nihilominus talis potest esse circumstantia virginitatis , ut excedat martyrium ; nam bonitas operis , non solùm ex objecto , sed ex circumstantijs , intensione , scilicet , difficultate , diuturnitate , &c. mensuranda est . Inter ipsos Martyres unus , est mayor alio , ut ex se patet ; & similiter dicendum est de Doctoribus , & Virginibus . Solùm est advertendum , aureolam cuiuscumque aureolati , non esse mensurandam ex majori , vel minori beatitudine essentiali uniuscujusque ; nam potest quis esse magis essentialiter Beatus , & minus aureolatus : immò absque ulla aureola ex prædictis , cuius ratio est , quia beatitudo essentialis correspondet meritis , cuiuscumque generis sint ; aureola vero solùm correspondet me-

merito insignis victoriæ , ex mundo , vel ex dæmone , vel ex carne reportata ; & potest contingere , quod aliquis habeat plura merita , quam ille , qui consecutus est aliquam excellentem victoriam de dæmons , de mundo , vel de carne.

14. Insuper est sciendum , quod in eodem Beato possunt esse , & in aliquo de facto sunt , diversæ aureolæ , ut patet in D. Joanne Evangelista , habente simul aureolam Virginis , Doctoris , & Martyris ; & dei alijs quam plurimis canit Ecclesia , quod est ipsis duplicata corona Virginitatis per martyrium . Beatissima Virgo Maria habuit omnes aureolas , & quidem præstantissimo modo , & superiori ad omnes creaturas ; ut potè Regina omnium SS. Martyrum , DD. & Virginum . Videatur noster Felix de Beatitud . cap. 5. diff. 4. num. 6. & noster Arbiol disp. 10. de Martyrio , ubi habet pulchras dubitaciones , & solutiones circa ipsum .

## QUÆST. II.

Utr. DENTUR DOTES IN corporibus glorioſis ; & quot?

**I**VArij de hoc fuerunt errores , quos noster Illustris Merinero tom. 2. disp.

5. quæst. 1. refert , & optimè refutat , videatur si placet . Supponendum est cum communi Theologorum , & SS. PP. quod corpora Beatorum non sunt necessaria ad beatitudinem essentialē illorum : unde per conjunctionem cum illis post resurrectionem , beatitudo essentialis , nec erit minor , nec major intensivè ; bene tamen augabitur extensivè . Hæc suppositio est contra aliquos hæreticos , teste Abulensi quæst. 63. in cap. 5. Matth. qui putarunt , beatitudinem animæ post conjunctionem cum corpore esse remissionem , alij econtra esse intensiorem . Pater tamen nostra suppositio quoad primam partem , ex pluribus Concilijs definitibus , animam Beati ante diem judicij habere essentialē beatitudinem . Unde hæc doctrina , quam olim plures Sancti PP. negabant , & Joann. XXII. pro viribus defensavit , quanvis ante mortem retractavit , est nunc de fide : erg. conjunction corporis non est necessaria ad beatitudinem essentialē . Deinde , per conjunctionem corporis visio beatifica , & beatifica fruitio non magis augmentur intensivè , quam ante : erg. &c. Patet antecedens ; quia objec- tum erit semper idem , poten- tia intellectus , & voluntatis sunt æqualiter perfectæ ante , ac post;

post; & denique lumen gloriæ, charitas, virtutes, & merita non augebuntur per conjunctionem corporis: Ergo, cum in fruitione, & visione consistat beatitudo, beatitudo pro tunc non erit magis intensa.

2. Patet etiam nostra communis suppositio quoad 2. partem. 1. Quia beatitudo animæ redundabit in corpus. 2. Quia ipsamet anima habebit gaudium quoddam accidentale, quo lætabitur, non solum de sua gloria, sed etiam de gloria sui corporis. 3. Quia adveniet in anima quedam extensio operationum; sicut enim anima communicat suum esse corpori, sic corpus dat animæ, quod elicit quasdam actiones, quas sine illo non elicet, nempe sensitivas, à quibus sicut à conjunctione corporis, quam desiderat, aliquam hauriet voluptatem. 4. Quia beatitudo corporis juncta cum beatitudine anime denominabit hominem complete, & perfectè Beatum. Hoc etiam confirmat Concilium Florentin. ubi circa initium centent Latini PP. Sanctorum animas quatenus animæ sunt, perfectam suam felicitatem asssecutas esse; ita tamen, ut aliam cum suis corporibus assumptis perfectionem expectent: Græci verò addunt, illico animas SS. perfecta frui

felicitate, perfectiori tamen cum suis corporibus fruituras: ergo post resurrectionem erit beatitudo extensivè major. Cum hoc conciliantur aliqua dicta SS. & aliquorum Scholastico-rum.

3. Supponend. est etiam, quod corpora Beatorum resurgent integra, ac perfecta sine ullo defectu, quanvis multa ex illis in hac vita habuerint multis defectus. In hoc nulla est difficultas; quia status, tam perfectus id exigere videtur; cum sit perfectior incomparabiliter statu innocentia, in quo nihil tale defuisse. Tum etiam, quia ipsamet Beati hoc naturaliter expetunt, & eorum appetitus debet satiari, ut beatificantur complete. Tum denique, quia hoc persuadet summa Dei in præmiando liberalitas. Ob easdem rationes tenetur communiter similiter, quod omnia corpora habebunt justam staturam, ac vigorem proportionatum illi, quem habent in aetate triginta, aut circiter annorum, si eo usque bene crescerent: quæ doctrina, preterquamquod ex se congrua videatur pro tam perfecto statu, habet etiam fundamentum in illo ad Ephes. 4. „ Donec „ occurramus omnes in virum „ perfectum, in mensuram „ ætatis plenitudinis Christi.

4 Supponend. denique est, etiam cum communi Theologorum, & SS. PP. corpora Sanctorum resurrectura esse in suo proprio sexu. Est contra aliquos antiquos, qui, ex citato textu D. Pauli, dixerunt, seu male deduxerunt, omnes homines in sexu virili resurrecturos, nullumque esse post resurrectionem futurum foemineum sexum. Sed Alphonsus de Castro, lib. 13. verb. *Resurrectio, §. quinta hæresis*, hanc doctrinam inter hæreticas recenset; & in fine capitinis ait, inter Ecclesiastica dogmata septuagesimo loco hoc haberi: „ In „ resurrectione ex mortuis se- „ xus forma non mutabitur; „ sed vir mortuus resurget in „ forma viri, & foemina in „ forma foeminæ. Deinde id ex Sacra Script. dedit, quæ ait: „ Masculum, & foeminam „ creavit eos. Ex quibus constat, sexum foemineum non esse vitium, aut ex vicio, sed ex natura, quoniam ante peccatum foemina erat, & si esset vitium, à Deo non facta fuisset. Consequens igitur est, ut qui utrumque sexum fecit, utrumque etiam reficiat; & qui utrumque instituit, utrumque similiter restituat.

5 Insuper id quoque evidenter ostendit ex Sacra Historia, Matth. 22. ubi Dominus

interrogatus à Sacerdotiis, resurrectionem negantibus, de muliere, quæ septem fratribus nupserat, ut quisque illorum defuncti fratris semen suscitat, cuius illorum futura esset uxor post resurrectionem, respondit: „ Erratis nescientes „ Scripturas, neque virtutem „ Dei; in resurrectione enim „ neque nubent, neque nu- „ bentur, sed erunt sicut An- „ geli Dei in cœlo: Atqui, si nulla esset post resurrectionem futura mulier, facilius errorem illorum destruxisset, dicens, non esse futurum mulierum sexum post resurrectionem; & cum locus esset aptissimus, abs dubio illos de hac re doceret. Verum dixit: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur;* nuptias ergo post resurrectionem negavit, non sexus varietatem; immò hanc varietatem satis innuit, cum dixit, *non nubent* (id est mulieres) *neque nubentur* (id est viri.) Ita etiam discurrevit D. Aug. 22. de Civit. cap. 17. & cap. 18. ubi explicat locum Pauli citat. & ait, virum ibi sumi pro homine, si vè masculus sit, sive foemina; & sic alibi sàpiissimè Scriptura sumere consuevit, sicut in Psalmis, cum dicitur: „ Beatus „ vir, qui timet Dominum: & „ Beatus vir, qui non abiit in „ consilio impiorum: & Bea- „ tus

,, tus vir , cui non imputavit  
 ,,, Dominus peccatum , &c.  
 Quibus in locis nomine viri  
 etiam foemina intelligitur.

6 Si queratur curiosé de  
 ijs , qui mutant sexum (quid-  
 quid sit de hoc , quod ego sa-  
 tis dubito ) in quo determinate  
 resurrecturos ? Et similiter de  
 Hermaphroditis ; & de mons-  
 truosis , ut de illo , quod refert  
 Subt. nost. Doctor. in 4. d. 6.  
 q. 2. §. de quarto : „ Fuisse in  
 „ Francia , habens duo capita ,  
 „ quorum unum expressit nolle  
 „ de eo , de quo aliud expres-  
 „ sit velle ? Respondet : Cor-  
 pora Beatorum resurrectura es-  
 se perfecta absque aliqua mons-  
 truositate , vel in sexu princi-  
 paliori , ut viri ; vel in sexu  
 quem ex natura primo recepe-  
 runt. Ita Divus Aug. in Enchir.  
 cap. 87. ubi de monstruis sic  
 loquitur: „ Neque enim mons-  
 „ trua , quæ nascuntur , & vi-  
 „ vunt , quantumlibet cito mo-  
 „ riantur , aut resurrectura ne-  
 „ gabuntur , aut ita vitiata  
 „ resurrectura credenda sunt ,  
 „ ac non potius correpta. Cir-  
 ca corpora damnatorum sunt  
 divisi AA. an scilicet resurrec-  
 tura sint cum deformitatibus ,  
 vel sine illis ? D. Aug. in Ench.  
 cap. 92. loquens de illis in-  
 quirat: „ Utrum sane ipsi cum  
 „ vitijs , & deformitatibus cor-  
 „ porum resurgent , qui in eis

Tom. I.

„ vitiosa , & deformia membra  
 „ gestarunt , inquirendo , labo-  
 „ rare quid opus est ? Neque  
 „ enim fatigare nos debet in  
 „ certa eorum habitudo , & pul-  
 „ chritudo , quorum erit cer-  
 „ ta , & sempiterna damnatio.  
 Solum est advertendum , quod si  
 monstruum habuit duas ani-  
 mas , duo homines , & quidem  
 sejuncti , resurgent cum duo-  
 bus corporibus , & quidem  
 perfectis , si utraque anima sal-  
 vatur ; si vero una sit electa , &  
 altera reproba , corpus beatæ  
 erit perfectum : corpus autem  
 alterius erit unde , & quomodo  
 Deus voluerit ; quia ipse solus  
 hoc scit , & cui ipse revelare  
 voluerit. His suppositis , sit :

7 Conclusio nostra : In cor-  
 poribus gloriois dantur , vel  
 dabuntur aliquæ perfectiones  
 supernaturales , quæ à Theolo-  
 gis vocantur *Dotes* , & sunt  
*impassibilitas* , *claritas* , *agili-  
 tas* , & *subtilitas*. Sic commu-  
 niter Sancti PP. & Theologi ,  
 & ita accepta universaliter in  
 Ecclesia hæc conclusio , ut pro-  
 ponatur communiter in cathe-  
 chismo ipsis pueris credenda.  
 Prob. autem , quoad impassi-  
 bilitatem , ex 1. Corinth. 15.  
 „ Seminatur in corruptione ,  
 „ surget in incorruptione. Ec-  
 „ ce impassibilitas. Seminatur  
 „ in ignobilitate , surget in  
 „ gloria; id est , in gloria splen-

QQQQ

do-

dotis. Ecce claritas. Unde sapient. 3. habetur : „ Fulgebunt justi. Matth. 13. fulgebunt iusti sicut Sol. Et ad Philippens. 3. „ Reformavit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritati suæ. Deinde inquit Apostolus agilitatem, dicens: „ Seminatur in infirmitate, surget in virtute; quod confirmatur sapient. 3. „ Tanquam scintillæ in arundineto discurrent: Et Isaïæ 40. Qui sperant in Domino, habent fortitudinem, assument pennas, ut Aquilæ, volant, & non deficiunt; currunt, & non laborabunt. Denique, indicat subtilitatem Apostolus, dicens: „ Seminatur corpus animale, surget spiritale; licet enim per spirituale intelligatur id, quod caret corpore; non tamen sic explicari debet in hoc loco; quia beati habebunt vera corpora, quæ non erant ignea, aut ærea, ut falso putavit alias Eutichius Patriarcha Constantiopolitanus; sed erunt ejusdem naturæ, uti sunt in hoc mundo, licet futura sint alterius conditionis qualitatis, status, & gloriae. Dicuntur ergo corpora per resurrectionem spiritualia; quia ad instar spiritualium de facili penetrabunt alia corpora, idest, illa transi-

bunt absque ullo eorum motu.

8 Confirmatur ex D. Aug. in Enchir. cap. 91. „ Resurgent igitur Sanctorum corpora sine ullo vicio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit; propter quod, & spiritualia dicta sunt; cum proculdubio corpora sint futura, non spiritus. Deinde accedit exemplum Christi; cuius resurrectionis causa exemplaris resurrectionis Beatorum, ut patet ad Philippens. 3. „ Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ: sed in corpore Christi hæc quatuor Dotes, seu perfectiones, manifestè apparuerunt: ergo & in Beatis reperiuntur. Prob. min. nam surrexit clauso sepulchro, fuit agilis, immortalis, &c. ergo & Beati erunt. Deinde, illas etiam manifestavit ante mortem suam; nam dotem impossibilitatis exhibuit, tum quando jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in deserto; tum quando in ultima cena corpus ejus in Sacramento Eucharistico existens non fuit corruptum ab Apostolis ipsum manducantibus. Dotem claritatis ostendit, dum in Monte Tabor

bor transfiguratus est coram Apostolis , qui splendorem ejus subtinere non poterant. Dotem agilitatis manifestavit, dum super liquidum mare ambulavit. Denique suam indicavit subtilitatem, quando ē clauso Virginis utero prodijt in nativitate. Ratio cur Corpus Christi etiam in hoc mundo has quatuor perfectiones habuit , habetur ex hoc , quod ejus anima fuerit beata ab instanti Conceptionis , ex cuius beatitudine resultat naturaliter beatitudo corporis. Suspensa tamen fuerunt miraculose hæ Dotes in Christo ante mortem illius , ob nostrum bonum , & nostram redemptions. Ob hoc dicitur communiter , quod transfiguratio non fuit miraculum , sed fuit cessatio miraculi.

9 Quod autem non sunt plures , quam quatuor Dotes, probatur ab aliquibus per causam finalē , ab alijs per efficientem , ab alijs per formam , & ab alijs per materialē ; hæc ultima est convenientior inquit D. Bonaventura in 4. d. 49. part. 2. art. 2. q. 1. quia corpus nostrum ex quatuor elementis est compositū; & quia elementa sunt imperfecta, quadruplicem habet abeis defectū; ab Aqua , quæ est elementum humidum , & passibile habet passibilitatem , & corruptio-

nem ; à terra vero habet obscuritatem , quia est elementum opacum ; ab igne animalitatem , quia calor consumit continuò , ideo continua indiget alimonia ciborum ; ab aere vero habet infirmitatem , aëris enim facillimè immutator , & cedit cuilibet impellenti. Quoniam igitur isti quatuor defectus debent per bona opposita removeri , ut corpus sit perfectum perfectione completa; idcirco quatuor sunt Dotes : Unde contra corruptionem ponitur impassibilitas , contra obscuritatem claritas , contra animalitatem spiritualitas , contra infirmitatem virtus , vel è contra , quæ significant agilitatem , & subtilitatem : ergo quatuor tantum sunt Dotes corporis glorioſi : quia Dotes non dicuntur omnes qualitates illius , sed nobiles , & principales de novo superadditæ naturæ contra naturales defectus supra relatos , qui ex causis ejus principalibus ; ut sunt elementa , oriuntur. Vel quatuor Dotes ponuntur , ut correlativeant quatuor virtutibus cardinalibus , ad consumationem ; & indissolubilitatem matrimonij spiritualis , quod contraxerunt cum Deo in via , auferendo ab illis defectus passibilitatis corruptivæ ; deformitatis , seu obscuritatis , infirmitatis , seu tar-

ditatis in operando ; crassitatis penetrationem impudentis : erg. quomodocumque sumantur solum sunt quatuor.

10 Dubitabis 1. *In quo consistat Deus impassibilitatis?* Hæc dubitatio est sanè lubrica, inquit Merinerus ; sed apud nostrum Scot. fatis clara; quia nullus hucusque , ut ille hanc pertractavit difficultatem , qui delicias alterius vitæ ita descripsit , quasi expertus esset. Videatur in 4. d. 49. q. 13. ubi aliquas adducit sententias , ipsasque fuisse impugnat , & reiicit ; videatur etiam ibi Doctissimus Hiquæus , qui ipsum egregiè explicat. Nos verò breviter respondemus ad dubium , impassibilitatem consistere in eo , quod Deus ita constitutio- nem corporis beati perpetuò conservet , ut omnibus causis internis , & externis , corrupti- vis , & afflictivis deneget suum concursum. Ita Subt. Doctor loco citat. quem sequuntur non solum Scotistæ omnes , sed etiam RR. passim , & præsertim Lezana apud nostrum Mastr. in Theolog. Moral. disp. 25. q. 4. art. 1. num. 74. qui ait , im- passibilitatem Beatorum non consistere in aliqua qualitate physica ipsis superaddita , sed solum in assentia , seu pro- tectione divina prohibente om- nem lassionem , & noxiā , seu

molestam alterationem ; quia talis qualitatis nulla sit men- tio in Scriptura , neque apud PP. sed ex illis potius contra- riuum colligi potest , quia cum loquuntur de impassibilitate , quam habent Elias , & Henoc in Paradyso , & quam habue- runt vestimenta , & calceamen- ta Hebræorum in deserto , & Martyres traditi igni , & vestijs ; solum extrinsecè Dei provi- dentiæ tribuunt.

11 Probatur breviter nos- tra resolutio : Tum , quia hæc manutenentia , & voluntas di- vina conservans , salvat simpli- citer omnia ad radicem hujus Dotis impassibilitatis requisita ; & hic modus non habet ali- quam difficultatem ; cæteri au- tem modi , aut non sufficiunt ullo modo , aut sunt valdè per- difficile , ut ostendit Subtilis Doct. citatus : erg. nostra re- solutio est præferenda. Antec- patet ; quia hoc competit cor- pori gloriose ex radice beatitu- dinis ; & tota beatitudo execu- tivè provenit , datur , & debe- tur ex meritis. Tum etiam , quia hæc manutenentia est causa con- naturalior impassibilitatis ; si- quidem effectus connaturalius conservatur à causa , à qua re- cepit esse , & à qua solum re- cipere potuit : atqui corpus gloriosum à solo Deo in resur- rectione recipiet esse , atque ad- tem-

temperamentum congruum animæ beatæ reducetur : erg. &c. Insuper , connaturalius est facere modo quo Deus fecit : sed de facto hoc modo Deus liberavit tres pueros in camino ignis à combustionē , & lœsione flammæ ignis : erg. connaturalius est rerum naturis , quod Deus faciat impassibile corpus gloriosum , suspendendo suum concursum simultaneum , quo essentialiter indigent causæ secundæ inflictivæ corruptionis , penæ , & doloris.

12 Dices : de ratione Dotis est , quod sit quid intrinsecum , quid positivum , & quod oriatur à beatitudine animæ , quæ est positiva , & supernaturalis : sed hoc non habet extrinseca potentia Dei , nec suspensio sui concursus : erg. in hoc nequit consistere Dos impassibilitatis corporis gloriæ. Hoc , & alia argumenta sibi obiicit Subtilis noster Doct. & ex ipso sumpserunt adversarij. Respond. tamen cum illo , quod quanvis impassibilitas declarata solùm ab extrinseco proveniat physice loquendo , nimurum ex Dei extrinseca protectione ; loquendo tamen moraliter , est aliquid intrinsecum , scilicet , jus quoddam ad nihil lœsum recipiendum , quod ex pacto , & voluntate Dei habent corpora glorioſa , fundatum tamen veluti

radicibus in ipsorum meritis , & in ipsa beatitudinis ratione , quæ debet esse status omnium bonorum aggregatione perfectus , sine illa imperfectione , aut capacitate ad recipiendum aliquid mali , vel molesti ; quæ ratione etiam dici posset , quod ex unione corporis cum anima gloria , quæ est corpori intrinseca , exigatur connaturaliter , ut Deus hoc modo ipsum protegat ; & in hoc sensu dici potest , impassibilitatem esse quid intrinsecum , quatenus radix , unde exigitur , quæ est anima beatæ , & unio corporis cum illa , est ipsi intrinseca. Deinde illa assistentia , & protectio Dei est quid positivum , & supernaturale ; siquidem est actus Dei volentis non concurrere cum causis secundis ad passionem , dolorem , & corruptionem. Denique Dos in humanis est etiam quid intrinsecum ; unde si talis protectio , & custodia esset corpori beato omnino extrinseca , adhuc esset magna ejus perfectio , quod pati non posset , sicut magna perfectio est , & dignitas , aliquem esse Regem , quanvis hoc ipsi proveniat ex Dei , vel reipublicæ extrinseca institutione , aut electione.

13 Dubitabis 2. In quo constat Dos claritatis ? Respondetur cum Subt. Doctore loco

loco citat. in 4. d. 15. Claritatem corporis glorioſi conſiſte-  
re in qualitate aliqua poſitiva ſupernaturaliter à Deo illi con-  
ceſſa, quæ facit illud lucidum; ita tamen, ut non ſolum vi-  
deri poſſit, ut lucidum, ſed etiam, ut coloratum perfectiſ-  
timis coloribus, quos quicque Beatus juxta ſuam complexio-  
nem habebit, ſed gradu perfectiſſimo. Hæc reſolutio eft etiam  
communis, & prob. quia loca  
illa, ex quibus colligitur claritas  
Beatorum, videntur hoc  
ſignificare: *Fulgebunt iuſti ſicut Sol*, & facies Christi in tranſi-  
figuratione, in qua ſimilem ha-  
buit claritatem, dicitur reſ-  
plenduiſſe ſicut Sol, quod cer-  
tè non poſſet fieri ratione fo-  
lorum colorum, quacumque  
luce externa illuminatorum.  
Quod videbuntur eriām colores  
iſorum, patet; Tum, quia  
nihil impedit, quo minus vi-  
deantur; Tum, quia ex conſ-  
pectu iſorum pulchrius ap-  
parebit corpus Beati, & magis  
iucundum oculis; quia ut in-  
quit Doctor, magis delecta-  
tur ſenſus viſus hominis in  
pulchro colore corporis huma-  
ni, quam in corpoſe ſolo lumi-  
noſo; & plus delectatur na-  
turaliter in videndo faciem huma-  
nam benè coloratam, quam  
Solem: erg. Dos claritatis in  
utroque conſiſtit, ſciličet, in-

perfectiſſima membrorum pro-  
portione, in pulcherrima co-  
lorum diſpoſitione, & in luce  
pulcherrima, quæ intrinſecè  
inhærens, & immixta coloribus,  
gratiſſimum præbebit intuenti-  
bus aspectum.

14 Addendum tamen eft  
cum Subt. Doct. & eft commu-  
nis DD. ſenſus, hujusmodi cla-  
ritatem eſſe inæqualem in cor-  
poribus glorioſis juxta ma-  
jorem, vel minorem perfectio-  
nem beatitudinis animæ; ſicut  
& lumen gloriæ inæquale etiam  
eſt in Beatis juxta majorem, vel  
minorem perfectionem cla-  
ritatis, & meritorum diversita-  
tem: Unde concludit Doctor  
loco citat. quod Beati non  
omnes erunt aequi Clari, etiam  
habentes ſimilem complexio-  
nem; ſed ſinguli ſecundum me-  
rita ſua: quod etiam deduci-  
tur expreſſe ex 1. Corinth. cap.  
15. ubi dicitur, quod alia eſt  
claritas Solis, alia claritas Lu-  
nae, & alia claritas Stellarum,  
& quod ſicut ſtella differt a  
ſtella in claritate, ſic & reſur-  
rectio mortuorum. Videatur  
Subt. Doctor de hoc fuſiūs, in  
4. d. 15. q. 6.

15 Inſuper eft addendum,  
quod claritas corporis glorioſi  
poterit videri naturaliter ab  
oculo non glorioſo. Hoc patet,  
nam Apoſtoli nondum glorifi-  
cati viderunt claritatem Christi  
trans-

transfigurati. Deinde communiter asseritur, quod impij videbant gloriam justorum, ex quo torquebuntur graviter. Præterea si illa lux non posset videari naturæ liter, non esset lux, nisi æquivocè; quia lux in quantum est lux, nata est movere visum, & visus, ut est visus natus est videre lucem: erg. si lux Beatorum non posset naturaliter videri ab oculo non glorificato, illorum lux non esset lux, nisi æquivocè. Poterit autem fieri (inquit Subt. Doct.) ut ad voluntatem cuiuslibet Sancti Deus non coagat illi claritati, quando vult. Beatus, quod sua claritas non videatur, & sic potest dici Beatus occultare suam claritatem, non quod hoc fiat immediate à voluntate sua, sed ad imperium voluntatis suæ, Deus occultat non coagendo claritati. Hucusque Doctor, veré Subtilis.

16 An autem corpus gloriosum ita sit lucidum, & clarum, ut etiam sit diaphanum, & transparens, ita ut interiores corporis partes videantur oculis corporeis? Dissentient Doctores. In negativam partem Subtilis Doct. magis inclinat; & certè probabilius videtur, quod corpora Beatorum non sint transparentia, & diaphana, sed lucida, & opaca; ita communiter Scotistæ, & alij quam

plurimi. Ratio est; tum, quia corpora beatæ ratione claritatis in Scriptura comparantur corporibus lucidis, ac densis, non vero luminosis, ac pervijs; ut enim constat ex dictis Matth. 13. comparantur Soli, fulgebunt sicut Sol, & 1. Corinth. 15. comparantur Soli, Lunæ, ac Stellis; & sic resplenduit Corpus Christi in Tabor, Matth. 17. Omnia autem ista sunt corpora densa, & opaca, quanvis lucida; non autem pervia, perspicua, diaphana, aut transparentia, ut patet. Tum etiam, quia Corpus perspicuum non potest esse coloratum, ut patet de aere, aqua, & Ccelo; corpora autem Beatorum erunt perfectissimè colorata, ut constat ex dictis: erg. &c. Nec sufficit respondere, quod resurgent cum opacitate, & densitate chrystali, quæ sufficit ad colorem; non vero cum omnimoda densitate. Non sufficit, inquam, quia pulchritudo diversorum colorum, quæ requiritur in corpore humano, non perfectè invenietur in chrystalo, etsi in illo ponantur colores, tollitur transparentia, ut experientia constat: ergo perfectissimi colores corporis gloriösi debent esse in majori opacitate.

17 Objiciunt aliquas authoritates Scripturæ, & PP. dicentes, quod patet oculis

corporalibus harmonia interior corporis gloriosi. Sed responderet Subt. Doct. oculum gloriosum videre posse interiora, & fore ipsi perspicua per poros, sicut lynx dicitur a naturalibus videre, quæ post parietem sunt; quod etiam docet Abulensis in paradoxo 3. cap. 30. ubi ait, corpus opacum intermedium non prohibere visionem oculi gloriosi, qui proinde, ut erit perspicacissimus, videbit omnia interiora corporis gloriosi per poros ejus. Deinde, si sic non se videant Beati, videtur sufficere ad jucundissimum ipsorum aspectum, quod superficies corporum videatur oculis corporalibus, & interior compositio pateat oculis mentis. Alia argumenta videantur soluta apud nostrates, præsertim Brancatum, disp. 21. art. 5.

18 Dubitabis 3. *In quo consistat Dōs agilitatis?* Supponendum est, quod in Beatis est agilitas, seu vis aliqua se movendi velociter, absque ulla difficultate, aut defatigatione, versus omnem loci differentiam, tum sursum, tum deorsum, tum ante, tum retro. Sic igitur intelligitur communiter illud Isaiae cap. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut Aquila, volabunt, & non deficient, current, & non laborabunt;*

*ambulabunt, & non deficient.* Ratio communis est, quia indecens esset, ut corpora Beatorum essent velut stipites, uniloco affixa: debent ergo habere facilitatem, & quidem maximam, ut se se moveant; quia tarditas motus repugnat spiritualitati, seu virtuti, qua resurgent corpora Beatorum: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Unde Sapient. 3. *Tanquam scintillæ in arundineto discurrent;* quod designatur motus celeritas. Difficultas est, *in quo consistat, seu à quo proveniat hæc vis se mouendi?*

19 Dicimus ergo; quod agilitas Beatorum, seu vis, & facultas velociter movendi sua corpora consistit in ipsa potentia naturali motiva animæ glorificatae, cui perfectè subjectum erit corpus, remotis impedimentis gravitatis per Deum ob exigentiam ipsiusmet corporis ratione unionis cum anima beata. Ita Subt. Doct. in 4. d. 49. quæst. 14. q. *respondeo*, & probatur, quia absurdio illa vis potest provenire ex hoc, & nihil est difficultatis in eo, quod dicatur inde de facto provenire: erg. in hoc consistit agilitas Beatorum. Confirm. exemplo maximæ agilitatis, quam constat multos habere in hac mor-

mortalis vita ex bona corporis dispositione ad nutum suæ voluntatis: erg. cum longè perfectior sit dispositio corporis Beatorum, se mota gravitate accidentalí, & grossitate humorum, & fumositatum, quæ ad veritatem humanæ naturæ non pertinent, longe major agilitas, & maxima ipsis concedi debet. Objectiones autem quædam vide solutas apud Hincum, in Commentario super dist. & quæst. cit. & apud Brancatum disp. 21. art. 4. Solùm est advertendum, quod motus Beatorum dicuntur supernaturales quoadmodum, ex eo, quod Deus removet impedimenta, & tribuit Beatis spiritus subtile, ratione quorum redditus corpus plus agile, quam primum mobile; nam animæ gloriose minus resistit corpus ejus, quam primum mobile intelligentia motrici, propter magnam mollem, & quantitatem Orbis Cœlestis; gravitas vero corporis Beati erit minimi momenti, & non impedit velocissimam celeritatem animæ ubicumque ipsa voluerit, non solum progressivè, sed etiam motu simplici, ut ipsa anima, & Angeli moventur motu, qui dicitur volatus.

20 Inquires, utrum agilitas sit æqualis in omnibus Beatis? Respondetur, negative. Ita

Tom.I.

Subt. Doct. in 4. d. 50. quæst. 6.  
§. Ad tertiam questionem, dicens, quod si agilitas non est qualitas animæ, aut corpori superaddita, erit inæqualis; quia potentia motiva est inæqualis. Prob. nam motus proveniens ab agilitate, si verus est, & successivus, debet fieri in tempore: erg. qui beatiores fuerint, breviori tempore mobebuntur. Atqui ad hoc necessaria est perfectior agilitas: erg. in æqualis est in Beatis. Dices: hi motus secundum nos sunt præcisæ à potentia naturali motiva animæ: erg. qui perfectiore habuerit potentiam naturalem, etiam minus Beatus sit, erit magis agilis. Respond. quod Deus secundum naturam meritorum tribuit Beatis spiritus subtile, & concurret plus minus vè cuncta potentia naturali motiva animæ, & ita Beatior erit agilior. Si quæras, an beatæ habeant sphæram determinatam in suo motu locali? Respond. posse optimè se movere absque ulla fatigione per totum universum, juxta illud Isaie citat. *Afflument pennas sicut Aquilæ, volabunt, & non deficiunt, &c.*

21 Querit etiam Doct. loc. citat. §. Ad argumenta, vers. Quando etiam, quem situm habent in Cœlo Beati? Et responderet, quod erunt erecti.

Rer.

Pro-

Probat, quia inclinatio partium pugnat cum agilitate, & erectio est situs promptior ad operationem: erg. erunt erecti. Dices: quod in Symbole dicitur de Christo, *sedens ad dexteram Patris*: sed omnes erimus similes Christo in situ: erg. erimus sedentes. Responder Doctor ex Augustino, illud Symboli non debere intelligi de sessione corporali, sed de præ-excellencia beatitudinis; nam Stephanus Act. 2. *Vidit Iesum flantem.*

22 Dubitabis 4. *in quo Dos subtilitatis consistat?* Supponitur ex communi Sententia PP. & Scholasticorum contra Durand. duo corpora de potentia Dei absoluta posse esse in eodem loco, nam Christus D. egressus est de utero virginis sine corruptione Virginis; ingressus est ad Discipulos januis clavis; surrexit clavis sepulchri ostio; in ascensione quoque Cœlos penetravit. Supponitur etiam, corpora gloriofa penetrare posse corpora non gloriofa; nam Beati penetrabunt Cœlos in die Judicij, & post talem diem poterunt moveri per Cœlos, & se penetrare cum illis. Difficultas est, *an in hac penetratione, seu potentia se penetrandi consistat Dos subtilitatis?* Respondeatur affirmativè. Ita communiter Theo-

logi, & præsertim Subtil. nost. Doct. in 4. d. 49. quæst. 16. dicens, hanc Dotem consistere in facultate, quam habent Beati ad se penetrandum cum quibuscumque corporibus ad eorum libitum. Prob. quia hæc dos subtilitatis in Beatis colligitur à Sanctis PP. ex prædicta Christi penetratione: sed non posset inde colligi, nisi quatenus Dos subtilitatis in Beatis consistit in illa penetratione, seu facultate se penetrandi: erg. &c.

23 Unde autem oriatur vis ista corporis glorioſi ad se penetrandum cum alijs corporibus? „ Dico ergo (inquit „ Subt. Doct. citat.) quod „ subtilitas, vel illa possibili- „ tas (effendi, scilicet, unum „ corpus glorioſum cum alio) „ non habet susceptivum in- „ trinsecum in corpore glorio- „ so; sed habet causam intin- „ secam voluntatem suam, & „ extrinsecam voluntatem, & „ potentiam divinam: & sic „ ille ordo intrinsecè est in illo „ corpore, & debetur sibi qua- „ si de jure, ut dictum est de „ Dote impassibilitatis, & se- „ cundum hoc dicitur Dos. Et „ paulo supra: Sicut perfectio „ hujus animæ est debitus ordo „ ad gloriam; sic est perfectio „ corporis, quod sit cum alio „ corpore pro libito volunta- „ tis animæ beatæ: quid est „ ista

„ ista possiblitas ? Est ne ali-  
„ qua qualitas absoluta ? Di-  
„ co , quod non ; quia hæc  
„ possiblitas non est aliud in  
„ hoc corpore , nisi ut non re-  
„ pugnet ad coexistendum al-  
„ teri corpori ; talis enim non  
„ repugnantia non est qualitas  
„ absoluta : ergo , &c. Hucus-  
que Doctor. Ecce quam apte,  
quam clare , quam verè expli-  
cuerit , quæ ad Dotem subtili-  
tatis concurrunt , & conse-  
quenter in quibus consistat.

24 Advertit tamen in solu-  
tione argumenti ultimi , quod  
licet corpus Beati possit pene-  
trare corpus non gloriosum;  
non vero est data potestas cor-  
pori gloriose coexistendi cor-  
pori alteri gloriose , licet sibi  
possit dari ; quia Deus subtili-  
tatis est , quod ad imperium vo-  
luntatis suæ sit cum alio prope-  
ter perfectionem aliquam : quod  
autem sit cum gloriose , non  
requirit Deus subtilitatis , nec  
perfectio aliqua :: non enim  
habet anima beata imperium  
super corpus gloriose , sicut  
super non gloriose ; habet  
enim alias Beatus potestatem  
impediendi , ne corpus suum  
penetretur , dum non vult;  
utroque tamen consentiente ,  
talis penetratio fieri posset. Ob-  
eandem rationem Deus non  
concurret ad partes ejusdem  
Beati ponendas in eodem lo-

co , & se invicem penetrandas ;  
quia hoc minus decens vide-  
tur , nec Beatus volet hoc , ni-  
si adsit aliqua specialis causa.

25 Ex quibus infertur ,  
quod non obstante subtilitate  
corporum Beatorum , ipsa erum  
palpabilia ex Luca ultimo : Pal-  
pate , & videte : spiritus car-  
nem , & ossa non habent ; unde  
D. Gregor. moral. 40. Con-  
vicit de Hæresi Eustachium Pa-  
triarcham Constantinop. di-  
centem , Corpus nostrum in re-  
surrectionis gloria fore impal-  
pabile. Erunt ergo corpora  
Beatorum palpabilia ; quia po-  
terunt resistere corpori tran-  
seanti , & impedire , quin pe-  
netrentur , ut dictum est ex  
Subt. Doct. ratione imperij ,  
quod habet voluntas beata in  
suum proprium corpus glorio-  
sum , quo prout voluerit , fa-  
cit , ut non penetretur , sed re-  
sistat : unde , licet secundum  
naturam corpus Beati sit pal-  
pabile ; tamen ratione gloria  
se palpandum , vel non palpam-  
dum tradet , pro libito suo. Hic  
est notandum , quod omne pal-  
pabile est tangibile , sed non  
omne tangibile est palpabile ;  
quia illud est tangibile , quod  
habet qualitates , quæ possint  
immutare sensum tactus ; sic  
aer est tangibilis , quia per  
suam frigiditatem , potest im-  
mutare tactum , sicut & ignis .

per suum calorem: sed palpabile, ultra quod habet easdem qualitates immutantes sensum tactus, debet habere præterea, quod resistat corpori; & ideo signis, & aër sunt quidem tangibles, sed non palpabiles: corpora autem beata erunt tangibilia, & palpabilia, ut diximus de Corpore Christi.

26 Dices ex D. Gregor. hom. in octav. Pasch. quod est palpabile est corruptibile: sed Beatorum corpora sunt incorruptibilia: ergo & impalpabilia. Respond. corpora Beatorum esse re vera incorruptibilia, non ratione partium componentium, sed ratione impossibilitatis, quam habent pro Doti, & per quam redduntur proximè, & extrinsece incorruptibilia, licet ex natura sua, seu remotè non sint incorruptibilia, ut supra explicuimus. Videantur, quæ diximus de impecabilitate, perpetuitate, & securitate, & hic applicentur. Quæres tandem, an subtilitas sit in omnibus Beatis æqualis? Resp. affirmative. Sic communiter DD. quia tam subtilitas, quam impossibilitas consistunt in indivibili; clavitas vero, & agilitas admittunt latitudinem, & erunt inæquales juxta inæqualitatem meritorum. Verum tamen gaudia ex ipsis erunt

inæqualia juxta merita uniuscujusque.

**QUÆST. III.**  
Uer. *SINT POTENTIAE,  
& usus earum in corpori-  
bus Beatorum?*

**C**onveniunt D.D. sensus beatorum futuros integros, & perfectos, ac ad suum usum expeditos; & habituros suum actum; & oblectationem circa sua objecta, quantum attinet ad corporis beatitudinem; cum enim Beati habituri sint corpora sensibus ornata cum perfectissimis organis, & spiritibus ad eorum usum accommodatis, irrationabile prorsus est, quod eorum operationibus careant, & oblectationibus, quæ illos comitari solent. Confirmatur, quia illa beatitudo erit consummata hominis felicitas, in tali autem beatitudine opus est totum hominem beati, quantum fieri potest: ergo non tantum secundum animam beari debet, sed etiam secundum corpus, atque ideo debet etiam corporis sensus suum usum, & voluptatem habere, quantum attinet ad corporis beatitudinem. Denique sicut post resurrectionem damnati in inferno

torquebuntur, non tantum quoad animam, sed etiam quoad corporis sensus; ita etiam Beati in celo non tantum quoad potentias animæ intellectuales latabuntur, sed etiam quoad sensitivas corporis, cum Deus in præmij retributione minus liberalis non sit, quam in peccatorum punitione severus. Difficultas itaque solum est, an in omnibus futurus sit aliquis usus, & delectatio? & qualia esse poterunt pro eis sensitibus objecta ad beatitudinem corporis pertinentia? de quo breviter in praesenti discurremus, juxta doctrinam Scripturarum, & SS. PP. ne, in hoc negotio satis nobis recondito, aliquid temere proferamus, quia ut habetur Isaia 64. & Corinth. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus diligentibus se.*

2. Conclusio 1. Certum est, & de fide, potentiam vegetativam nullum habituram actum neque generandi, neque nutritiendi. Ita Theologi omnes, teste Maistro in Theologia Moral. disp. 25. quæst. 4. art. 2. num. 86. & præsertim Subtilis. nost. Dost. in 4. d. 49. q. 13. in solutione secundi principialis, ubi ait, in corpore beati omnes potentias sensitivas adesse, licet non omnes erunt sub

actu suo; & illæ præserunt, quæ in actu suo habent comitantem imperfectionem, ut est potentia generativa, & nutritiva. De potentia generativa patet ex illo Matth. 22. & Luca 20. ubi Saducæi resurrectionem negantes objecerunt tanquam absurdum Christo D. quod si aliqua mulier septem viris successivè nupisset, in resurrectione litigium foret, cuiusnam illorum viorum uxor esse deberet, cui obiectiōni occurrens Christus D. dixit: *Erratis nescientes Scripturas; in resurrectione enim neque nubunt, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo.* Ubi Gloss. Ordinaria inquit: cum connubia sint propter filios, filij propter successionem, successio propter mortem, ubi non est mors, neque connubia erunt: ergo post resurrectionem in patria, non erit copula carnalis usus, & sic potentia vegetativa quoad actum generandi sub actu suo non erit.

3. Quoad actum nutriendi probatur similiter ex 1. Corinth. 15. *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale: ubi pariter* Gloss. Ordin. *inquit non dicit spirituale, quasi corpus vertatur in spiritu; sed spirituale, quia spiritui plene subderit nec alimenti amplius egebit, sicut cor-*

corpus animale. Ita etiam hanc corporum spiritualitatem exponit, & explicat Doct. nost. loco cit. dicens: *Non video necessitatem, quod sensus pertinentes ad nutritionem tunc sint in actibus suis: cum tunc nutritio non sit necessaria, quia non erit corpus animale, id est, indigena alimento.* Sic etiam eundem locum passim Patres exponunt; nam D. Ambros. inquit, animale corpus est dum cibis sustentatur; ut vivat spirituale autem, cum nihil horum indigebit. Ita etiam discurrevit D. Aug. lib. 6. Genes. ad litter. cap. 74. & lib. 9. c. 3. lib. 12. cap. 8. dicens, in resurrectione SS. corpus spirituale ab Apostolo appellari; non quia substantiam in corpoream sit habiturum; sed quia miris modis ad omnem facilitatem, & incorruptionem spiritui subdatur, & sine ulla corporalium alimentorum indigentia solo spiritu vivificatur.

4 Neque dicas, etiam corpora damnatorum incorruptibilia esse, & alimentis non indigentia: ergo spiritualitas à nobis explicata non erit specialis conditio corpori Beatorum. Negatur enim consequentia; nam valde diversa est spiritualitas in corpore Beati, & damni, quia Bea-

torum corpora non solum erunt incorruptibilia, sed etiam impossibilia ab agente corporeo, sicut spiritus, ut dictum est quæstione antecedenti; non sic autem erunt corpora damnatorum; licet enim vivent quoque absque alimentorum indigentia, corpus tamen eorum non erit spiritui totaliter subditum; ut spiritu præcipiente statim obediat, ac moveatur; sed ut ait Auselin. de Similitudine, cap. 51. *Malus tanto pœnatum pondere præmetur, ut nec pedem quidem, nec manum, vel aliquid sui corporis movere possit, juxta illud Matth. 22. Ligatis manibus, & pedibus, proiecite eum in tenellas exterioreas:* at verò anima beata iectu oculi quocumque voluerit secum corpus confert absque ulla ejus resistentia, ut diximus declarando agilitatis Dotem.

5 Conclusio 2. Potentia visibla Beatorum habebit actum suum. Sic communiter Theologi, & Sancti PP. qui unanimiter docent claritatem corporum Beatorum adeo excellenter esse, ut oculi tantum immortales, & beati eam intueri possint; qua de causa in Monte Tabor tres Discipuli Christi D. fulgorem sufferre non valentes in ejus transfiguratione pro-

prociderunt in facies suas, ut ait Chrysost. in Epist. 5. ad Theod. delectabitur ergo valde potentia visib[us] in aspectu corporum Beatorum, maximè vero Christi D. & Beatissimæ Virgin. ejus Matri, quia horum pulchritudo maxima erit. Hoc colligitur ex illo Job. 19.  
*In carne mea videbo Deum salvatorem meum, quem visurum sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sum.* Et Isaïæ 13. *Regem in decoro suo videbunt.* Unde Laurentius lib. 2. de discipl. & perf. ait: „Quod oculus, „delectabitur in amabili Re- „demptoris aspectu, cum vide- „bit Regem in decoro suo, glo- „ria ornatum, ac in diademate „redimitum, &c. Et sic etiam loquuntur D. August. Anselm. Nazianzen. & alij PP. apud Salmaticens. Videbit etiam corpora Beatorum lucida, & colorata, & ipsum Cœlum Empyreum, quod probabilissimè etiam tale est; aspicier etiam aliorum cœlorum structuram, molem, & pulchritudinem; atque speciali consolatione, & delectatione videbit consanguineos, amicos, & notos.

6 Est tamen aliqua difficultas, an omnes Beati videbunt semper Corpus Christi, ac etiam aliorum Beatorum ob maximam distantiam unius ab alio in valtissima illa, & fermè

infinita mole Cœli Empyrei, & maximum quasi infinitum numerum corporum Beatorum, qui supponuntur esse in Cœlo non penetrati, sed extra se invicem? In qua difficultate varij sunt modi dicendi, ut refert Arriaga, tom. 2. tract. de Beatitudine hominis, disp. 57. sect. 1. & Lusitan. tom. 3. de Beatitud. lib. 4. Aliqui enim existimant, Christum pro consolatione Beatorum se replicaturum in multis locis, ut possit commodius videri, sicut in hoc mundo pro fideliū utilitate replicatur in venerabili Eucharistia Sacramento. Alij dicunt, producendas species miraculosè, quæ repræsentabunt Christum cuilibet, tam distin- tè, quam si esset in debita distantia, in qua posset naturaliter videri. Alij censem, dispositionem Cœli tam fortassis esse, & situm Beatorum, ut posset naturaliter absq[ue] replicazione miraculosa sui, & specie- rum, videri à quolibet; sed perfectius à vicinioribus, qui majoris meriti supponi debent: In his tribus modis nulla apparet repugnantia, immò quilibet est probabilis, ut inquit noster Poncii, & Boyvin; videatur etiam Mastrius in Theologia Morali, disp. 25. q. 4. art. 2. num. 87. Ubi adducit alium modum ex Subr. Doct. nos-

nostro, & ex Joann. Apoc. 14. qui dicit, Virgines comitari agnum quocumque jerit: ergo jam huc, jam illuc Christus se movebit; & jam hos, jam illos sua recreabit præsentia: & ipsis etiam Beatis liberum omnino erit, cum voluerint accedere, vel recedere secundum libitum suum.

7 Conclusio 3. In Beatis etiam erit usus potentiae auditiva. Ita etiam communiter DD. & præsertim D. Thomas D. Bonaventura, & Venerabilis noster Doct. loco citat. *in soluti. secundi principi*, ubi inquit, quod de visu nullus dubitat, nec de auditu, si est ibi sonus, & possibilis multiplicari, & immutare auditum; & hoc ex varijs Scripturæ locis expressè deducitur, ut Psal. 83: *Beati qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te.* Et Psal. 148. *Exultabunt Sancti in gloria, latabuntur in cubilibus suis: exaltationes Dei in gutture eorum.* Ubi glossa ordinat. ait, qui in corde, & lingua non desinunt laudare eum, à quo habent æterna: erg. audiuntur corporaliter voces fauicium, seu corporales. Idem legitur alibi sapè, & passim in Sanctis PP. erg. erit in actu suo hæc potentia.

8 Est tamen difficultas,

quomodo hic gratissimus sonus esse possit in Cœlo; nam ad voces, cantum, musicam, &c. requiritur sonus, qui non nisi in aere formari potest, non autem in vacuo: aer autem non est in Cœlo Empyreo. Aliqui dicunt; quod quanvis Cœli sint solidissimi, & veluti adamantini, juxta illud Job 37: *Etiam Empyreum, nihilominus, quoad usum Beatorum ita pervium, facile, & flexible est, in ordine ad habitationem, locutionem, vocem, respirationem, motum localem, &c.* ac si aereum esset, vel alterius natura similis; sive hoc oriatur ex doribus agilitatis, & subtilitatis ipsorum Beatorum; sive ex alio speciali dono Dei ipsis collato, vel saltem extrinseca assistentia, & cooperatio ne cum ipsis. Hanc sententiam, inquit, esse conformem Sac. Scripturæ, Patribus, & DD. qui passim loquuntur de Cœlo, tanquam de civitate quadam jucundissima, & commodissima ad vitam, & habitationem, ad quod videtur hoc necessarium. Alij, ut Poncius, & Boyvin, &c. dicunt, quod sine dubio erit substantia aliqua tenuis, & liquida instar aëris in Cœlo, qua replebuntur partes interiores corporis Beati, quæ modò replentur aere; quia non erunt ibi vacua;

&

& hac substantia mediante, vo-  
ces formare poterunt, & sibi  
invicem loqui. Qua in re (in-  
quit Mastrius) quid afferendum  
sit determinari non potest; *quia*  
*nec oculus vidit, nec auris au-*  
*dixit, nec in cor hominis as-*  
*cendit, que preparabit Deus*  
*diligentibus se.*

9 Conclusio 4. Olfatus, seu  
odoratus, & tactus habebunt  
etiam in corporibus Beatis ac-  
tus suos perfectissimos. Hæc  
est communior, & probabi-  
litas opinio inter Catholicos;  
probabile enim est ipsa Beato-  
rum corpora suavissimum odo-  
rem in cœlis exhalatura, ut è  
multis etiam mortuis in hoc  
mundo legitur, & experientia  
constat de corpore D. Antonij,  
& allorum innumerabilium,  
quorum odor maximè delectat,  
& cuius fragrantia summopere  
recreat: Cùr ergo tunc non  
concedemus? Præterea sicut in  
inferno damnatorum corpora  
terribilium spirabunt fatorem,  
ita probabilissima est corpora  
Beatorum in cœlis econtra sua-  
vissimum odorem efflare. Colli-  
gitur etiam ex Sac. Script. Eccles.  
24. *Sancti tui sicut odor Balsa-*  
*mi erunt ante te.* Cant. cap. 1.  
*In odorem curremus unguen-*  
*torum tuorum;* & alia plura si-  
milia. Addunt etiam aliqui ip-  
sam Cœli Empyrei substantiam  
hoc cœlesti odore à Deo imbū-

tam fuisse pro Beatorum sum-  
ma felicitate augenda. Dein-  
de, ait nost. Poncius, verifi-  
mire esse, illam substantiam  
tenuem, quam dixerat aëri cor-  
respondere in Cœlo Empyreo,  
& quæ interiores partes corpo-  
rum replebit, sicut & alias va-  
cuitates Cœli, forè odoriferam,  
& suavi, ac fragrantissimo odo-  
re respersam.

10 Quoad tactum, etiam  
est communior opinio, futu-  
rum esse sub actu suo perfectissi-  
mo: non enim semper ex im-  
perfectione fit tactus, ut acci-  
dit in venereis; quia ibi non  
erunt venereæ delectationes;  
quia si in ceteris digna sit re-  
tributio, (inquit D. Hierony-  
mus lib. 3. in Matth.) in uxo-  
ribus appetit turpitudo. Prob.  
resolutio; quia inverisimile  
omnino videtur; quod sensus  
iste per totum corpus exten-  
sus suo careat actu, & quod  
unus Beatus alium tangere non  
possit; nam de facto Christus  
D. post resurrectionem exposuit  
se Apostolis tangibilem, & pa-  
pabilem; & de facto S. Ber-  
nardus, serm. 1. de *Affempt.*  
*Virg.* admittit inter Christum,  
& ejus Matrem amplexus, &  
castissima, atque dulcissima  
oscula. Idem de alijs Beatis in-  
ter se pie credendum est, cum  
ab eo statu omnis in honestas  
longissime absit; & certe ne-

mo potest negare, Beatos sum-  
mē delectari, pedes Christi D.  
osculando, ac ejus Sanctissimæ  
Matri. Tandem, id etiam ra-  
tio suadet; quia sicut in dam-  
natis sensus tactus vigeat, & cum  
actuali sensatione reperitur, ut  
magis corpora cruciari possint;  
ita econtra, ratio postulat, ut  
in Beatis etiam tactus rema-  
neat in delectationem, ut in  
omnibus totum corpus sit fa-  
lix, quod nisi per conjunctio-  
nem cum perfectissimis sensibili-  
bus fieri nequit. Immò Subt.  
nost. Doct. addit, Cœlum Em-  
pyreum, aliosque orbes cœles-  
tres futuros materiam gratissi-  
mam tactus; & ita etiam pas-  
sim docent Sancti PP. quorum  
testimonia apud Suarez, & alios  
RR. videri possunt; quare  
fatendum est, sensum tactus  
etiam habere posse in patria  
delectationes sibi proportiona-  
tas cum omni decentia, & ho-  
nestate, & absque omni peri-  
culo minimi inhonesti motus,  
ut status ille postulat, atque  
etiam interduin hic evenit in-  
ter amicos, & consanguineos.

ii Conclusio 5. Sensus  
gustus habebit etiam suam de-  
lectationem; non quasi assump-  
turi sint cibum, & potum; sed  
gustatio fiet virtute alicuius hu-  
moris, seu qualitatis ad pala-  
tum perpetuo adhaerentis, que  
omnem saporem pro libito cu-

juslibet habebit, sicut alias,  
sed longè imperfectius, ha-  
buit manna Hebræorum. Ita  
communiter Thæologi, & SS.  
PP. contra Saracenos, & Ju-  
dæos adstruentes ibi verum ci-  
bum, & potum. Prob. ex D.  
Anselmo lib. de Similit. cap.  
52. ubi ait: „Oculi, aures,  
„nares, os, manus, mirabili  
„delectationis, & dulcedinis  
„sensu replebuntur. Et D. Bo-  
navent. soliloquij, cap. 4. in-  
quit: „Ibi erunt omnes sen-  
„sus in actibus suis; ibi enim  
„oculus videbit decorem spe-  
„ciosissimum, gustus sentiet  
„saporem dulcisissimum, olfa-  
„tus odorabit odorem suavif-  
„simum, tactus amplexabitur  
„objectum deliciosissimum,  
„auditus immutabitur per so-  
„num jucundissimum; ibi  
„enim, cum mens in exulta-  
„tionem rapitur, lingua in  
„canticum laudis elevatur.  
Deinde, quia si in damnatis re-  
periatur aliquod acriter cru-  
tiatus illos in sensorio gustus, ut  
constat in divite Epulone, qui  
cruziabatur in lingua: g. Beati  
econtra præmiabuntur etiam  
in sensu gustus; nec est opus,  
ut ille gustus ordinetur ad sus-  
tentationem, aut concoctionem,  
sicut t. si aër, quem nunc  
respiramus, haberet qualitatem  
sapidam, sine dubio illam ex-  
periri possemus, nulla ex eo  
fac-

facta concoctione , aut propria  
comestione , & nutritione .

12 Obiic. quasdam au-  
thoritates Scripturæ , & PP.  
quibus promittitur Beatis ci-  
bus , & potus , ut illa præfer-  
tim Lucæ 12. *Ego vobis dispo-*  
*nō regnum , ut edatis , & biba-*  
*tis super mensam meam in reg-*  
*no meo.* Isaïæ 45. *Servi mei co-*  
*medent , vos esurietis : servi*  
*mei b̄ent , vos sitiatis. Ine-*  
*briabuntur ab ubertate domus*  
*tua , & torrente voluptatis*  
*potabis eos.* Disposuit Pater ,  
ut edatis , & bibatis super men-  
sam meam in regno meo . Et  
tandem Matth. 26. Non bibam de  
hoc genimine vitis usque in diem  
illum , cum illud bibam vobis-  
cum novum in regno Patris  
mei . Quibus indicavit Christus ,  
se rursus cum discipulis bibi-  
turum vinum in regno futuro .  
Resp. quod iste authoritates ,  
& alia similes intelliguntur spi-  
ritualiter , & metaphorice , ut  
passim Patres exponunt ; immò  
ipse Christus satis hoc indica-  
vit cum dixit : *In resurrectio-*  
*ne ne que nubent , neque nuben-*  
*tur , sed erunt sicut Angeli Dei.*  
Per quæ verba omnem imper-  
fectam delectationem exclusit .  
Patet etiam ex Epist. ad Ro-  
manos , cap. 14. *Regnum Cœ-*  
*kerum ( seu ut formalibus ver-*  
*bis loquamur) non est enim reg-*  
*num Dei esca , & potus : sed*

*justitia , & pax , & gaudium;*  
significans Apostolus , Cœlum ,  
ubi spiritualiter vivitur , ci-  
bum , & potum temporale non  
habere .

13 Denique , docent Theo-  
logi , delectationes quoque sen-  
sum internorum : v. g. phantā-  
siæ , imaginativæ , & appetitus  
sensitivi , potentia generativa  
excepta , futuras esse in Beatis .  
Tum , quia tales potentia erunt  
in corporibus Beatis ; ac per  
consequens illarum operatio-  
nes , cum non dicant imperfec-  
tionem , & per illas perficiantur : ex quo etiam sequitur , fu-  
turas delectationes , quæ tales  
consequuntur operationes ; eo  
quod omnes potentia sensitivæ  
nobiliō modo possibili beati-  
ficari debent . Tum etiam , quia  
quemadmodum in hac vita ex  
contemplatione intellectus , &  
delectatione voluntatis in vi-  
ribus istis inferioribus orici  
Solet apprehensio , & delec-  
tatio suavissima eorundem ob-  
jectorum , ut colligitur ex illo  
Psalm. 83. *Cor meum , & ca-*  
*ro mea exultau.runt in Deum*  
*vivum ; multo potiori ratio-*  
ne id dicendum est in patria  
contingere ex clara visione , &  
fruitione Dei . Unde D. An-  
selm. lib. de Simil. cap. 57.  
inquit : „ In illa futura vi-  
„ ta delectatio quedam ineffa-  
„ bilis bonos inebriabit , & in-

„ estimabili dulcedine sui totos  
 „ eos incenarrabili abundantia  
 „ satiabit. Quid dixi totos?  
 „ Oculi , aures , nares , os , ma-  
 „ nus , guttū , cor , jecur , pul-  
 „ mo , ossa , medullæ , extra  
 „ etiam ipsa , & cuncta singilla-  
 „ tim membra eorum in com-  
 „ muni tam mirabili delecta-  
 „ tionis , & dulcedinis sensu  
 „ replebuntur , ut verè totus  
 „ homo torrente voluptatis Dei  
 „ potetur , & ab ubertate do-  
 „ mus ejus inebrietur. Hæc au-  
 tem delectatio vocatur à Theo-  
 logis per redundantiam ; quia  
 redundat in omnibus sensibus  
 ex plena animæ delectatione;  
 quam nobis Deus participare  
 dignetur , amen.

14 Contra prædictum usum  
 potentiarum , & sensuum cor-  
 porum Beatorum obijcies: Bea-  
 ti tota mentis intensione ferun-  
 tur in Deum : ergo erunt in  
 perpetua extasi , sicut Paulus in  
 raptu ; vel saltem ipsæ sensa-  
 tiones remittent contemplatio-  
 nem : erg. in Beatis non erit  
 usus sensuum , & potentiarum  
 corporalium. Confirmatur ex  
 Subtil. Doct. in 4. d. 10. q. 7.  
 §. Respondeo , vers. Ad Secun-  
 dum , ubi ait : Respondeo , quod  
 nunc gustum , & alios sensus  
 ponimus , & necessarios ad per-  
 fectionem naturæ humanae : &  
 tamen non oportet omnes istos  
 esse in actu suo aliquando , sed

possunt esse sine actu suo , ut in  
 Beatis , &c. erg. juxta Subtil.  
 Doct. in corporibus gloriois  
 non erit usus sensuum corpo-  
 ralium.

15 Respond. ad argum:  
 quod ex abundantia , & vigo-  
 re stabili portionis superioris  
 fiet redundantia ad portiones  
 inferiores , ut possint suas ope-  
 rations perfectissimè exercere;  
 & ita neque contemplatio remit-  
 tetur. Pauli verò visio non fuit  
 stabilis , sed transitoria ; & ideo  
 impeditus usum sensuum ; fuit  
 enim beatifica solum in anima ,  
 non in corpore : immò , si Deus  
 voluisse , habuisset etiam per  
 miraculum usum sensuum simul  
 cum visione intuitiva Dei , ut  
 Christus D. habuit ab instanti  
 suæ conceptionis per totam  
 suam mortalem vitam , & Bea-  
 tis. Virgo Maria ejus dignissi-  
 ma Mater per pluries habuit  
 visionem intuitivam Divinitati,  
 dūm adhuc viatrix erat , &  
 simul habebat per miraculum  
 usum sensuum ; & loquendo de  
 alijs pluribus Sanctis , tam ve-  
 teris , quam Novi Testamenti  
 conceditur à pluribus Sanctis  
 PP. de facto ; & de possibili est  
 communis sententia in utraque  
 Schola Angelica , & Subtili , ut  
 videri potest apud Illustrissim.  
 Samaniego in Nota 26. sup.  
 Myстicam Civitatem Dei , §. 9.  
 Videatur etiam Felix tom. 2.

Tentative Complut. tract. de Visione Dei, cap. 9, diffic. 1. & 2. Antonius Perez de Visione beata, disp. 5. sect. 8.

16 Ad Subtilem verò Doct. respondetur; ipsum solum velle, posse tales sensus existere sine usu, quod fatemur; nam aliquis usus illorum non est necessarius in patria, sicut in via ad conservandam naturam, ut est comedio, nutritio, &c. ad hunc igitur finem, inquit Doctor, quod frustra ponetur usus sensuum; non tamen negat usum illum, seu illas operationes, quæ non dicunt imperfectionem, ut patet in 4. d. 49. quæst. 13. §. *Ad rationes*, vers. *Ad secundum*, ubi ait:

„Ad secundum dicitur, quod „omnes sensus Beati erunt in „actu suo. Ratio est ad hoc, „quia quælibet sensatio est „propria perfectio sensitivi. „Tamen non video necessita- „tem, quod sensus pertinen- „tes ad nutritionem tunc sint „in actibus suis: cum tunc „nutritio non sit necessaria, „quia non erit corpus anima- „le, id est, indigens alimen- „tis. Aliqui tamen bene pos- „sunt ponи in actibus suis, quo- „rum actus non requirunt im- „perfectionem concomitan- „tem, sicut visus, & auditus, „qui sunt magis spirituales: „De visu nullus dubitat, nec

„de auditu. Hucusque Doc- tor, se ipsum conciliando, & explicando.

17 Inquires, quo idiomatè loquentur Beati in patria? Repondetur, quod aliqui dicunt, quemlibet uti lingua, qua usus est in mundo, quæ ab omnibus intelligetur Deo infundente cui libet Beato cognitionem omniū linguarum. Quia tamen Apostolus 1. ad Corinthios 13. dicit, *sive lingue cessabunt*. Respondent alij, linguas quidem cessaturas, id est, diversitatem linguarum, non verò linguam aliquam communem, quæ erit, juxta aliquos, lingua Hebraica, quæ fuit primogenita à Deo indita primis Parentibus, & quæ unica remansit, usque ad linguarum confusionem. Juxta alios autem erit lingua Latina, quia est perfectior, & pauciores sunt in ea equivocationes: & quia Ecclesia Catholica majori ex parte hac utitur lingua. Denique alij, ut Cornelius super illud 1. ad Corinth. 13. *sive lingue cessabunt*, inquiunt, novum Idioma, seu linguam novam à Christo esse instituendam in Patria, quæ in suavitate, & elegantia omnem linguam viꝫ superabit. Hoc mihi per multum arridet; sed eligatur quidquid magis placuerit. Adver- tendum tamen est, quod Beati erunt intra Cœlum Empyreum,

non

non supra , ut volunt aliqui; si enim essent extra , vel supra illud , essent in immenso vacuo , vel potius in nihilo , seu quasi avis super tectum , vel quasi Rex esset supra tectum Palatij , quod est indecorum ; & congruentius , honorisfentiusque est intra ipsum in aula Palatij residere.

### DOGOMATICUM RESUMEN

totius hujus Tractatus de Beatitudine.

Ex nost. Aye , controv. XXX.

**A** nimas Sanctorum simul à corporibus exuta , & plenè purgata sunt , Cœlum ingredi , Deum videre , & verè beatas esse , etiam ante Universale Judicium , negant Armenij , & Græci , Lutherus , Calvinus , & Anabaptista . Sed probatur ex 2. Corinth. 5. Si terrestris domus nostra dissolvatur , habemus ex Deo dominum non manufactam , æternam in Cœlis . Voluntatem habemus peregrinari à corpore , & praesentes esse ad Dominiun . Phillipens. 1. vers. 23. Desiderium habens dissolvi , & esse cum Christo . Lucas 23. Hodie mecum eris in Paradyso . Apoc. 7. Sunt ante thronum Dei in templo ejus . Ephes. 4. Ascendens Christus in altum , &c. Actor. 7. Ecce vi-

deo Cœlos apertos , &c. Heb. 12. Accessisti ad Ecclesiam primitorum in Cœlis , &c.

19 Magnitudo gloriae , & delitiarum Cœlestium colligitur ex Isaiae 54. Nec oculus vidit , nec auris audivit , &c. Rom. 8. Non sum condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam . Essentialis beatitudo Sanctorum sita est in clara visione , ac fruitione Dei , Psal. 79. v. 8. Ostende faciem tuam , & salvi erimus . Psal. 15. v. ult. Adimplebis me latitia cum vultu tuo , &c. Psal. 35. v. 10. In lumine tuo videbimus lumen . Joann. 14. v. 21. Manifestabo ei me ipsum . Matth. 5. v. 8. Ipsi Deum videbunt . Prima Joann. 3. Videbimus eum sicuti est . Inde sa-  
tietas , & gaudium , & pax , &  
quies æterna . Matth. 25. v. 21.  
intra in gaudium Domini tui .  
Psalms. 15. v. ult. Adimplebis  
me latitia , &c. Isaiae 35. v. 10.  
Lætitia sempiterna , &c. Apoc.  
21. Absterget Deus , &c.

20 Accessoria beatitudinis (etsi rideant Heretici) sunt que-  
dam præmia singularia excel-  
lentioribus quibusdam virtuti-  
bus proposita , quæ Doctores  
aureolas vocant , vocabulo de-  
sumpto , ex Exod. 25. v. 25.  
Aureola prima est Martyrum .  
Apoc. 2. v. 10. Esto fidelis us-  
que ad mortem , & dabo tibi  
coronam vita . Apocal. 7. v. 9.

Amic-

*Amicti stolis albis, & palme,  
Eccl. Matth. 10. v. 32. Qui me  
confitebitur coram hominibus,  
Eccl. Aureola 2. est Virginum.  
Apoc. 14. Cantabant canticum,  
Eccl. Aureola 3. est Doctorum,  
Daniel. 12. Qui ad justitiam,  
Eccl. Matth. 5. v. 19. Qui fecer-  
rit, & docuerit, Eccl.*

21 *Quatuor dotes corpo-  
ris glorioſi habes 1. Cor. 15.  
vers. 42. Seminatur, &c. Et  
rursum de Impassibilitate, Isaia  
49. vers. 10. & Apoc. 7. v. 16.  
Non esurient, &c. Apoc. 21.  
vers. 4. Mors ultra non erit,  
&c. De claritate, Sap. 3. vers.  
7. Fulgebunt iusti, &c. Dan.  
12. vers. 3. Fulgebunt tanquam  
splendor firmamenti, &c. Mat-  
th. 13. vers. 43. Sicut Sol, &c.  
De Agilitate, Sapient. 3. vers.  
7. Tanquam scintilla discur-  
rent, &c. Isaia 40. vers. ultim.  
*Aſſument pennas, ut Aquila,*  
&c. De subtilitate, & vi pene-  
trandi alia corpora, habes  
exempla in corpore Christi, ut  
jam diximus.*

22 *Cum vero corpus hu-  
manum non sit utile animæ,  
niſi propter ſenſum uſum,  
fruſtra illa reaſumereſt, niſi  
etiam in altera vita foret eo-  
rundem ſenſum oblectatio: Vi-  
ſus paſſetur aspectu corporum  
Beatorum, & Palatij cœleſtis  
ameniſſimi, ac prætantifſimi.  
Apoc. 20. & 21. Auditus paſſe-  
tur ſuavifſima melodia Ps.*

149. vers. 6. *Exaltationes Dei  
in gutture eorum, &c. Suavis-  
ſimum odorem spirabunt tum  
corpora Sanctorum; tum Re-  
gio tota cœleſtis, Isaia 35.  
Florebunt quaſi liliū, &c. Pro  
gufku, ſerviet mensa cœleſtis,  
Luca 12. vers. 37. Faſiet illos  
diſcumbrere, &c. Luca 22. v.  
29. ut edatis, & bibatis ſuper  
menſam mean in Regno meo.  
Item fructus ligni vita per ſin-  
guſos menſes. Apoc. ult. vers. 2.  
denique Luca 14. vers. 15.  
*Beatus qui manducabit panem  
in Regno Dei. Quoad taſtum,  
Pſalm. 35. vers. 9. Torrente  
voluptatis tua potabis eos. Hoc  
intelligitur modo ſup. expli-  
cato.**

23 *Sanctos à nobis hono-  
randos, calandos, & adorandoſ,  
omniō negant Gnostici,  
Eunomi, Vigilanti, Mahomet,  
& Wicleph; omnes alij Hæte-  
ci: ſed probat Sac. Scriptura  
Romanos 2. vers. 10. Gloria,  
& honor omni operanti bo-  
num. Cum enim adoratio, cul-  
tus, ſeu honoratio, ſit ſub-  
miſſio ſui erga alterum ex re-  
ognitione excellentiæ illius,  
debetur pro ratione diverſa  
excellentia diversa honoratio,  
ſeu adoratio. Pro Divina, de-  
betur adoratio ſupremi ordi-  
nis, quam latram vocamus,  
Pro naturali, ſeu civili, vel  
politica, adoratio ciuilis, &  
naturalis. Sic adoramus, ſeu  
ho-*

honoramus eos, qui de Magistratu sunt, qui nobilitate, potestate, dignitate, sapientia, &c. praecollunt. Pro supernaturali excellentia in gratia, & gloria debetur adoratio, seu cultus supernaturalis, quem vocamus *duliam*, & est media inter latram, & adorationem civilem. Atqui haec supernaturalis excellentia reperitur in sanctis: ergo supernaturali *dulia* colendi a nobis sunt. Cum autem Beatissima Virgo Maria, non solum in dignitate, & excellentia Maternitatis, sed etiam in sanctitate, & merito excellat omnes, tam Angelos, quam homines, etiam in adorabilitate debet omnes superare; & sua propria adoratio vocatur *hyperdulia*. Et licet sancti nobis presentes non adsint, sciunt tamen, & gratum habent sibi exhiberi honorem. Deinde excellentia virtutis meritaretiam honorem in absencia.

24 Neque solum in propria persona sua honorandi sunt sancti, sed & in cadaveribus, alijsque reliquis suis, (et si id rideant Hæretici:) fuerunt enim quasi tempa, & instrumenta sanctorum animarum ad omne opus bonum, & iterum cum ipsis consortia erunt aeterna beatitudinis. Sic Moyses, Exodi 13. vers. 19. honorifice

secum asportavit ossa Josephi, & verisimiliter etiam aliorum Patriarcharum. Et Deut. ult. vers. 6. Deus ipse honorifice per Angelos jubet sepeliri corpus Moysis. Item, tactum *Palij Eliae* + Reg. vers. 8. & 14. Dividuntur aquæ Jordanis. Et c. 13. vers. 22. A tactu ossium *Elysei* mortuus ad vitam revocatur. Et Iai. cap. 12. v. 10. Sepulchrum Christi prædictum futurum gloriosum. Et quanta veneratio deferebatur arce foderis! Primo Reg. 6. v. 19. In Novo Testamento Matth. 9. v. 20. Hemorrhiosa à tactu *simbriae* Christi sanatur. Act. 19. v. 12. Sudarijs, & Semicinctijs Pauli curantur aegri, dæmones fugantur, &c. Ut & Act. 5. v. 16. Contactu *umbrae* Petri. Quæ vero reliquæ viliores umbra? Neque Matth. 23. v. 29. & Luca 11. v. 47. Auguntur Judæi quod ornarent sepulchra Prophetarum, sed quod imitarentur cesores Prophetarum.

25 Præterea etiam honorandi sunt sancti in *imaginibus* suis; nam honor imagini exhibitus redundant in prototypon, seu in ejus, cuius est imagos. Psalm. 98. v. 5. Adorate scalpellum pedum ejus. Et Cherubinos arca Exodi 25. v. 8. Adorari debuisse quoties arca adorabatur, docet S. Hieronymus.

mus. Et n. 21. v. 8. *Serpentem æneum.* S. Aug. Nec hunc confregisse Ezechias. 4. Reg. 18. v. 4. Nisi cultus illius in idolatriam transisset. Nec unquam inhibitum fuit à Deo facere, vel habere imagines, sive in profanis, sive in sacris locis; nam, & in Tabernaculo Moysis, & in Templo Salomonis jussu Dei positæ sunt *imagines Cherubin*: Obumbrantium arcam, Exodi 25. v. 28. Item Boum, Leonum, &c. 3. Reg. 6. & 7. Et Serpentes æni, supra. Et ipse Deus artem scalpendi infudit duobus viris Beseleel, Oliab, Exod. 31. v. 2. & cap. 35. v. 31. Nec unquam reprehensi sunt Judæi, quod in nummis suis uterentur *imagines Cæsaris*, Matth. 22. v. 21. Etsi quæ fides Sacris Historijs, Christus ipse imaginem faciei sua impresit linteo Veronicæ, Lucæ 23. v. 27. Item linteо Abagari Regis Edessæ: It in linteamina sepulchri, Joann. 20. v. 30. Et Hemorrhoissa, Matth. 9. v. 20. Et Nicodemus, & S. Lucas imagines Christi confecerunt, multis exia miraculis nobilitatas. Tandem videatur Tridentinum, sess. 25. de Invocatione, & veneratione SS.

26 Hanc doctrinam op-  
pugnant moderni Sectarij: &  
*Tom. I.*

contra primitivam Ecclesiam impugnarunt etiam Hæretici ab ea olim damnati; nam Manichæi docebant, imagines Christi non esse colendas, sed res esse phantasticas, ut testatur S. Aug. contra Faustum, lib. 20. cap. 11. & postea ipsa Ecclesia in Concil. Nicæno, 2. congregata. Idem quarto saeculo tenebant Arriani Hæretici, & ob hanc causam in Synodo Nicæna act. 6. Eusebius tanquam Arrianus accusabatur. Opponunt igitur Sectarij, quod scutilia prohibita fuerunt à Deo. Deut. 4. non facies tibi scuptile, ut adores illud; idem habetur, Exod. 20. v. 4. & Psalm. 113. quibus in locis quo sensu sint prohibita benè exponit noster Aye, videatur, & nos exprofesso, Deo dante, in 3. tomo. Pro nunc autem Respondemus, quod Deus prohibet fieri imagines, ut adorentur more Gentilium, scilicet, credendo inesse aliquam in illis dignitatem, vel virtutem propter quam sint colenda, vel quod ab eis aliquis sit petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figura: non tamen prohibet adorationem respectivam, quæ refertur ad Prototypa; ita ut per imagines, quas osculum, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus,

*Tttt*

*Chris-*

Christum adoremus ; & Sanctos , quorum illæ similitudines gerunt , veneremur .

*Effigiem Christi cum transis,  
semper honora;  
Non tamen effigiem , sed quem  
designat, adora.*

27 Angelos , & Sanctos in Cœlis orare pro nobis , nostri- que curam genere etiam in particuliari , negant omnes ijdem Hæretici : Sed probatur , ac pri- mum de Angelis ex Tobiæ 12. v. 12. *Obtuli orationem tuam  
Domino.* Zachar. 1. v. 12. *Domine exercituum ( inquit Angelus) usque quo non misere- reberis Jerusalem ? Ecce jam septuagesimus annus est , &c.* Psalm. 90. v. 11. *Angelis suis mandavit de te , &c.* Job 33. vers. 23. *Si fuerit pro homine Angelus loquens , miserebitur ejus Deus.* Similia sunt Dan. 10. v. 20. *'Matth. 18. v. 10.* Apoc. 8. v. 3. & alibi sæpius .

28 De hominibus sanctis etiam probatur ; quia in hoc sunt æquales Angelis. Apoc. 2. v. 26. *Qui vicerit , dabo illi potestatem super gentes , &c.* cap. 5. v. 10. *Regnabimus su- per terram.* Jeren. ix 15. v. 1. *Si steterint Moyses , & Sa- muel coram me , &c.* 2. Mala- ch. ult. v. 12. & 14. Onias , & Jeremias pridem defuncti , dicuntur : *Orare pro Iudeis.*

Apoc. 5. v. 8. *Odoramenta 24. seniorum sunt orationes Sanctorum.* Et verò Sanctos etiam præsse hominibus , col- ligitur ex Apoc. 2. v. 26. *Qui vicerit , & custodierit opera mea usque in finem , dabo illi potestatem super gentes , & re- get eas in virga ferrea.* Sicut & ego accepi a Patre meo. 2. Petri 1. v. 15. *Dabo operam , frequenter vos habere post obi- tum meum commendatos.*

29 Id circa merito à nobis invocandi sunt. Gen. 48. v. 16. *Angelus qui eruit me de cunctis malis , benedicat pueris istis.* Et de Angelis Custodibus id libenter concedit Calvinus. Sed & de sanctis hominibus idem colligitur , ex Job 5. v. 1. *Ad aliquem Sanctorum convertere.* Exo. 32. v. 13. *Recordare , Isaac , & Jacob . servorum tuorum.* Psalm. 131. v. 1. *Memento Domine David , &c.* Et sic vi- ventes licite invocantur , & invocari jubentur à Deo , Job ult. v. 8. *Ite ad servum meum Job , ipse orabit pro vobis : fa- ciem ejus suscipiam , &c.* Rom. 15. v. 30. *Obsecro vos , ut adjube- tis me in orationibus pro me ad Deum.* Quidni & vita func- ti?


30 Et verò norunt optimè , & necessitates , & preces orantium : Primo , per intuitum

tum Essentiæ Divinæ , in qua tanquam speculo voluntario perfectissimè ipsis repræsentari possunt omnia , quæ ad quinque spectant. Joann. 3. v. 11. *Quod vidimus, testamur,* &c. Secundo , per spæcialem revelationem , ut Dan. 10. v. 13. &c. Tertio , per relationem Angelorum ulro citroque com-mantium. Quarto , per pro-priam subinde inspectionem. Neque enim sancti compedi-bus vinciuntur in Cœlo , uti nec olim in lymbo ; ut videtur in anima Samu'lis , quam vi-dit , & adoravit Saul , 1. Reg. 28. v. 14. Item Onie , & Jere-mia , 2. Machab. ult. v. 12. Denique , quomodo sancti no-runt conversionem peccatoris , ut de ea gaudeant in Cœlis, I-u-ca 15. v. 7. & Abraham vidit é Lymbo diem Christi , & ga-vifus est , Joann. 8. v. 56. Eo-dem modo norunt omnia ad se spectantia , quæ hic geruntur in terris.

F I N I S.

31 *Sanctos non supra con-  
vexum Cœli, sed in ipso Cœlo  
Empyreo , docet etiam noster  
Aye, super Epistol. ad Ephes.  
4. v. 10. Psalm. 10. v. 5. Do-  
minus in Cœlo sedes ejus. Psal.  
102. v. 19. In Cœlo paravit  
sedem suam. Et hæc sufficient  
pro toto beatitudinis tractatu,  
ad quam nos perducat , qui  
est benedictus in sœcula sæculo-  
rum , Amen. Sufficient etiam,  
& pro primo hujus Theologici  
Cursus Tomo : in quo omnia  
sub correctione S. R. Ecclesiæ  
submittimus. Cuncta igitur ce-  
dant in laudem , & gloriæ  
Beatissimæ , & individuæ Tri-  
nitatis , Patris ingeniti , Filij  
Unigeniti , & Spiritus-sancti  
ab ulro procedentis ; Im-  
maculatae Deiparae Virginis,  
absque omni prorsus labo con-  
ceptæ ; Seraphici Patris nostri  
Francisci ; Divi Josephi , Sanc-  
ti Antonij Paduani , om-  
niumque Sanctorum ,*

Amen.





# INDEX

TRACTATUUM DISPUTATIONUM,  
Quæstionum, & Sectionum, quæ in hoc pri-  
mo Tomo Cursus Theologici conti-  
nentur.

## DISPUTATIO PROÆMIALIS.

**Q**uest. I. prologi. Utr. Ho-  
mini pro statu isto sit ne-  
cessarium aliquam doc-  
trinam specialem supernatu-  
raliter inspirari, ad quam non  
possit attingere lumine natu-  
rali intellectus? Pag. 1.

**Q.** II. Ut Præfata supernaturalis  
doctrina sit Sacra Theologia:  
quomodo illi supernaturalis  
conveniat, & an suffi-  
cienter sit tradita in Sacra  
Scriptura? pag. 7.

**Q.** III. Quodnam sit objectum  
Sacrae Theologiae? pag. 30.

**Q.** IV. An Theologia Sacra sit  
Scientia, & an sit una? pa-  
gin. 40.

**Q.** V. In qua resolvuntur ali-  
qua quæsita de Theologia.  
pag. 51.

**Quær.** 1. An Theologia nostra  
sit practica? Ibid. num. 1.

**Quær.** 2. An Theologia nostra  
subalternetur alicui Scientiæ,  
vel subalternet sibi alias scien-  
tias? pag. 54. num. 7.

**Quær.** 3. An Theologia sit per-  
fectior, & excellentior alijs  
Scientijs? pag. 57. num. 12.

**Quær.** 4. An deficiente fide su-  
pernaturali, & infusa defi-  
ciat etiam nostra Sacra Theo-  
logia? pag. 59. num. 15.

**Q.** VI. Quod, & qualia sint loca  
Theologica, pag. 61.

# TRACTATUS PRIMUS

## DE DEO UNO; ET USQUE ATTRIBUTALIBUS perfectionibus.

### DISPUT. I.

**Q**uest. I. An sit Deus, &  
an sit Unicus? pagin.  
70.

**Q. II.** Utr. Deum esse, sit per  
se notum? pag. 78.

Dubitabis: An existentia sit de  
Essentia Dei? pag. 86. n. 16.

**Q. III.** Quoniam sint prædicata  
quidditativa, seu essentialia  
Dei? pag. 88.

**Q. IV.** Ut. Prædicata quiddita  
tiva Dei distinguantur inter  
se formaliter ex natura rei?  
pag. 93.

**Q. V.** Quodnam sit prædicatum  
quidditativum ultimo consti  
tutivum, & distinctivum Dei?  
pag. 107.

### DISPUT. II.

**D E P RÆDICATIS NON**  
quidditativis, seu de mo  
dis intrinsecis, & attri  
butis Dei.

**Q**uest. I. Quid, & quot sint  
modi intrinseci Dei? pag.  
113.

**Q. II.** An modus intrinsecus

distinguatur ex natura rei  
sive re modificata? pag. 121.

**Q. III.** Quid, & quæ sint attri  
buta divina? pag. 126.

**Q. IV.** Quomodo divina attri  
buta distinguantur ab essen  
tia, & inter se? pag. 128.

**Q. V.** Qui modi intrinseci, &  
quæ attributa distinguantur  
inter se? pag. 135.

**Dub. 1.** An prædictæ perfec  
tiones dentur in Deo, & er  
gòmodum habitus? pag. 133.  
num. 17.

**Dub. 2.** An ratio speciei sit  
ponenda in Deo? pag. 144.  
num. 18.

**Dub. 3.** Quid sit dicendum de  
Sanctitate Divina? Ibidem  
num. 19.

### DISPUT. III.

**D E I N T E L L E C T U,**  
& scientia Dei.

**Q**uest. I. Utr. In Deo detur  
potentia intellectiva, &  
an distinguatur ab intellec  
tione actuali, & à divina  
essentia? pag. 145.

**Q. II.**

- Q.** II. An , & qualiter Deus  
 creaturas cognoscat ? pag.  
 153.  
**Rog.** 1. An scientia Dei sit re-  
 præsentatio formalis creatu-  
 rarum ; an virtualis , seu  
 eminentialis tantum ? pag.  
 158. num. 10.
- Rog.** 2. An cognitio possibi-  
 lium , prout formaliter est  
 cognitio , sic aliqua intrinse-  
 ca Dei perfectio ? Ibidem  
 num. 11.
- Q.** III. Quid sit primarium di-  
 vini intellectus objectum?  
 pag. 160.
- Q.** IV. An , & qualiter futura  
 contingentia absoluta Deus  
 cognoscat ? pag. 164.
- Q.** V. Utr. Creaturæ sint præ-  
 sentes realiter Deo in æter-  
 nitate , & qualiter tunc cog-  
 noscerentur ? pag. 173.
- Q.** VI. Utr. Divinum decretum  
 cognoscatur à Deo , ut  
 futurum , in aliquo signo an-  
 teriori ad sui actualem posi-  
 tionem ? pag. 179.
- Q.** VII. An scientia Dei tollat  
 à rebus contingentiam ? pa-  
 gin. 182.
- Q.** VIII. Utr. Deus omnia fu-  
 tura contingentia conditio-  
 nata cognoscat ? pag. 186.
- Q.** IX. Utr. Deus certò cog-  
 noscat futura conditionata  
 ante actuale decretum suæ  
 divinæ voluntatis ? pagin.  
 190.
- Sect.** I. In qua mens Scotica  
 defensatur. Ibidem.
- Sect.** II. In qua contrariorum  
 argumenta solvuntur , pag.  
 199.
- Sect.** III. In qua aliqua dubia  
 circa scientiam medium eno-  
 dantur , pag. 202.
- Dub.** 1. Utr. In Deo ponenda  
 sint infinita decreta circa in-  
 finitas combinationes fu-  
 rorum , quæ fieri possunt  
 cum conditionibus etiam  
 disparatis? Ibid. num. 21.
- Dub.** 2. An circa futura abso-  
 luta , quæ Deus decrevit ab-  
 solute fore , prius habuerit  
 Deus decreta conditionata ,  
 sub eisdem conditionibus ,  
 sub quibus de facto eve-  
 niunt ? Ibid. num. 22.
- Dub.** 3. An scientia , qua Deus  
 cognoscit futura conditiona-  
 ta sit scientia visionis , an  
 simplicis intelligentiæ ? pag.  
 203. num. 23.
- Dub.** 4. Utr. Hæc scientia di-  
 cenda sit absoluta; an condi-  
 tionata ? pag. 204. n. 25.

## DISPUT. IV.

### DE DIVINA VOLUNTATE.

- Q.** uæst. I. An sit , quid , &  
 quotuplex voluntas in  
 Deo ? pag. 205.
- Dub.** An autem voluntas divi-  
 na sit potentia formaliter ex  
 na-

• natura rei distincta, tam ab  
D e s s e n t i a , quām à sua voli-  
tione actiūlī ? pagin. 207.  
num. 5.

Q. II. Quodnam sit objectum  
divinæ voluntatis, & quo-  
modo ab illa ametur? pag.  
212.

Q. III. An Deus possit amare  
creaturas possibiles? pagin.  
222.

Q. IV. Quomodo Deus amet  
creaturas possibiles? pagin.  
226.

Q. V. In quo consistat libertas  
contingentia divinæ volun-  
tatis? pag. 235.

Sect. I. In qua aliqua notabilia  
proponuntur, & difficultas  
magis aperitur. pag. 236.

Sect. II. In qua nostra conclusio  
proponitur, & propugnatur.  
pag. 239.

Q. VI. Utr. Voluntas divina  
sit causa rerum, & sub qua  
ratione? pag. 245.

Q. VII. De effectibus divinæ  
voluntatis. pag. 251.

Quær. 1. Utr. In Deo sit amor?  
Ibid. num. 2.

Quær. 2. An in Deo sit odium?  
pag. 252. num. 3.

Quær. 3. Utr. In Deo sit gau-  
dium, & tristitia? ibid. n. 4.

Quær. 4. Utr. Sint in Deo de-  
siderium, & fuga? ibid. n. 5.

Quær. 5. Utr. In Deo sint spes,  
& desperatio? ibid. n. nu-  
mer. 6.

Quær. 6. Utr. Sint in Deo ti-  
mor, audacia, & ira? pag.  
253. num. 7.

Quær. 7. Utr. In Deo sit justitia?  
Ibid. num. 8.

Quær. 8. Utr. Sit in Deo mis-  
ericordia? pag. 254. num. 11.

Quær. 9. Quomodo possit  
Deus præmiare supra condig-  
num, & non ire contra justi-  
tiam? pag. 255. n. 13.

Quær. 10. Quomodo Deus di-  
catur punire citra condig-  
num, cum puniat aternaliter  
peccatum, quod commis-  
sum fuit quasi in instanti? ibi-  
dem. num. 14.

## DISPUT. V.

### DE PROVIDENTIA Divina.

Q. I. An, & de quibus de-  
tur in Deo providentia, &  
ad quam potentiam per se  
pertineat? pag. 256.

Q. II. An, & quomodo defec-  
tus, tam naturæ, quam mo-  
rum divinæ providentia sub-  
sist? pag. 263.

Q. III. In qua resolvuntur ali-  
qua dubia circa divinam pro-  
videntiam, pag. 267.

Dub. 1. An divina providentia  
sit de medijs tantum; an  
etiam sit de fine? ibidem  
num. 1.

Dub. 2. Quænam scientia præ-  
re-

requiratur in Deo ad providentiam? pag. 269. num. 4.

Dub. 3. An finis presupponatur efficaciter intentus ad providentiam de medijs? pag. 270. num. 6.

Dub. 4. Quot, & qui sunt divisiones providentiae fructus? pag. 271. num. 9.

Q. IV. An Deus prædefinierit ab aeterno omnes operationes nostras liberas distincte, & in particulari? p. 273.

Sect. I. In qua aliqua scitu dignissima proponuntur, ibid. num. 2.

Sect. II. In qua deciditur quid circa prædefinitions intentionis.

## DISPUTAT. A. TRACTATUS II.

### DE PRÆDESTINATIONE SANCTORUM.

#### DISPUT. UNIC.

Q. Uæst. I. In qua aliquæ difficultates breviter ex-penduntur, pag. 342.

Quær. 1. An prædestination sit actus intellectus, vel voluntatis? ibid. n. 3.

Quær. 2. In quo actu divinæ voluntatis præcipue, & primariò consistat prædestination divina? ibid. n. 5.

Quær. 3. An prædestination aeterna sit simpliciter necessaria,

tivas defendere debeamus, p. 280.

Sect. III. In qua proponuntur, & diluuntur præcipua argumenta, pag. 293.

Q. V. An etiam actus nostri mali sunt à Deo prædefiniti? pag. 308.

§. 1. Proponuntur, & solvuntur argumenta contra primam conclusionem, p. 319.

§. 2. Argumenta contra secundam conclusionem solvuntur, pag. 322.

Quest. 6. An bona, quæ occa-sionantur ex peccato, ante peccatum præfiantur à Deo? pag. 329.

ut salvetur homo? pag. 345.

Quær. 4. An prædestination sit aeterna, & infallibilis? ibid. num. 8.

Quest. II. Utr. Ante prædestinationem fuerit præfinita existentia naturalis prædestinatōrum? pag. 347.

Dub. 1. An Deus prædestinavit in eodem naturæ signo omnines quotquot prædefi-

- tinati sunt pag. 353. n. 13.
- Dub. 2. An prædestinatio hominum præfinita fuerit post prævisum Angelorum lapsum, & ad reparandam illorum ruinam? p. 356. n. 20.
- Dub. 3. An prædestinatio hominum, & Angelorum fuerit præfinita ante præfinitionem, seu futuritionem existentia reproborum, p. 357. n. 23.
- Q.** III. Utr. Prædestinatio præfinita fuerit ante, vel post prævisa merita prædestinatorum? pag. 361.
- Sect. I.** In qua aliqua notabilia proponuntur, ibid. n. 2.
- Sect. II.** In qua quid nobis tenduntur, breviter resolvitur, pag. 365.
- Dub. 1. Quomodo cohæreat prædestinatio antecedens cum libertate creata? pag. 369. n. 17.
- Dub. 2. An prædestinatus possit damnari? pag. 372. num. 23.
- Q.** IV. An prædestinatio facta fuerit ante, vel post prævisa merita Christi? p. 378.
- Inquires: An prædestinatio hominum, & Angelorum facta fuerit ex prævisis meritis Beatæ, ac Immaculatæ Virginis Mariæ? pag. 385. n. 19.
- Q.** V. Qui, & quot sint effectus prædestinationis? pag. 390.
- Dub. An sint, & quæ signa prædestinationis? p. 400. n. 20.

## TRACTATUS III.

### DE REPROBATIONE IMPIORUM.

#### DISPUT. UNIC.

- Q.** Uest. I. Qualiter præfinitio divina se habeat ad reprobationem? p. 404.
- Q.** II. Qui sint effectus reprobationis? pag. 416.
- Q.** III. Utr. Sint plures reprobati, quam prædestinati? p. 424.
- Dub. 1. An ex sexu masculino plures salvantur, quam ex
- fœmineo adulteratis, pag. 432. num. 16.
- Dub. 2. An detur liber mortis, & liber vita, & quid sint? pag. 433. n. 17.
- Dub. 3. An aliquis ex conscriptis in libris vita, & mortis deleri possit ex ipsis? pag. 436. num. 23.

TRACTATUS IV.  
DE SACROSANCTO INDIVIDUÆ  
*Trinitatis Mysterio.*

DOGOMATICUM TOTIUS SANCTISSIMÆ  
Trinitatis compendium, in quo Hæretico-  
rum præcipui erroris deteguntur.

DISPUTATIO I.

DE DIVINIS PROCESSIONIBUS.

Quest. I. An in divinis de-  
tur processio alicuius  
personæ ab alia, quo-  
plex, & qualis? pag. 442.

Quest. II. Utr. Siat tantum tres  
persona in essentia divina; &  
nunc distinguantur realiter  
inter se? pag. 451.

Dubium incidens, p. 459.

Quest. III. Quid, & quotuplex  
sint Divinæ Processiones?  
p. 462.

Quest. IV. Quod sit principium  
Divinarum Personarum? p.  
474.

Dubium incidens, p. 480.

Quest. V. Quid sit terminus Di-  
vinarum processionum? p.  
486.

\*\*\*

DE PRIMA PERSONA  
*Sanctissimæ Triadis.*

Quest. I. Quid conveniat,  
& attribuatur primæ  
Personæ particulariter, p.  
494.

Dubitabis: Utr. codem modo  
dicatur de Patre esse initium  
Filij, sicut dicitur esse prin-  
cipium? p. 498. n. 12.

Quest. II. Per quid prima Per-  
sona constituatur formaliter  
in esse persona? ibid.

Sect. I. In qua rejiciuntur om-  
nes istæ sententiæ, p. 500.

Sect. II. In qua proponitur, &  
firmatur nostra verior sen-  
tentia, p. 504.

Dubitabis : Per quid est essentia in prima Persona ? p. 512. num. 36.

DISPUT. III.

*DE SPECTANTIBUS  
ad secundam Triadis  
Personam.*

Quest. I. Quæ nomina, & quomodo convenient secundæ Personæ Sanctissimæ Triadis ? p. 513.

Dubitabis : An secunda Persona Sanctissimæ Triadis dicitur sapientia vere, & propriè, vel solum appropria te ? p. 516. n. 11.

Quest. II. Utr. Secunda Persona Sanctissimæ Triadis producatur ex cognitione Essentiæ Divinæ, Personarum & creaturarum ? p. 516.

Dubitabis : An generatio Verbi Divini sit aeterna ? pag. 521. num. 16.

DISPUT. IV.

*DE SPECTANTIBUS  
ad tertiam Personam Sanctissimæ Triadis.*

Quest. I. Utr. tertia Persona Sanctissimæ Triadis procedat à prima, & secunda, & quomodo ? p. 524.

Dubitabis : Cùr processio Spi

ritus sancti non sit genera-  
tio ? p. 528. num. 11.

Quest. II. An si Spiritus sanctus non procederet à Filio, rea-  
litè distingueretur ab illo ?  
p. 538.

DISPUT. V.

*DE PERSONIS DIVINIS  
in communi, & inter  
se comparatis.*

Quest. I. An relationes, qui-  
bus Personæ Divinae  
constituantur, importent  
aliquam perfectionem ? p.  
542.

Quest. II. Vir inter Personas Di-  
vinas dentur relationes si-  
militudinis, & æqualitatis ?  
p. 546.

Quest. III. Utr. qualibet Persona  
Divina sit in alia ? p. 548.

Quest. IV. Quid, & quot sint no-  
tiones Personarum Divina-  
rum ? p. 551.

Quest. V. Utr. una Persona Divi-  
na mittatur ab alia ; & quo-  
modo sit loquendum de  
hoc Mysterio ? p. 553.

\*\*\* \*\*\*  
\*\*\* \*\*\*  
\*\*\* \*\*\*

# TRACTATUS V.

## DE BEATITUDINE.

### DISPUT. PRIMA.

#### DE BEATIFICA VISIONE.

**Q**uest. I. In quo beatitudo nostra formaliter consistat? p. 561.

Dubium incidens, seu Corollar. p. 573.

**Q**. II. Utr. possiblitas visionis naturali ratione probari possit? p. 577.

Dubitabis: Utr. in homine sit appetitus, sive innatus, sive elictus ad claram visionem Dei? p. 580. n. 5.

**Q**. III. Quid sit lumen gloriae, quæque ejus munera? pag. 581.

Sect. I. Utr. lumen gloriae de facto sit habitus? p. 582.

Sect. II. In qua varij dicendi modi circa munera luminiis gloriae examinantur, p. 586.

Sect. III. Utr. lumen gloriae sit tota ratio agendi respectu visionis? p. 590.

Sect. IV. In qua nostra sententia proponitur, & explicatur, p. 596. \*\*\*

**Q**. IV. Utr. creatus intellectus divinitus elevari possit ad producendam beatam vi-

sionem absque lumine gloriae? p. 599.

**Q**. V. Utr. visio beata possit esse precisiva, & quomodo? p. 602.

### DISPUT. II.

#### DE CONCOMITANIBUS,

& subsequentibus ad beatitudinem essentialem Patriæ.

**Q**uest. I. Quæ consequantur, vel comittentur beatitudinem essentialem potentiae intellectus? p. 610.

Difficult. 1. An ex vi visionis beatifica videantur præcisè prædictæ creaturæ possibles, & futurae? p. 612. n. 4.

Difficult. 2. Unde proveniat, quod Beati cognitione matutina videant istas creaturem possibles potius, quam alias? ibid. n. 5.

Difficult. 3. Qualiter videant Beati creaturem in Essentia Divina? p. 613. n. 6.

Dif-

**Difficult.** 4. An creaturex vi-deantur in Divina Essentia à Beatis simūl , vel successu temporis? p. 614. n. 9.  
**Difficult.** 5. Quæ & quales sint creaturex , quæ videantur ab unoquoque Beato ? p. 615. num. 11.

**Difficult.** 6. An saltem de possibili posse Beatus ali-quis videre in Deo omnes creaturetas etiam possibiles? p. 622. n. 23.

**Difficult.** 7. An , scilicet , Beati videant poenas damnato-rum ? p. 626. n. 29.

**Dubitabis :** Quomodo se ha-beat voluntas Beatorum er-ega damnatos videntes eo-rum poenas ? p. 627. n. 31.

**Dubit:** Sed erit ne tristitia in seculis fini vidento poenas dam-natorum , propter illud vol-ibid. n. 32.

**Q. II.** Utr. in Beatis detur si-des , tam actualis , quam ha-bitualis ? p. 628.

**Q. III.** Quæ consequantur , vel o-ccurruntur beatitudinem , essentiali potentiæ volun-tatis ? p. 635.

**Querit.** 1. An in voluntate Beati sit necessariò delecta-tio , seu latitia , vel gau-dium ? p. 636. n. 3.

**Difficult.** 1. An gaudium , & delectatio sint ita necessa-riò cum beatitudine conne-

xa , ut sint etiam de ejus es-sentia ? p. 637. n. 4.

**Querit.** 2. An voluntas Beati , supposita beatifica visione , necessariò amet Deum , p. 639. n. 9.

**Difficult.** 2. An ista necessitas sit tantum moralis ; an ve-rò sit etiam aliquomodo physica ; & an solum sit quoad specificationem , seu contrarietatem ; an etiam quoad contradictionem ? p. 640. n. 12.

**Queres** 3. An perpetuitas , & securitas beatitudinis sint de ejus essentia ? p. 644.

**Difficult.** 3. Unde hæc per-pe-tuitas proveniat ; & an sit de essentia beatitudinis ? ibid. n. 19.

**Dubitatis** 1. Quomodo Beati sint impeccabiles ? p. 647. n. 25.

**Dub. 2.** An voluntas Beati sit capax ullius tristitia? p. 648. n. 27.

**Q. IV.** De alijs virtutibus , & perfectionibus animæ beatæ ? p. 650.

**Quæres** 1. An in voluntate Bea-ti detur virtus Theologica charitatis ad eliciendum amorem beatificum ? ibid. num. 1.

**Dubitabis :** Quomodo concur-rat habitus charitatis cum voluntate ad fruitionem bea-tam

2 tam celiendam ? pag. 651.  
num. 5.

Quer. 2. An in Beatis de-  
tur spes Theologica ? pag.  
653. n. 8.

Quer. 3. An in Beatis dentur  
omnes virtutes morales ? p.  
655. num. 12.

Queres 4. An in Beatis ma-  
neant dona , & fructus Spi-  
ritus-Sancti ? pag. 656. nu-  
mer. 15.

Queres 5. An etiam possint  
admitti in Beatis octo Beati-  
tudines ? p. 657. n. 17.

### DISPUT. III.

*DE BEATITUDINE,  
seu Gloria corporum Beatorum:  
de ipsorum potentijs , Dotibus,  
& Aureolis , tam animæ,  
quam corporis.*

**Q**uest. I. Utr. in anima-  
bus Beatorum sint ali-  
qua Dotes , & Aureo-  
lae ; & quæ sint ? p. 663.

Inquit. 1. An sit de fide dari  
has Dotes in Beatis ? pag.  
665. n. 5.

Difficult. 1. An attritio suffi-  
ciat cum martyrio ; an re-  
quiratur contritio in Mar.

tyre ad salutem obtinendam  
si sit in peccato ? pag. 668.  
num. 10.

Inquires 2. Quid sint prædictæ  
Aureole ? p. 669. n. 12.

Inquir. 3. An Aureolæ in om-  
nibus Beatis sint eæquales ?  
ibid. n. 13.

Q. II. Utr. dentur Dotes in  
corporibus gloriofis , & quæ ?  
p. 670.

Dubitab. 1. In quo consistat  
Dos impænitabilitatis ? p. 676.  
num. 10.

Dub. 2. In quo consistat Dos  
claritatis ? p. 677. n. 13.

Dub. 3. In quo consistat Dos  
agilitatis ? p. 680. n. 18.

Dub. 4. In quo Dos subtilitatis  
consistat ? p. 682. n. 22.

Inquires : Utr. Agilitas sit  
æqualis in omnibus Beatis ?  
p. 681. n. 20.

Queritur : Quem situni habeant  
in Cœlo Beati ? ibid. n. 21.  
Q. III. Utr. sint potentiae , &  
usus earum in corporibus  
Beatorum ? p. 684.

Inquires : Quo idiomate lo-  
quentur Beati in Patria ? p.  
693. n. 17.

Dogmaticum resumen totius  
hujus tractatus de Beatitu-  
dine , p. 694.

**FINIS, ET INDEX.**





comunicaciones de la  
ciudad.

Quer. 2. An. en Belice des  
de la Sociedad Biológica pag.

Quer. 3. An. in Bequia dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 4. An. en Belice des  
de la Sociedad Biológica pag.

Quer. 5. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 6. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 7. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 8. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 9. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 10. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 11. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 12. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 13. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 14. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 15. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 16. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 17. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 18. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 19. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 20. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 21. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 22. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 23. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 24. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 25. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 26. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 27. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 28. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 29. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 30. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 31. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 32. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 33. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 34. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 35. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 36. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 37. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 38. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 39. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 40. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 41. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas


Quer. 42. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 43. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 44. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 45. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas

Quer. 46. An. en Belice dentro  
de las islas Vírgenes inglesas









H  
31

1.282